XXI. C

LVIII
A
26

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVIII
A
26
NAPOLI

JACOBI GEUSII

Theologi & Medici Friſii

VICTIMÆ HUMANÆ,

PARS ALTERA.

complexa

Modos, Ceremonias, & Tempora;

quibus olim

Homines Diis ſuis immolabant,
Et humanum ſanguinum libabant.

GRONINGÆ,

Typis DOMINICI LENS,
Typographi & Bibliopolæ.
cIↃ IↃ CLXXV.

JACOBI GEUSII VICTIMÆ HUMANÆ;

Pars Altera.

CAP. I.

Modi victimas humanas immolandi, ſanguinemque humanum libandi. Quidam Chriſtiani olim ſibi membra virilia amputarunt. Gennadius Maſſilienſis explicatur. Gentiles genitalia ſibi præciderunt; nempe etiam Galli, qui genitalia membra ſacrificarunt Cybelæ. Explicatur Tertullianus. Laertius illuſtratur. Origo hujus erroris & immolationis. Varia nomina & proprietates Cybelæ. Firmicus illuſtratur & explicatur. Gallorum ſacra. Prudentius & M. Felix illuminantur. G. Voetii error. Varia Cybelæ Sacerdotum nomina; eorum peſtes, habitus & furendi ritus. Modus ſacrandi genitalia Cybelæ. Evirandi inſtrumentum & ceremoniæ. Lactantius explicatur. Illuſtratur Iſidorus & Prudentius. Notatur Baronius. Adhibebant muſicalia inſtrumenta, & futura prædicabant. Verba neutro-activa. Seneca à critica virga Lipſii & Mureti aſſeritur. Tzetza corrigitur. Gabrius corrigitur & illuſtratur.

IN ſuperiori libro exhibuimus & perceñſuimus. I. *Victimarum Humanarum Originem*. II. *Populos & homines, qui dira illa Sacrificia immolarunt*. III. *Numina quibus ſacrificata ſunt*. IV. *Perſonarum, quæ mactabantur, qualitates*. *Et* V. *Varias harum Victimarum Cauſas Finales*. Nempe: 1. *ut his Victimis humanis Deorum favorem ſibi conciliarent & iram averterent*. 2. *Famem & Sterilitatem propulſarent*. 3. *Morbos & Peſtem profligarent*. 4. *Tempeſtates maris ſedarent, & navigationem ſecundam obtinerent*. 5. *In bellis proſpere pugnarent*. 6. *Pro bello ex voto ſuccedente gratias agerent*. 7. *Fœdera & pacta inirent, & conſpirarent*. 8. *Magiam & Divinandi artem addiſcerent & exercerent*. 9. Atque demum *ut his in humanis ſacrificiis, & humani ſanguinis libationibus Ethnici, Iudæi, & quidem Hæretici ſibi invicem & Diabolo tanquam Sacramento arctè obſtringerentur & confœderarentur*. Hoc vero in libro & altera hujus tractatus parte oſtendemus. VI. *Varios Homines immolandi* *Mo-*

Modos. VII. *Varios Sacrificandi Ritus.* VIII. *Loca & Tempora, quibus hæc Sacrificia agebantur.* Quod jam ad primum hujus libri membrum, ſive Octavum totius operis Caput, nempe *varios Homines immolandi humanumque ſanguinem litandi Modos* attinet. *Homines* olim vel tantum I. *Humanum Sanguinem libabant*; vel II. *Homines ipſos mactando Diis ſacrificabant. Modus* autem *Libationis ſanguinis humani* fiebat præter Circumciſionem, de qua in capite ultimo libri primi. 1. *Per Genitalium membrorum amputationem à Chriſtianis, Ethnicis, Gallis fanaticis peractam, qui membra illa ſua Deæ Cybelæ ſacrificabant.* 2. *Per propriorum corporum vulnerationem, ſanguiniſque humani ferro eliciti effuſionem, qui à Gallis Deorum Matri, à Bellonariis Deæ Bellonæ, ab Ethnicis Diabolo, à Mahumetanis falſo ſuo Prophetæ Mahumedi, à Chriſtianis & quidem Papiſtis Deo, Divis, & Sanctis offerebatur & litabatur.* 3. Et tandem *per flagellationem cruentam in honorem & propitiationem Diaboli & Dæ-*

ana factam. III. *Homines verùm variis modis* nempe præter *Flagellationem* ſupra dictam. 1. *Per Combuſtionem.* 2. *Objectionem hominum feris.* 3. *Expoſitionem.* 4. *Submerſionem.* 5. *Defoſſionem.* 6. *Suſpenſionem;* 7. *Et Jugulationem ſive Mactationem* iterum *variis modis adminiſtratam:* de quibus omnibus Victimas Humanas immolandi Modis ſuo ordine agemus. Primum igitur aggrediemur *Litationem Sanguinis Humani per genitalium membrorum abſciſſionem & conſecrationem.*

Non tantum in Circumciſione Judæos, ſicut in priori libro capite ultimo vidimus, ſed etiam *totali partium membrorumque genitalium amputatione* Ethnicos imitari olim *Veteres Chriſtiani* pro ſumma religione duxerunt, neſcii certe, *quod ita Diabolo per ſanguinem* ſuum *litarent.* Qua labe ſe adſperſit Origines, teſte Epiphanio contra Hæreſ. tom. 1. lib. 2. pag. 248. De orthodoxia ejus diſceptantes & judicantes conſule Thaumaturgum, Didymum Alexandrinum, Methodium Olympium, Poſſevinum in apparat.

apparatu ſacro in Origenem. Rivetum Critic. ſacri. lib. 11. cap. 12. Sculte- tum in Medulla Patrum tom. 1. p. 168. Picum Mirandulam. Sixtum Senenſem in Bibliotheca ſact. l. 5. Molinæum in No- vitate Papiſmi; Jacobum Merlinum in apologia libris Originis præfixa. Gil- bertum Genebrardum in epiſtola dedica- toria & collectaneis editioni Pariſienſi Originis anno cIɔ Iɔ cxxiv. adjectis. Sum- mum Huetium Danielem Heinſium Exer- citat. Sacr. in Johann. cap. 14. Hoe- ſchelium in Præfat. ad Originis libros contra Celſum: Geverhartum Elmen- horſtium in notis ad Gennadium p. 131. Origini in hoc præluſiſſe videntur *Vale- ſii* ſive *Secta Eunuchorum*: de quibus E- piphanius lib. 11. tom. 1. p. 230. 231. Imo ſtatim poſt Chriſti ex his terris abi- tum, pernitioſam hanc *ſe ipſum evirandi hæreſin*, ex verbis Salvatoris noſtri Mat- thæi xix. 12. male intellectis ortam, *in Eccleſiam irrepſiſſe Chriſtianam* veri ſimi- le eſt. Nam Clemens in Canonibus A- poſtolorum cap. xxi. illud his verbis in- nuit. ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν, μὴ γινέσθω

 κληρι-

κληρικὸς, αὐτοφονευτὴς γάρ ἐστιν ἑαυτοῦ καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δημιουργίας ἐχθρός. *Qui ſibi ipſi virilia amputavit, clericus non efficitor; ſui enim ipſius homicida eſt, & inimicus creationi Dei.* Eſt ex interpretatione Gregorii Haloandri. Et hæc abominabilis ſuperſtitio tam latas egit radices, ut poſterioribus etiam temporibus repertius fuerint ejuſmodi amotæ mentis homines, qui, ut regnum cœlorum conſequentur, *ſe ipſos evirando effœminarunt*, propriiſque corporibus vim atque injuriam intulerunt. Unde etiam Eccleſiarum decreta ejuſmodi truncatos homines à Clericatu removerunt. Genuadius Maſſilienſis de Eccleſ. Dogmat. cap. 72. Ita explicatur, *Neque eum* (Clericum ordinandum,) *qui ſemet ipſum quodlibet corporis ſui ſuperatus truncaverit.* Adde Photium Patriarcham Conſtantinopolit. Nomocan. tit. 1. cap. 14. Martinum Bracarenſem Epiſcopum in excerptis Capitulorum Græcorum cap. 21. tom. 11. Conciliorum. Gelaſium P. P. in decretis cap. 20. Gelaſium de actis Concilii Nicæni pag. 157. Corpus Canonum

nonum part. 1. diſtinct. 45. Eoſdem ἀρνασιχχίεις Chriſtianos etiam Cyprianus Singul. Cleric. acriter perſtringit. *Illud etiam de Gallis ſuis nobis Idololatræ exprobranter inſultent, qui abſcindentes ſemet ipſos libenter excruciant, dummodo cum damno ſtatus ſui ſimulachrorum diſſimulationibus pareant.* Et eodem in libro rurſus pag. 230. *Nec minus eos, ſed pœnis etiam illi confundunt, qui metuentes non tantùm cum aliena, ſed etiam cum ſua carne luctari amputatis genitalibus abſcedunt.* Et rectè hæc quidem à Cypriano de Ethnicis & Gallis dicta ſunt. Nam occœcati *Gentiles Diabolum olim coluerunt, & genitalium membrorum amputatione, & lacertorum vulneratione, & propria ſui immolatione.* Quas tres humanarum victimarum, ſanguiniſque humani libationum, ſpecies jam deſcribemus, & in unum contractas exhibet nobis Tertullianus Apolog. contra Gentes pag. 857. qui de Gallis ita explicandus eſt. *Et alia vis pronuncietur in eo, qui genitalia, vel lacertos; alia qui ſibi gulam proſecat. Compar exitus furoris;*

Jam de prima ſpecie agere aggrediemur, nempe de *virilis membri amputatione*, quo tanquam *ſacramento* Gentiles *ſe Diaboli ſacris initiatos eſſe demonſtrabant.* Ita Tyrannus Periander *Corcyrenſium liberos ad Ayattem præſecandos* ἐπ' ἐκτομῇ *miſit. Cum autem navis appropinquaſſet Samo, Iunoni vota facientes, à Samiis ſervati ſunt*, ſicut ex Heraclide Pontico lib. de Principatu narrat Diogegenes Laërtius lib. I. in Periandro Corinthio pag. 50. Per ἐκτομὴν & *præputii*, & *genitalium membrorum præciſio* explicari poteſt, *cum* illud utrumque vox ea denotet; imo dici poteſt, quod propterea ad Ayattem eos Periander miſerit, ut *ab illo* tanquam *victimæ Deo* ſive idolo alicui *immolarentur*; nam ἐκτομὴ ſignificat etiam *immolationem* ſeu *ſacrificium*, quod *cæſa* ſeu *inciſa victima* fiebat, apud Plutarchum & Herodotum; unde ſi per illud vocabulum *genitalis membri præciſionem* intelligere velimus, apparet, quod hæc *mutilatio* quaſi *victima* ac *ſacrificium erat Diabolo oblatum.* Fiebat autem hæc *oblatio &*

ſacri-

ſacrificium in Gentiliſmo *à Gallis Sacerdotibus, in ſacris Deorum Matris.* Varia autem hujus Deæ nomina in Gentiliſmo erant. Claudianus lib. 1. in Eutrop. fol. 47. *eam Cybelen* vocat.

Vel ſi ſacra placent, habeas pro Marte Cybellem.
Rauca Celenæos ad tympana diſce furores,
Cymbala ferre licet, pectuſque illinere pinu:
Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.

Claudianus lib. 11. in Eutropium fol. 59. rurſus.

Dum ſedet, & Thyaſos ſpectat de more Cybele,
Curetumque alacres ad tympana ſuſcitat enſes.

Eodem nomine inſignitur à Virgilio in Ceiri v. 56. Luciano Chronoſolon. pag. 954. Martiale lib. 111. Epigrammatum pag. 89. *Cybelem & Cyben* dicit Strabo lib. x. pag. 51. A. Minucio Felice in Octavio pag. 14. Pauſania in Achaicis pag. 220. in Bæoticis pag. 575. Strabone

bone lib. x. pag. 49. vocatur *Cybele Dindymena*. Pauſanias lib. VII. p. 510. *Matrem Didymenam*, *& Dindymenem*; Catullus autem eleg. LXIV. pag. 113. *Dominam Dindymenam* appellat. Et *Dindymam matrem Cybelæ* nuncupat Diodorus Siculus Biblioth. libr. III. pag. 191. *Dea* autem *Syria eadem quæ Cybele erat*. teſte Phill. Beroaldo in Annotat. in Varios Authores: nam Plutarchus in libello ac ſuperſtitione vocat eam Συρίαν θεόν. Sicut Strabo lib. x. pag. 51. & Lucianus de Dea Syr. pag. 760. *Rheam*. Sic *matrem* appellat Virgilius lib. IV. Georg. verſ. 64. *Matrem Magnam* S. Aurelius Victor in Heliogabalo. *Matrem entheam* Martialis lib. v. Epigramm. *Matrem Deorum* Firmicus: Dion Caſſius lib. XLVIII. pag. 384. Strabo lib. XII. pag. 396. Geograph. *Mater Idæa* vocatur à Felice in Octavio p. 4. Livio lib. XXXVI. pag. 936. Virgilio lib. Æneid. x. pag. 587. & lib. IX. pag. 562. Hieronymo lib. I. adverſus Jovinianum cap. 26. Julio Obſequente de prodigiis cap. x. Cicerone de Aruſpicum

cum reſponſis pag. 432. orat. x. in Verrem. *Genetrix Idæa* & *Magna Mater* à Servio Mauro ad verſ. 116. libr. ix. Æneid. *Idæa Opis* à Tibullo libr. i. eleg. 4. pag. 242. *Berecynthia* Ovidio Faſtor. lib. iv. pag. 78. à Catullo & Prudentio lib. ii. in Symmachum pag. 341. *Dea Phrygia*, *magna Idæa* à Strabone lib. x. pag. 49. Dempſterus in lib. ii. cap. 4. Roſini Antiquitat. ex duabus inſcriptionibus à Johanne Wouwer ſubminiſtratis magnam Matrem *Criobolium* & *Taurobolium* appellatam fuiſſe probat. Quod etiam Julius Firmicus confirmat. Nec obſtat, quod Suidas Dianam ταυροπόλαν & ταυροβόλον, ſicut Heſichius ταυροβόλην & Diodorus Siculus libr. ii. pag. 129. ταυροπόλον vocat, cum ſub nomine Deæ Syræ ſive Cybeles præter alias Deas etiam Diana comprehendebatur, & exprimebatur, ſicut alibi in noſtro opere nempe cap. xi. libri primi ex Apuleio & Luciano oſtendimus. Quæ noſtra opinio ibi deprompta & probata maxime etiam ex hoc confirmatur, quod Dea Syra & Diana idem nomen habue-

habuerint, ſicut hic videmus. Vocabatur Deorum mater præterea *Piſſinuntia*, *Pylena*, *Veſta*, & *Andigiſta*, ſicut Strabo demonſtrat. Geograph. lib. x. pag. 49. & lib. XII. pag. 214. Depingebatur *turrita*; Dionyſius Lambinus ad F. Lucretii lib. II. de natur. rer. Servius ad verſ. 113. lib. III. Æneid. Claudianus lib. I. de raptu, & in 2. ad Eutrop. & lib. III. de laudibus Stiliconis. Sidonius Apollinaris Panegyr. Soceri ſui verſu 1272. *Pinus ei ſacra* erat; Luctatius Placidius ad lib. x. Thebaid. v. 146. Virgilius lib. IX. Æneid. Servius ad vſ. 116. Arnobius lib. v. contra gentes. Claudianus lib. I. in Eutrop. *Phædrus*. Pindarus, & Strabo lib. x. pag. 49. Turpiamtem, cruenta, & nefanda hęc *Matris Deûm ſunt Sacra, ubi Atis pulcher adoleſcens, ab ea dilectus, & muliebri zelo abſciſſus, etiam hominum abſciſſorum, quos Gallos vocant, infeliciate deploratur.* Videantur Auguſtinus de civit. Dei lib. VI. cap. 7. Adde Felicem in Octavio pag. 14. Albricum de Deor. Imagin. pag. 139. Arnobium lib. v.

lib. v. adverſ. Gentes. Catullum epigr: 61. Luctat: Placidium ad lib. x. Thebaid. Accium in Bacchis apud *Nonium* cap. x. num. 12. Originem hujus cruentæ *litationis* & *ſacrificii* deſcribit ita Arnobius contra Gentes. *Mater Deum adulterum infeliciter placitum, quoniam ipſa deformis & vetula, & multorum Deorum mater, ad ſtuprum illicere non poterat, exſecuit, ut Deum ſcilicet faceret Eunuchum. Propter hanc fabulam Galli eam & ſemiviri ſui corporis ſupplicio colunt.* Alio modo hanc fabulam delineat & exhibet Lactantius de falſa religione lib. 1. pag. 45. cap. 17. *Deum mater & amavit formoſum adoleſcentem, & eundem cum pellice deprehenſum, exſectis virilibus ſemivirum reddidit; & ideo nunc ſacra ejus à Gallis Sacerdotibus celebrantur.* Innuit A. Prudentius Periſteph. in paſſione Romani pag. 180.

An ad Cybellis ibo lucum pineum?
Puer ſed obſtat Gallus ob libidinem
Per triſte vulnus, perq; ſectum dedecus
Ab impudicæ tutus amplexu Deæ
Per multa matri ſacra plorandus ſpado.

Prudentius contra Symmach. lib. II. p. 341. rurſus idem deſcribit.

Cur Perecynthiacus perdit truncata Sacerdos
Inguina, quum pulcher ſeſe caſtraverit Atis?

Eandem hiſtoriam luculenter invenies deſcriptam à Catullo eleg. 64. pag. 111. Diodoro Siculo lib. III. pag. 192. Servio in IX. Æneid. Arnobio lib. V. Gyraldo Syntagm. IV. Vincentio Cartario de imagin. Deorum, alioſque. *Attin* hunc *pro Sole* à Phrygibus cultum fuiſſe docet Arnobius lib. V. Hermaſianax autem elegorum Scriptor apud Pauſaniam lib. VII. pag. 503. verſibus prodidit, *Atten Calai Phrygis filium fuiſſe, & ad ſobolem ſuſciendam plane inutilem editum à matre. Cum jam adoleviſſet, in Lydiam migraſſe, ibique Magnæ Matris cæremonias monſtraſſe.* Alii autem alio modo originem nefandi hujus Sacri & libationis commemorant. Apud eundem Pauſaniam lib. VII. pag. 504. Quicquid hac de re ſit, ab hac pudenda origine hujus *Cybelæ Antiſtites* & *Sacerdotes*

pudendorum ſuorum truncatione & libato ſanguine Deam ſuam adulteram *placare olim annixi ſunt.* Docet Lactantius de Juſtitia lib. v. cap. 9. pag. 278. *Qui virilia ſua ferro metant, & quod eſt ſceleratius, ut ſint religionis Antiſtites; qui ne vitæ quidem ſuæ parcant, ſed extinguendas publice animas ſuas vendant.* Idem Lactantius lib. 1. de falſa religione cap. 21. pag. 50. *Quorum* ſacrificiorum *alia ſunt Matris Deum; in quibus homines ſua ipſi virilibus litant:* Hinc intelligitur & illuſtratur Julius Firmicus lib. profanar. Relig. *Tauribolium vel Criobolium ſcelerata te ſanguinis labe perfundit.* Per quæ verba ſine dubio indicat cruentam illam litationem ſanguinis per Gallos Sacerdotes Deæ Syræ, ſive Matri Deorum & Cybelæ oblati, nam, ut ſupra vidimus, illa etiam Tauribolium & Criobolium dicebatur. Hinc etiam intelligitur Martialis epigr. lib. III. pag. 89.

Abſciſſa eſt quare Samia tibi mentula
teſta:
Si tibi tam gratus Baetice cunnus e-
rat?

Caſtran-

Caſtrandum caput eſt: nam ſis licet inguine Gallus,
Sacra tamen Cybeles decipis ore, vir es.

Minucius Felix in Octavio pag. 70. *Quid, qui ſanguine ſuo libat, & vulneribus ſuis ſupplicat, non profanus melius eſſet, quam ſic religioſus? Aut cui exta ſunt obſcœna demeſſa, quomodo Deum violat qui hoc modo placat?* Prudentius Periſt. paſſ. Rom. pag. 210.

At hic metenda dedicat genitalia
Numen reciſo mitigans ab inguine,
Offert pudendum ſemivir donum Deæ
Illam revulſa maſculini germinis
Vena effluenti paſcit auctam ſanguine.

S. Aurelius Victor de Cæſar in Heliogabalo. *Veſtalem virginem quaſi matrimonio jungens ſuo; abſciſſiſque genitalibus Matri ſe Magnæ ſacravit.* Errat igitur celeberrimus Vir Gisbertus Voetius, in Diſputat. ſelect. part. 1. de creatione pag. 675. ſcribens, S. A. Victorem in vita Heliogabali dicere, *quod illa teſta Samia genitalia ſibi præſciderit*; cum

Victor

Victor de *teſta Samia* nihil dicat. *Inter primos autem ſe caſtraſſe fertur Combabus* Syrus formoſus adoleſcens, cum Stratonice uxor Regis Aſſyriæ ejus ſocietati & cuſtodiæ eſſet commiſſa, nam formam ſuam ſibi male ceſſuram, & in fortunium adportaturam ominabatur, quapropter, cum Regina ad novam urbem extruendam profecturus, *membrum virile in capſula ſigillo obſignatum domi reliquit.* Regina interea illius forma & amore exardeſcens, ipſumque de concubitu interpellans, cum ſemper rejiceretur, mentis impos Combabum adulterii tentati apud Regem accerſit: unde cum domum rediiſſet, in carcerem compingitur capite plectendus. Sed abſciſſum pudendum oſtendens vinculis & omni ſiniſtra ſuſpicione liberatur, & maximis opibus, authoritate, & honore à Rege donatur. *Amici autem illius, qui maxime erga ipſum benevolentia affecti fuerunt*, ἐς παραμυθίαν πάθεος *in ſolatium ejus, quod paſſus ille fuit, ejuſdem affectionis ſocietatem ultro ſibi elegerunt, nam & ſe ipſos caſtrarunt. Alii*

autem

autem dicunt, quod Iuno, cum amaret Cambabum, multis caſtrandi cupiditatem in mentem immiſerit, ne videlicet ſolus ille ob amiſſam virilitatem lugeret. Cæterum conſuetudo illa, poſtquam ſemel cæpit, etiam nunc manet, & multi quotannis in templo hoc caſtrantur, ſive emaſculantur, ſive Combabum hoc pacto conſolantes, ſive etiam Ἥρῃ χαριζόμενοι Junoni gratificantes. *Et ita veſtimento virili exuti, indumenta muliebria gerunt, operaque mulierum perficiunt*; ſunt verba Luciani, qui hiſtoriam hanc fuſe in libro de Dea Syria à pagina 762. ad 778. perſequitur. *Sacerdotes* autem hi, *qui Cybelæ genitalia* & *ſanguinem ſuum ſacrificabant*, ut plurimum *Galli* appellabantur. Phædrus lib. IV. fabula I. illud demonſtrat.

Galli Cybeles circum quæſtus ducere
Aſinum ſolebant bajulantem ſarcinas;
Is cum labore, & plagis eſſet mortuus
Detracta pelle ſibi fecerunt tympana.

Martialis Epigramm. lib. 5. pag. 121.

Quem ſectus ululat matris Enthea Gallus.

Mar-

Martialis epigramm. lib. II. pag. 60.

Quæ tibi non ſtabat præciſa eſt mentula Glypte.
Demens cum ferro quid tibi? Gallus eras.

Idem Martialis lib. II. epigramm. 75. *Barbara Gallus erat.* & lib. v. M. Felix in Octavio pag. 60. Prudentius Paſſion. Romani pag. 180. Lucanus lib. I. verſ: 565. *Gallus haruſpex* dicitur à Martiale libr. v. Epigramm. de Tuſco pag. 129. *Gallantes* vocat Varro apud Nonium, & ob effœmminatam mollitiem *Gallos* Catullus eleg. L.XV. p. 113. & 114. Unde eorum ſummus Sacerdos *Archigallus* inſignitur à Scholiaſte Iuvenalis ad Satyr. IX. verſ. 62. Tertulliano Apolog. cap. 24. & Reſurr. carn. *Originem* autem hujus appellationis & nominis exhibet Herodianus libr. I. in Commodo pag. 30. Ἐν δὲ τῷ προειρημένῳ πισσινοῦντι, πάλαι μὲν φρύγες ὠργίαζον ἐπ' τῷ πολαμῷ γάλλῳ παραῤῥέοντι, ἀφ' οὗ τὴν ἐπωνυμίαν φέρουσιν οἱ τῇ θεῷ τομίαι ἱερώμενοι. *In hac, quem diximus, Peſinunte Phryges olim Orgia colebant ad ipſum*

ipſum fluvium Gallum, a quo etiam evirati Deæ Sacerdotes cognominantur Galli. Adde Ovidium Faſtor. lib. IV. p. 78.

Cur igitur, ſi ſe excidere vocamus?
Cum tantum à Phrygia Gallica diſtet humus?
Inter, ait, viridem Cybelen, altaſque Celænas
Amnis it inſana nomine Gallus aqua
Qui bibit inde furit. &c.

Dicebantur etiam *Curetes*; Claudianus lib. II. in Eutropium f. 59. *Coribantes*; Lucianus Deor. Dialog. pag. 31. & 14. Valerius Flaccus libr. VII. Argonaut. verſu 635. Adde Diodorum Siculum lib. III. & V. pag. 323. Strabonem lib. X. pag. 49. Poſidippum in Saltantibus apud Athenæum lib. IX. pag. 376. *Sectus Choribas*; Sidonius Apollinaris Epithalam: Dicti & Hiberiæ verſu 234. & 2354. *Mænades*; Catullus Eleg. LXIV. pag. 114. & 16. Seneca Tragædus in Medea p. 160. *Baceli* & *Bacchæ*; Theophylactus ad Hoſeæ cap. VII. 14. *Idæi Dactyli*; Solinus Polyhiſtor. cap. 17. *Fanatici*; Ulpianus lib. I. Lampridius in

in Heliogab. pag. 155. *Porygeri*; Catullus: *Spadones*; Prudentius Paſſ. Romani in Periſteph. pag. 180. Martialis Epigramm. lib. v. *Evirati*, *Effœminati*, *Abſciſſi*: *Semiviri*, paſſim ab Arnobio. *Exſecti*; Valerius Flaccus Argonaut. lib. VII. verſu 635. *Secti*, Sidon. Apollinaris loco ſupra citato; Homines, *quibus exta obſcœna ſunt demeſſa*; Felix in Octavio pag. 20. ubi *exta* pro *membro virili* ponuntur. *Evirati*; Lucianus Chronoſolon. pag. 954. ὡς ἀγείροιεν τῇ μητρὶ σὺν αὐλοῖς καὶ κυμβάλοις. *Ut jam evirati, Cybelæ matri ſe adjungant cum tibiis ac cymbalis.* *Sed Cinædorum* convitio eos vulnerat Martialis Epigram. lib. IX. p. 224.

I nunc & miſeros Cybelæ præcide cinædos.

Caſtrati etiam vocabantur & *emaſculati*; Lucianus de Dea Syria pag. 776. *Præciſi*; Lampadius in Heliogabalo pag. 155. *Truncati*; Hieronymus lib. 1. in Hoſeam; *Evirati Spadones*; Martialis lib. 5. Epigramm.

Spadone cum ſis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Celæneo,

Quam

Quem ſectus ululat Matris Enthea
Gallus.

Ovidius Faſtor. lib. IV. pag. 74. *Semimares* vocat.

Ibunt ſemimares, & inania tympana
tundent,
Æraque tinnitus ære repulſa dabunt.

Martialis lib. IX. Epigramm. pag. 229. *Semiviros Phryges.*

Cretenſes texere Iovem crepitantibus
armis,
Semiviri poterant qualia ferre Phryges.

Juvenalis Satyr. VI. pag. 53. *Semivirum.*

Et ingens
Semivir obſcœno facies reverenda minori.

Felix in Octavio pag. 60. eodem nomine illos inſignit. *Propter hanc fabulam Galli eam & ſemiviri ſui corporis ſupplicio colunt.* Sic etiam Seneca epiſt. CVIII. pag. 633. *Non aliter concitantur, quam ſolent Phrygii tibicinis ſono ſemiviri, &*

ex

ex imperio ferrentes. Varro, & Apulejus lib. VIII. *Semiviros* etiam vocant. Alius *ſemivirum comitatum* dicit. Ita autem eos deſcribit Prudentius in Paſſione Romani pag. 210.

Mas eſſe ceſſat ille, nec fit fœmina,
Felix Deorum Mater imberbes ſibi
Parat miniſtros levibus novaculis.

Mulieres vocat Catullus in carmine ſæpius jam allegato. Hi *Galli* Sacerdotes erant *muliebri veſtitu induti*; Lucianus de Dea Syria pag. 576. nempe *tunicis albis in modum lanceolarum quaquaverſum fluente purpura depictis*; item *mitellis*, *crocotis*, & *carbaſinis*, & *bombacinis* ſuperbientes, eorum *pedes luteis calceis*. *facies cœnoſo pigmento* ſplendebat, *oculi graphice obuncti erant*; Apulejus Mileſ. lib. VIII. De *mitellis* id eſt *mitris*: *pileis incurvis, quos capiti impoſitos geſtabant*, Juvenalis Satyr. VI. p. 53.

Jam pridem cui rauca cohors, cui tympana cedunt,
Plebeja & Phrygia veſtitur bucca tiara.

Cum

Cum autem *in feſto Cybelæ* ſacra horrenda, & *ſacrificia ſua cruenta peragerent*, *magna hominum vis* undique *fluebat*. Lucianus de Syria Dea pag. 793. *Ad hoc feſtum multi homines adveniunt cum ex Syria, tum ex circumjacentibus oris omnibus, afferuntque, & ſua quique Deorum ſimulacra, & ſigna, quæ ad imitationem illorum ſinguli facta habent*; Crudelem autem *Modum*, quo ſeſe evirabant, & *Cybelæ virilia* ſua & *ſanguinem libabant*, docet Lucianus de Dea Syria pag. 419. *Adoleſcens quicunque ad hoc paratus venit, abjectis veſtibus magna voce in medium progreditur, atque enſem diſtringit. Accepto autem eo continuo ſe ipſum ſecat, curritque per urbem, & manibus ea, quæ reſecuit, portat. In quamcunque autem domum hæc abjicit, ex ea & veſtem fœmineam, & ornatum muliebrem accipit*. Et ſicut Hebræi filios ſuos *cultellis petrinis* circumcidebant, ut explicat Lactantius lib. IV. de vera ſapientia pag. 227. Et Tertullianus, qui in libro contra Judæos illos cultros lapideos *calculi nomine* exprimit; quamvis novaculas & cul-

& cultros acutos inſtrumenta illa, quibus Moſes Exod. iv. 25. & Iſraëlitæ apud Joſuam v. 2. circumciſi leguntur, plurimi interpretentur nempe Rabbini Schelomo Jarchi, Kimchi, & Lexicographi Pagninus, Buxdorfius, atque etiam Munſterus, Tigurinus, Vatablus, Tremellius, Junius, Piſcator, Deodatus aliique; & ſicut *Sephoræ Petra*, quæ primum occurreret feſtinanti, *Præputium Moſi* gnato ſuo *præſecuit*, veluti opinatur Salianus ex Hugone, Abulenſi, Ferrerio, Barradio, & Cornelio. Ita etiam *Diabolus*, ne Deo cederet, nec illo inferior haberetur, *voluit*, ut ſui *Gallantes* etiam *lapidea acie virilia ſua immolarent*, quem cultrum *Samiam* vocabant *teſtam*; Plinius libr. xxxv. cap. 12. *Samia teſta Matris Deum Sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant.* Lucilius lib. vii. Satyr. pag. 40. diſtinct. 1. apud Nonium in Samium, ex emendatione Hadriani Junii.

Hominem vult male habere, ulciſci pro ſcelere ejus.

Teſtam ſumit homo Samiam, ſibique illico telo
Præcidit caulem, teſteſque una amputat ambo.

Martialis lib. III. Epigramm. 80. pag. 89. in Beticum.

Abſciſſa eſt quare Samia tibi mentula teſta?

Juvenalis Satyr. VI.

Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta.

Catullus eleg. 64. *ſilicem* vocat.

Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi
Devolvit illa acuta ſibi pondera ſilice.

Ovidius lib. IV. Faſtor. *ſaxum* nuncupat.

Ille etiam ſaxo corpus laniavit acuto.

Plutarchus in vita Niciæ pag. 531. *Quidam repente in aram inſilit. Inde inſidens ei cruribus utrinque demiſſis* ἀπέκοψεν αὑτοῦ λίθῳ τὸ αἰδοῖον *deſecuit lapide pudenda ſua.* Ritus hic etiam non ignotus fuit Eruditiſſimo, Acutiſſimo, & Celeberrimo Viro Samueli Marcſio, Theologo Polyhiſtori & Principi, Academiæ Gro-

Groninganæ Profeſſori, & Præceptori olim meo reverendo & fideliſſimo, nam in egregio ſuo libro de Refutatione Fabul. Præadamit. pag. 60. ſect. 11. ita loquitur. *Et qui Cybeles fiebant Sacerdotes, genitalia ſibi acuto ſilice reſecabant, ut liquet ex Catullo, de Aty, Plutarcho in Niciâ & aliis*; ad modum Judæorum, quos Petrus Comeſtor in Hiſtor. Schol. refert Fabulari (*ſi modo hæc ſit fabula Judaica*) *circumciſionem, fieri ſolitam uſque Davidis tempora cum petra vel ſilice.* Hic tamen maxime mea ſententia falluntur ii, qui hanc viriliorum membrorum in Gallis iſtis veſanam amputationem cultris petrinis ſive lapideis ſolis eſſe factam autumant, qua opinione nonnullos & quidem ſummi nominis & eruditionis viros afflatos animadverti; Nam *ad hanc immolationem ferrum* ſive *cultros ferreos etiam fuiſſe adhibitos docet.* Lactantius lib. 1. de Juſtitia cap. 9. p. 278. *Quid denique immemores, quod nati ſint, cum fœminis patientia certent, qui ſanctiſſimam quoque corporis ſui partem contra fas omne polluant ac profanent; qui*

virilia ſua ferro metiant, *& quod eſt ſceleratius, ut ſint religionis antiſtites; qui ne vitæ quidem ſuæ parcant*, ſed extinguendas animas ſuas vendant; *qui ſi Judices ſederent &c.* Ex his, quæ ſupra diximus, & omnibus loci hujus circumſtantiis apparet, Lactantium *Gallos* illos furioſos innuere, *qui pudenda ſua amputando ſe ipſos Diabolo immolabant, & publice animas ſuas extinguendas vendebant.* Culter ille etiam à Martiale *ferrum* dicitur lib. 11. Epigramm. p. 69.

> *Quæ tibi non ſtabat, præciſa eſt mentula Glypte,*
> *Demens cum ferro quid tibi? Gallus eras.*

Ita etiam Lucianus in libro de Dea Syria pag. 419. ξίφος *gladiolum* vocat, & in Deorum Dialogo pag. 31. dicit ξίφει τῷ πῆχυν τέμνεται. Claudianus *cultros* hos vocat *Phrygios* in libro primo contra Eutropium fol. 47.

> *Cymbala ferre licet, petuſque illidere pinu,*
> *Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.*

Et

Et Juvenalis Satyr. 11. pag. 11.

Phrygio quos tempus erat jam
More ſupervacuam cultris abſcindere carnem.

Prudentius in Periſteph. Paſſ. Romani Martyris pag. 210. *leves novaculas* appellat.

Felix Deorum mater imberbes ſibi
Parat miniſtros lenibus novaculis.

Horum cultrorum figuram Capuæ oſtendit marmor antiquum, apud Janum Gruterum DCXLII. & hos *ſeceſpitas* Antiquarii appellant. Interim dum ita furioſi illi in propria membra deſtrictis cultris Bacchabantur, *ingenti ululatu clamorum, tympanorum, æreorum, buxeorum, & nolarum omnia perſtrepebant*, reboabant, & fervebant. Ita de hoc Tibullus lib. 1. eleg. 4. pag. 242.

Idææ currus ille ſequatur Opis:
Et tercentenas erroribus expleat urbes,
Et ſecet ad Phrygios vilia membra modos.

Martialis epigram. lib. IX. pag. 316.

Alba minus ſævis lacerantur brachia cultris,

Cum furit ad Phrygios enthea tibia modos.

Diogenes Tragicus apud Athenæum lib. XIV. cap. 9. de *cymbalis* & *tympanis* ita.

Καὶ τοὶ κλύομεν Ἀσιάδος μιτρηφόρους
Κυβέλας γυναῖκας παῖδας ὀλβίων φρυγῶν,
Τυμπάνοισι καὶ ῥόμβοισι καὶ χαλκοκτύπων
Βόμβοις βρεμούσας ἀντὶ χεροὶ κυμβάλων
Σοφὴν θεῶν ὑμνῳδὸν ἰατρὸν θ' ἅμα.

Auditione cognovimus Aſiaticas mithratas
Cybeles fœminas fortunatis ſatas Phrygibus
Tympanorum ære percuſſorum ſtrepitu,
Ac cymbalorum, quæ manibus pulſant, murmure
Frementes ſapientem celebrare ac Medicam Deam.

Lucianus de Syria Dea idem de *tympanis tibiiſque* ſcribit. ἔστι δὲ καὶ ἄλλα πλῆθος ἀνθρώπων ἱρῶν, αὐλητέων τε καὶ συριστέων καὶ γάλλων καὶ γυναῖκες ἐπιμανέες τε καὶ φρενοβλαβέες. Εὖτ' ἂν δὲ τῇ Ἥρῃ καταρχῶνται, ἀείδουσι τε καὶ αὐλέουσι, καὶ κρόταλα ἐπικροτέουσι. *Eſt autem & alia*

alia multitudo hominum ſacrorum, tibicinum videlicet & fiſtulatorum, & Gallorum; & præterea mulieres furibundæ, ac mente captæ. At poſtquam Iunoni primitias celebrant, & voce modulantur, & tibiis canunt, & cymbala pulſant. Hoc idem de *tympanis* adſtruunt Sidonius Apollinaris lib. Carm. v. verſ. 406. Valerius Flaccus Argonaut. lib. VII. de Penthei cæde. Secundus Vetus Poëta in anthologia lib. IV. cap. 12. epigramm. 61. Lactantius Placidius in libr. VIII. Thebaid. Statii p. 222. lib. IX. Æneid. Claudianus lib. I. de raptu. Virgilius in Ceiri v. 166. Valer. Flaccus Argonaut. lib. 2. Sidonius Apollinaris carm. VIII. verſ. 202. Statius lib. II. Theb. v. 663. lib. V. vſ. 94. lib. VIII. vſ. 221. Lucianus de Dea Syria g. 419. & Deor. dialogo p. 31. De *tympanis, buxis & nolis crotalis, clamoribus, orationibus, fiſtulis, & pedum pulſibus* Strabo lib. X. p. 51. Apulejus lib. VIII. pag. 195. 196. Virgilius libr. III. Æneid. Ovidius lib. III. Faſtor. Statius lib. I. Achill. Auſonius epiſt. 25. & fuſe Hadrianus Ju-

nius lib. III. Animadverſ. cap. II. Juvenalis Satyr. IX. verſ. 62. Claudianus lib. I. in Eutropium. Plautus Truculent. ſcen. I. Virgilius lib. IV. Georg. verſ. 64. Ariſtenætus lib. I. epiſt. 10. Ovidius epiſt. Hippol. Sed obiter hic etiam non potui non dicere, quod *nolæ & tintinnabula etiam olim animalibus appendebantur*, ſicut oſtendit Magius in libello de nolis & tintinnabulis. Ubi tamen expreſſe nullos citat Authores, & ſolummodo *elephantum* exhibet *nolam ex collo gerentem*. Aſt ego in pervolvendis Authoribus obſervavi, quod *his tintinnabulis* olim etiam *aliorum brutorum colla* & *corpora fuerint ornata*. Nam *illa jumentis* & *vaccis armentalibus adſcribit* Æneas Commentar. Poliorcet. cap. 27. *Bobis & vaccis* Lex Bajuvariorum titul. VIII. cap. II. §. I. Pontius Paulinus in Natali Felicis III. pag. 56. Caballis Lex Burgundionum tit. IV. §. 3. Leges Logobardorum lib. I. tit. 31. Leges Bajuvariorum tit. VIII. cap. II. §. I. Lex Salica titul. XIX. §. I. & 2. *Equis* Aimoinus lib. III. Hiſtor. Franc. cap. 83. & Paulus

Paulus Æmilius lib. de geſtis Francor. *Mulis* Phoedrus lib. II. fab. 7. pag. 121. *Ovibus* Juſtinianus Imperator in L. L. Georgicis lib. IV. §. 2. *Porcis* Lex Salica tit. XIX. §. 1. & 2. *Canibus* Rufus Avienus lib. VII. *aliiſque animantibus & pecoribus* Clementianus Fortunatus. Sidonius Apollinaris lib. II. epiſt. 2. Lex Bajuvariorum tit. VIII. cap. II. §. 1. Ado Vienn. in Chronic. Harmenopolus prompt. Jur. Civil. pag. 468. vocatur autem *tintinnabulum* hoc à Clementiano Fortunato, in Lege Salica, Lege Burgundionum, & Bajuvariorum *tintinnum*: In Lege Salica *ſquilla*: In Paulo Æmilio *crepitaculum*: & in Avieno *nola*, in reliquis *tintinnabulum*, Κώδωνοι. Sed de his fuſius in opere noſtro de Animalibus pro oblectamento, & in deliciis habitis cum Deo agemus. Sed ad furioſos illos Gallos redeamus. Et non ſolum omnis generis Muſicis inſtrumentis canebant & ſtrepebant: Sed etiam *furioſi iſti homines caput torquere, capillitium, quod prolixum alebant, rotare, totumque corpus circumagere ſolebant.* Teſtan-

tur Lucianus tom. IV. in Deor. Dialog. p. 14. *Alius demiſſa coma per montes fertur inſanus.* Apulejus lib. VIII. p. 196. *Statim abſonis ululatibus conſtrepentes fanatice pervolant. Diuque capite demiſſo cervices lubricis intorquentes motibus, crineſque pendulos rotantes in circulum.* Ælius Lampridius in Heliogobalo p. 155. *Jactavit autem caput inter præciſos phanaticos, & genitalia ſibi devinxit, & omnia fecit, quæ Galli facere ſolent.* Ulpianus lege prima de Ædilitio edicto. *Si ſervus inter fanaticos non ſemper caput jactaret.* Varro; *Tibi nunc ſemiviri teretem comam volantem jactant tibi Galli.* Et Iſidorus lib. VIII. de Ceremoniis ſacrorum Matris Deûm, qui ex ſuperioribus intelligitur. *Quod ſe apud eam jactant, præcipitur, inquiunt, ut qui terram colunt, ne ſedeant.* Per *jactant* enim abſque dubio *capitis, & capillitii* quaſſationem & *jactationem in Gallis illis* innuit. Hinc etiam lux accenditur Prudentio in Periſteph. in Paſſion. Romani Martyris pag. 209.

Furere & rotari jus putatur myſticum,

Parca

Parca ad ſecandum dextra fertur impia. &c.

Nam per *rotari* ejuſmodi jactationem & rotationem capitis & capillitii, ut opinor innuit, de qua præterea conſulantur Tacitus Annal. libr. 11. Terentius Varro apud Nonium in Caſtum. Plutarchus lib. 1. Sympoſ. cap. 6. Claudianus lib. 11. in Ruff. lib. 11. in Eutropium. Lucanus lib. 1. Pharſal. verſ. 565. Non. Marcellius cap. 4. Guilh. Budæus in Pandect. Val. Flaccus libr. VII. verſ. 635. Sic etiam Caſaubonus Exercitat. XIV. §. 9. explicat jactationem comæ & *capitis Sacerdotum Deorum Matris*, & docet, Baronium non intellexiſſe illud Apulei, *multa jactare*, de quo etiam Voſſius lib. 11. cap. 53. *In hiſce*, inquit, *Sacerdotibus ac famulis Deæ Matris, novem iſta præcipue ſpectantur; eviratio, furor, veſtitus multicolor, capitis jactatio, capillorum inunctio, mollities inceſſus, lacertorum ſectio, ululatus, & vaticinium.* Hinc ita Bacchantium instar *bellorum calamitates* ariolari & *vaticinari* ſolebant. Luca-

nus lib. I. de bello Civili pag. 28.

Crinemque rotantes

Sanguineum populis ulularunt triſtia Galli.

Forſitan miraberis, quod *ululare* verbum neutrum & abſque caſu poni ſolitum, hic cum accuſativo caſu conſtruatur. Sed hoc frequens admodum apud Authores Veteres, ſicut in particulari libello de verbis Neutro-Activis & conſtructione utor, fruor, fungor, potior, & veſcor cum Deo demonſtrabimus. Hac vice paucula tantum ex plurimis teſtimoniis Authorum probatorum prægustabimus, & decerpemus. Ita etiam *ululare* Martialis ponit cum accuſativo caſu lib. V. Epigramm. pag. 121.

Quem ſectus ululat &c.

Et Silius Italicus lib. III. *Barbara nunc patriis ululantem carmina linguis*. Et Prudentius Hamartius. *Orbatam propriis ululavit civibus urbem.* Eundem caſum etiam *ardere* poſt ſe habet. Ita enim Virgilius eclog. II. *Formoſum ardebat Alexin.* Horatius Carm. lib. IV. Ode 9. *ſola compios arſit adulteri crines.* Agellius

lius Noct. Atticar. lib. VII. cap. 8. *homines conſpectos arſerunt.* Martialis epigramm. lib. VIII. *Theſtilon ardet Alexin.* Nemeſianus eclog. II. *Formoſum Donacen puer Idas & puer Alcon Ardebant.* Curtius lib. I. *Certamina ardebat.* Martialis Epigramm. lib. II.

Bellas ardere puellas.

Martialis alibi.

Exarſitque dies & hora laſſos.

Sic *expavere*, *aliquem* pro *perterrefacere* ponitur: Seneca epiſt. 85. *Expaventia animalia hominem.* Quod ut inuſitatum & Grammaticæ contrarium cum Lipſius & Muretus concoquere non poſſent, vocem illam reclamantibus omnibus libris rejecerunt; quo qua prior *expavefacientia*, vel *ad occurſum expaventi ea hominem*; poſterior *exterrentia* correxerunt. Sed uterque peſſime; cum *expavere* ita etiam apud Claudianum accipiatur in Paneg. Serm. fol. 160.

Auratam jaculata pilam poſt naufraga ſummi

Otia progreſſum foliis expavit Ulyſſem.

Sic *contremiſco* & *contremo* ad eundem

 modum

modum *cum accuſativo conſtructum* inve-nies apud Tacitum Annal. lib. VI. *Et quidam ſummis honoribus ; contremue-rantque patronos*, id eſt *perterrefecerant*. Cyprianus de ſingular. Clericor. *Qui-bus Apoſtoli omnia vitia tremuerunt.* Sed hæc ſufficiant. Sic etiam cum accuſativo vocem adaquare pro *potare* conſtruit Cy-prianus lib. II. epiſt. 3. *ambulare* idem cont. Demet. & lib. II. adverſ. Judæos. *Acquieſcere* Boethius Conſol. lib. IV. *Me amores amavit* L. Pomponius. *Ca-chinnare* Fulgentius lib. I. Mytholog. *Cœnare* Plautus in Rudent. & Martialis epigramm. lib. X. Juvenalis Satyric. I. *Clangere* Prudentius lib. II. contr. Sym-mach. Cyprianus lib. II. epiſt. 7. *Co-ruſcare* Avitus lib. II. & Warnefridus lib. II. cap. 5. Juvenalis Satyr. XII. Sic *Contendere oculos* L. Afranius Poëta. *Cur-rere* Sidon. Apollinaris de laude Nar-bon. Avitus lib. II. verſ. 117. & lib. IV. verſ. 424. Fortunatus lib. IV. verſ. 204. & 420. *Dolere* Flaccus lib. IV. Argo-naut. Optatus Afer lib. III. Cyprianus lib. II. epiſt. 7. *Enare* V. Flaccus lib. V.

Exſu-

Exſufflare Tertullianus de Idololatr. *Emanare pro emittere* Gregorius P.P. Dial. lib. II. cap. I. *Flere* Juvenalis Satyr. VI. Statius Thebaid. lib. VIII. p. 243. Poſſidius Calamenſis Epiſc. Cornelius Gallus Eleg. III. p. 866. Propertius l. IV. eleg. 12. p. 848. Tibullus l. II. eleg. 8. p. 351. Sidon. Apollinaris lib. III. epiſt. 8. Phædrus lib. II. Fabul. 7. & 2. Boethius de Conſolat. Virgilius Georgicor. lib. IV. Martialis lib. I. Epigramm. Avitus lib. IV. Prudentius Periſteph. Hymn. Eulal. *Flagrare* Damaſus elog. de Agatha Mart. Prudentius lib. II. contra Symmach. Martialis lib. III. Epigramm. *Frendere* Silius Italicus lib. II. *Fremere* Statius Thebaid. lib. VI. pag. 208. *Furiare* Horatius Carm. lib. I. od. 25. *Furere* Statius Thebaid. pag. 231. lib. VII. *Fugere pro fugare* Victor Uticenſis lib. I. Vandal. Perſecut. *Ut Epiſcopos de ſuis Eccleſiis & ſedibus nudos aufugerent.* Id eſt *fugarent*. Ita etiam *fugere* cum accuſativo caſu occurrit apud Martialem Epigramm. lib. II.

Abſciſſa ſervum fugiat quid Pontice lingua?

Et

Et Virgilium Æneid. lib. IX. *Amnis & Adriacas retro fugit Aufidus undas*: *gaudere* cum accuſativo componit Juvencus lib. I. verſ. 175. Plautus Moſtel. Act. I. ſcen. 3. Auſonius in epiſt. ad Patr. *Gemere* pro *deflere* Statius Sylvar. lib. II. p. 6. Juvencus libr. IV. verſ. 25. Ammianus lib. XXI. Paſſio Cypriani. Avitus lib. III. Val. Flaccus lib. V. & I. Cicero Orat. pro Sext. pag. 25. *Congemere* Hieronymus lib. II. epiſt. 18. *Ingemere* Warnefridus lib. I. cap. 20. *Ingemiſcere* Ammianus lib. XIV. pag. 74. Statius lib. IX. pag. 254. Theb. *Hyemare* C. Plinius Hiſtor. lib. XIX. cap. 4. *Hiare* Propertius lib. II. eleg. 23. *Hiſcere* Idem libr. III. eleg. 2. *Inſanire* Idem lib. II. eleg. 25. *Intonare* Valer. Flaccus lib. III. *Ire* Martialis lib. VII. Fortunatus libr. V. verſ. 361. Avienus fab. XI. Nemeſianus in Cynoget. Juvenalis Satyr. XIV. *Lacrymare* pro *deflere* Julius Capitolinus in Pertin. pag. 80. Venantius de *Paſchate*. *Illacrymare* V. Flaccus lib. V. *Collacrymare* Cicero pro Sext. pag. 45. *Livere* Apollinaris *Pa-*

neg.

neg. In Auteni. *Lugere* Seneca Coſol. ad Marc. cap. 14. *Elugere* Gellius lib. VI I. cap. 5. *Ludere* Nemeſianus eclog. 1. Martialis Epigramm. lib. XIV. *Inſonter luere* Flaccus lib. III. *Lymphare* Flaccus lib. III. *Maturare* Virgilius Georg. libr. I. Tibullus libr. I. eleg. 4. *Madere* Ovidius. *Mejere* Martialis lib. XI. *Merere pro deflere*; Avitus lib. V. Valerius Flaccus. *Nidum migravit* Gellius lib. II. cap. 29. *Nauſeare* Phædrus lib. I. Fab. 4. *Natare* Propertius lib. I. eleg. 25. Martialis lib: XIV. *Peccare* Plautus Bacchid. act. III. ſcen. 3. *Plangere* Statius Thebaid. lib. VI. pag. 206. & VII. 233. Cyprianus lib. II. epiſt. 6. Flaccus lib. III. Propertius lib. II. eleg. 19. Avitus lib. V. *Pluere* Paul. Diaconus de Benedicto Patre. T. Livius lib. XL. pag. 892. Fortunatus lib. I. verſ. 92. Irenæus lib. IV. cap. 7. Avitus lib. III. v. 52. Feſt. Ruf. Avienus ſab. IV. Prudentius Periſteph. Laurent. Venantius de part. Virg. verſ. 49. *Impluere* Plautus Moſtel. Act. IV. ſcen. I. *Plorare* Juvenalis Satyr. XIV. *Plaudere*

P. Sta-

P. Statius in Epithalam. Violant. & in Epicedio Patris. Perſius Satyr. VI. *Properare* Tibullus lib IV. eleg. 4. & Tacitus alibi. *Prandere* Plautus Pœnul act. III. ſcen. 5. *Pallere* Propertius lib. I. eleg. 15. *Pullulare* Cyprianus de Singul. Clericor. Fulgentius Mytholog. lib. I. *Remeare* Ammianus lib. XVII. *Repedare* Fortunatus lib. IV. v. 333. *Reſiſtere* Valer. Flaccus lib. III. *Reſidere* Plautus Captiv. act. III. ſcen. I. *Reſultare* Prudentius in Periſteph. *Requieſcere* Propertius lib. II. eleg. 25. *Rorare* Fulgentius Mythol. lib. I. *Eremigare* Silius Italicus lib. XIV. fol. 145. *Ruere* Terentius Adelph. act: III. ſcen. 2. Virgilius lib. XII. Æneid. Val. Flaccus lib. III. Statius lib. IX. pag. 255. Thebaid. *Sagittare* Albricus de Deor. Imagin. *Scatere* Plautus in Perſa act. II. ſcen. I. *Sibilare* Fulgentius lib. III. *Stillare* Avitus lib. III. v. 52. *Sudare* Martialis Epigramm. lib. X. *Tendere viam.* Statius Thebaid. lib. VI. pag. 204. *Triumphare* Lactantius lib. III. vita *P*atrum. Trebellius *P*ollio pag. 290. *P*rudentius Hamartig.

imarrig. & *Periſteph.* Laurentii. *Timere* Statius Thebaid. pag. 246. lib. VIII. *Vigilare* Martialis lib. XII. Epigramm. *Pervigilare* Propertius lib. I. eleg. 15. *Plura* alia exempla & Authores adduxiſſem, & adductorum ſupra Scriptorum verba exhibuiſſem, niſi inſtituti noſtri ratio, & timor, ne deviatione hac Lectoris patientia abuterer, & faſtidium crearem, propoſitum meum ſufflaminaſſem. Ad Gallos igitur redeamus. Egregie autem totam hanc furentem Gallorum ſcenam aperit Babria apud Tzetzam Chiliad. XIII. cap. 475.

Γάλλοις ἀγύρταις εἰς τὸ κοινὸν ἐπράθη,
ὄνος τις οὐκ εὔμοιρος, ἀλλὰ δυσδαί-
μων
Οὗτοι δὲ κύκλῳ πᾶσαν ἐξ ἔθους κώμην
Περιιόντες ἔλεγον, τίς γὰρ ἀγροίκων
οὐκ οἶδεν Ἄττιν λευκὸν, ὡς ἐπηρώθη,
Τίς οὐκ ἀπαρχὰς ὀσπρίων τε καὶ σίτων
Ἁγνῷ φέρων δίδωσι τυμπάνῳ ῥέης,
εἰς ὄνον θέλες εἴδωλον θεᾶς αὐτῶν τῆς
ῥέας.

A Gallis circulatoribus in commune emptus eſt

Aſinus

Aſinus quidam, non fortunatus, ſed infœlix.
Iſti autem circum omnem de more vicum
Circumeuntes dicebant, quis enim ruſticorum
Non novit Attim album, quomodo cæcus factus eſt?
Quis non primitias leguminum atque frumentorum
Pûro ferens dat tympano Cybelæ?
In aſinum ponentes ſimulachrum Deæ ſuæ Cybelæ.

Miror autem, quod, ni fallor, Faber in notis ad *Phædri* Fabul. 1. lib. IV. pag. 222. Natalem Comitem magnis laudibus extollat, ac ſi hoc fragmentum eruditus orbis ei deberet. Ita enim loquitur. *Egregie vero rem totam deſcribit Babrias in μυθικοῖς; quod fragmentum Babriæ debemus Natali Comiti: Nullibi quippe quod ſciam exſtat, prætærquam in ipſius Mythologia. Plura eum habuiſſe ejuſdem veriſimile eſt, atque fieret aliquando, ut prodiret Babrias.* Nam fragmentum hoc apud Tzetzam exſtare vidimus,

dimus, ex quo ſine dubio ſuppreſſo Authore deſcripſit Natalis Comes. Et cum Tzetza non accuratus in omnibus Scriptor fuerit, & in citandis Authoribus aliquando quædam adjiciat, quæ ipſi citati Authores non habent (ſicut alibi oſtendimus) ſuſpicor apud ipſum in ſuperiori loco pro Babria corrigendum Gabria. Hic enim Mythologus Græcus librum fabularum conſcripſit, in quo fabula VI. hoc modo loquitur.

Ὤμοις ὄνος παρῆγεν, ἀργυροῦν βρέτας
Ὅπερ συναντῶν πᾶς τις ὢν ἐπροσκύνει
Τύφῳ δ' ἐπαρθεὶς, μὴ θέλων μένειν ὄνος
Ἤκουσεν, οὐ θεὸς σὺ, τὸν θεὸν δ' ἄγεις.

Humeris aſinus geſtabat ſimulacrum argenteum,
Quod unuſquiſque occurrens adorabat.
Superbia vero elatus, nolens manere aſinus
Audivit: non es Deus, ſed fers Deum.

Hic aſinus fortaſſe ſimulachri Deæ Cybelæ fuit mannulus et gerulus, licet illud à Gabria non expreſſe dicatur. Nam aſino ſemiviri Galli Deam Phrygiam ſemper circumducere ſolebant, ſicut præter Babriam

Babriam à Tzetza citatum docet etiam expreſſe Apulejus lib. VIII. pag. 194. 195. 196. Phædrus lib. IV. fab. I.

Galli Cybeles circum quæſtus ducere Aſinum ſolebant.

Nec mihi & huic opnioni aliquo modo obſtat, quod Gabrias θεὸν dicat, adeo ut innuere videatur, ſimu lachrum illud non Deæ ſive Cybelæ, ſed Dei alicujus fuiſſe. Nam Dea Cybele ſive Dea Phrygia ab Auhoribus ut hermaphroditus depingitur, & à Plutarcho etiam in libello de Superſtitione pag. 170. θεὸς vocatur, ſicut alibi nempe in libro primo cap. IX et libro Secundo cap. II demonſtravimus. Tunc autem pro τ̃ θεὰν in Gabria ex Plutarcho corrigi poteſt τ̃ θεόν. De reliquis horum cruentorum ſacri ficiorum, quæ à Gallis adminiſtrabantur, ritibus Dionyſius Halicarnaſſeus lib. II. pag. 230. Tertullianus in Apologia cap. 13. Apuleus lib. VIII. pag. 331. Lucianus de Dea Syria paſſim, et in Nigrino pag. 69. aliisque in locis, aliique Authores ſcribunt et conſulantur.

CAP.

Cap. II.

Sanguinem ſuum ex corpore provocatum Galli libabant Cybelæ. Pſalmus XVI. Tertullianus, Minucius Felix et Cyrillus explicantur et illuſtrantur. Propheta Hoſeas, Seneca, & 1 Reg. XVIII. 28. illuminantur. Bellonæ Sacerdotes Bellonæ ſanguinem ſuum offerebant, Bellonæ nomen & proprietates. Explicantur Gellius, Ennius. L. Imbrex, & Varro. Tertullianus a correctione Salmaſii vindicatur, illuſtratur, & explicatur. M. Felix, Martialis, Lampridius, Theodoritus, & Dion Caſſius illuſtrantur. Bellonariorum ſanguineas libationes & inciſiones imitati Brachmannes, Dervis, Peguani, Americani, Mahumetani, & Cingari. Capitul. Karoli lib. I. [illegible] 59 explicatur. Virgines Diabolo virginitatis ſanguinem libant; nota virginitatis. Deuteronom. cap. XXII. vers 17. Claudianus & Auſonius illuſtrantur.

S*Ecundus Modus libationis ſanguinis humani Diabolo oblati fiebat per propriorum corporum inciſionem & vulnerationem ferro peractam.* Nam fanatici *Galli* non ſolum pudendorum ſuorum præciſione Deam *Cybelen* adorarunt, ſed etiam illi *ſanguinem ſuum* ſecantibus cultris & gladiis ex corpore provocatum *libaverunt*

baverunt; ſicut *Bellonarii* & Bellonæ Sacerdotes eodem modo *cruentis inciſionibus Deam illam* olim *venerati fuerunt*. Has Diabolicas immolationes, cruentasque inciſiones & libationes innuere videtur Pſalmiſta pſalm. XVI. verſu. 4. *Non ſum libaturus libamina iſtorum ex ſanguine.* Et Tertullianus.

Lacerant corpus fundúntque cruorem
Quale ſacrum eſt vero quod fertur nomine ſanguis.

Minucius Felix in Octavio pag. 50. *Qui ſanguine ſuo libat, & vulneribus ſuis ſupplicat*; & tandem Cyrillus qui in Ezaiæ. XV. cap. ſcribit. *Idolorum cultoribus ſolenne fuiſſe cruentas inciſiones cum brachiis inferre.* Quæ quatuor ſuperiora loca inter ſe collata, valde ſe invicem illuſtrant, & ſine dubio indicant cruentas illis *inciſiones* juxta Cyrillum, ſive *ſacrum ſanguinis*; ſecundum Tertullianum, ſive, ut Pſalmiſta & Felix ſcribunt, *ſanguinis libamina* per vulnerationem propriorum brachiorum & corporum à *Gallis Deæ Cybelæ*, & à *Bellonariis*

Bellonæ

Bellonæ libata & oblata; ſicut clare ex illis, quæ in hoc capite infra dicemus, patebit. Nam primo *cruenta Gallorum Sacra & ſacrificia in honorem Deorum Matris facta* quod attinet; (quæ antiqua admodum fuerunt, ſicut ſupra ex Pſalmiſta noſtro, infra vero ex Oſea & 1 Regum capite decimo octavo colligere poſſumus.) de illis Theophylactus ad Oſeam cap. VII. vers 14. ait. *illo in loco damnari illos Iſraelitas*, qui *ſectiones faciebant in gratiam Dæmonum, pectora & brachia diſpungentes*; vel ſic damnari, quod apud gentes *Rheæ matris Deûm cultores* factitabant, *qui à tibiarum cantu ad inſaniam acti* ſe ipſos diſſecabant, *genitalia ſibi membra auferentes; qui Baceli & Baccbæ dicebantur.* Ita autem Hoſeæ ipſius verba ſe habent. *Neque inclamarunt me ex animo ſuo, quum ejularent in cubilibus ſuis: quum propter frumentum & muſtum congregantes ſe defecerunt à me.* Notæ marginales ad Biblia noſtra Belgica: *alias ſibi ipſis inciſiones facientes*; loco *congregantes ſe*. Quæ interpretatio *de inciſionibus* authoritate Theophylacti in-

 ducta

ducta mihi magis arridet, & unicuique, ut opinor, veriſimilior videbitur, qui accurate legerit & penſitaverit ea, quæ in libro primo cap. XIV. diximus de victimis humanis eum in finem immolatis, ut annum muſto & frumento aliisque rebus feracem & fertilem à Deis ſuis obtinerent. Videtur etiam Hoſeas ejuſmodi cruentas libationus, aut potius humanarum victimarum immolationes innuere in cap. VI. verſu 8. In *Gilbade urbs erat operantium iniquitatem veſtigiis ſanguinolentis*. De *Gallorum* autem *cruentis ſacris & inciſionibus* ita etiam Lucianus in Lucio ſive Aſino pag. 381. *Quidam qui rei ſacræ præerat cum veſtitu Deo plenus aliquo proſiliiſſet verba, reliqui multa projecta capita ſubtus gutture ligantes, enſibus brachia feriunt, linguam inſuper foris dentes extenſam quiſque incidit, ut brevi tempore omnia ſanguine manarent. Eo pacto cum ſanguinem ſibi eduxiſſent, drachmas & obolos a circumſtantibus colligunt: Alii caryicas præbent, & vinum, caſeique fiſcellas: alii medimnos tritici, atque hordeum in aſini cibum.* Idem Lucianus de

nus de Dea Syria pag. 419. *Galli autem frequentes, & ij quos dixi, homines ſacrati peragunt ſacrificia, vulnerantúrque cubitibus*, Vide etiam paginam 751. ejuſdem libri. Docet Apulejus lib. VIII. Mil. pag. 196. *Brachiisque ſuis homero tenus denudatis attollentes immanes gladios ac ſecures evantes exſiliunt, incitante tibiæ cantu lymphaticum tripudium.* Mox. *Et nonnunquam morſibus ſuos incurſantes muſculos; ac poſtremum ancipiti ferro, quod gerebant, ſua quiſque brachia diſſecant.* Prudentius Periſt: paſſio Rom. pag. 229. idem teſtatur.

Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
Sectiſque Matrem brachiis placat Deam.

Propertius lib. II. eleg. 18. p. 606.

Cur aliquis ſacris laniat ſua brachia cultris?
Et Phrygis inſanos cæditur ad numeros?

Martialis Epigrammatum lib. XI. pag. 316.

Alba minus ſævis lacerantur brachia cultris,

Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.

Statius lib. x. Thebaid. v. 146.

Sic Phryga terrificis genetrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumptaque brachia ferro
Scire vetat, quatit ille ſacras in pectora pinus
Sanquineosque rotat crines.

Seneca Tragædus in Media. pag. 160. hinc intelligitur.

Tibi nudato
Pectore Mænas ſacro feriam
Brachia cultro.

Sed quid jam dicemus de *facto* illo *Sacerdotum Baalis*, qui in illum votis ſuis *propitium redderent*, & ad futurum *precum exauditionem inflecterent*, quo victoriam ab Elia reportarent, *ſe gladiis & ſpiculis adeo inciderunt*, ut totos ſe ſanguine perfunderent; ſicut legimus 1. Reg. XVIII. vers 28. &c.? Ad loci hujus explicationem neceſſe habemus breviter argumenta illa repetere, quibus in capite nono libri primi probabiliter ſaltem concluſimus,

cluſimus, quod *Baal* ille, quem Apoſtolus Paulus in Epiſt. ad Rom. cap. 11. verſ. 4. cum articulo fœminino τῇ Βάαλ expreſſit, fuit *Venus*, & quidem *Hermaphroditus*. Probavimus autem illud *primo* hoc argumento. Quod Sabæi *Venerem Beltam*, Plutarchus vero *Baltam* nominaverit, ſicut oſtendimus pag. 134. & 135. *Secundo*, quia *Venus* ut *hermaphroditus* deſcribitur à Richardo Veſtergang, & ab Ariſtophane in genere maſculino Ἀφρόδιτος, à Zygabeno in Panoplia operis noſtri pag. 138 cum articulo maſculino τῷ Ἀφροδίτῃ, à Macrobio *Deus Venus*. Tum præterea: *Primo*; quod *ſtella Lucifer*, qui generis maſculini eſt, *fuerit Veneris ſtella*, & *ipſa Venus*, ut oſtendimus pag. 139. ex Cicerone & Varrone: Unde etiam hodie adhuc in multis Friſiæ locis inſanæ ruſticæ corpus & faciem ſuam ad Luciferum convertere, eumque carmine aliquo adorare ſolent, cum amaſium expetant, eumque ſibi oſtendi geſtiant, ſicut ipſe ut oculatus teſtis ea de re teſtari poſſum. *Secundo*;

cundo; quia & *Luna genere hermaphroditico*, maſculino & fœminino deſcribitur apud Spartianum in Caracallo pag. 130. in lingua Arabica, Strabone lib. XII. Luciano tom. IV. Philopat. pag. 480. quæ *Luna ipſa Venus fuit*; ſicut oſtendimus ex Philochoro. *Tertio*, quia *Urania* etiam *hermaphroditus* & dubii ſexus fuit, & maſculino atque fœminino genere delineatur à Salviano lib. VIII. Herodoto. Hanc quidem hæretici in Judæis *Reginam Fortunam cœli* dicebant, juxta Philaſtrium Brixienſem in Catalogo Hæreſium. Spartianus vocat in triginta Tyrannis *Deam Cæleſtem*, & Tertullianus. Hæc autem *Urania* etiam *ipſa Luna atque Venus erat*, veluti demonſtravimus ex Macrobio lib. I. cap. 17. & Herodiano lib. V. *Quarto*, quod *Dea Syria* (quæ & *Cybelæ* & *Rhea* fuit vocata) etiam *Androgynus fuerit*, quæ maſculino genere depingitur à Plutarcho de ſuperſtitione pag. 170. *Hæc* vero prædicta *Numina*, nempe *Luna*, *Urania*, *Dea Syria*, *Rhea*, quibus addi debent, *Ceres*, *Juno*, *Iſis*, & *Diana*,

non

non fuerunt variæ atque diverſæ Deæ, ſed una *eademque Dea*, ſcilicet *Venus* etiam, ſicut indicavimus ex Apulejo lib. 12. pag. 841. & 842. Luciano de Dea Syria pag. 782. Timæo Locro, Hygino lib. II. Aſtronom. Plinio lib. II. cap. 8. Adde Diodorum Siculum lib. II. pag. 11. & 14. ex quo etiam colligere potes *Iſidem & Cererem fuiſſe Lunam*, & per conſequens *Venerem*. Deinde probatur; quod *Sol*, qui generis maſculini ſine dubio eſt, & *Baal* ab antiquis fuit dictus (ſicut diximus pag. 68.) *fuerit Androgynus*, & *Venus illa hermaphroditus*; idque his argumentis. *Primo*; quia ſicut *Venus illa barbata deſcribitur* à Suida, & Macrobio lib. III. cap. 8. Ita etiam *Sol cum barba delineatur* à Luciano de Dea Syria pag. 785. cum vulgo imberbis depingatur; teſtibus Fulgentio, Nonno lib. XL. Germanico Cæſare, Luciano, Callimachio & Arnobio: vide pag. 121. *Secundo*; quod *Venus mithra fuit vacca*, ſicut probavimus pag. 122. & 123. & 126. ex Menæis Græcorum, Herodoto, Curtio, & Statio *Mitra*

cornua attribuente, *quæ propria Lunæ fuerunt* juxta Sedulium Scotum libr. I. Lucanum lib. V. Valerium Flaccum lib. IV. atque etiam *Iſidi* juxta Diodorum Siculum lib. II. pag. II. quæ *Iſis*, ut ſupra vidimus, *Venus* fuit. *Mitra* autem *Sol fuit*; ut videre licet pag. 75. & 76. ex Firmico, Strabone, Heſychio, Inſcriptionibus, Tertulliano, Menæis Græcorum, Pomponio Læto, Luctatio Placidio, Hieronymo, Porphyro, & Eubulo. *Tertio*; quod & *Venus Iſis & Apis, qui fuit Sol* ſive *Mithra, ſub tauro fuerint culti*, unde *Apis* ſive *Mitra Iſeus* quoque *vocatur*: vide pag. 124. & 125. ubi ad hoc citantur Ovidius, Lucianus, & Martianus Capella. *Quarto*; quod *Dea Venus illa, Luna, ſive Dea Syria fuit Pan*: ex Herodoto lib. VI. Luciano de Dea Syria pag. 792. Philoſtrato in Vita Apollonii libr. I. cap. 7. Strabæo Sermon. XLII. pag. 306. vide pag. 127, 128, 129. prioris libri: qui *Pan fuit Iupiter* juxta Herodotum lib. II. vide pag. 130. & *Iupiter Sol* ex Macrobio lib. I. cap. 17.

& Mar-

& Martiano Capella. Et (quod denique ad confirmationem meæ opinionis pertinet;) *hic Iupiter* ſive *Sol fuit generis communis*, tam *maſculini*, quam *fœminini*, atque adeo *hermaphroditus*; ex Apulejo de mundo pag. 25. Imo *fuit* etiam *Venus Dagon*; ex Euſebio p. 132. & ſimpliciter *Venus*; cum *columbæ*, & *Apollini*, & *Iovi*, & *Veneri olim fuerant ſacra*. Ex Euripide in Jonibus; Apollodoro libr. 1. pag. 60. *Apollonio* Rhodio lib. 1. Argonaut. Nonno Dionyſ. lib. XIX. Anacreonte; *Prudentio* lib. 11. Apollonii Rhodii Scholiaſte lib. 111. Argonaut. vide pag. 133. & 134. Ex quibus omnibus prædictis argumentis probabiliter ſaltem concluſimus *Apoſtolum Paulum per Baal intelligere Venerem Hermaphroditum* (quæ numina utriuſque ſexus appellatione & proprietate pollentia Deos *Arſenothelys* appellant.) Vidimus & probavimus igitur in ſuperioribus *per Baalem* etiam poſſe intelligi & explicari *Deam Syriam* ſive *Rheam*, *quæ eadem fuit cum Cybele* juxta Philippum Beroaldum in Commen-

tar. ad Apuleji lib. VIII. quæque numen unum eſt, quod multijugis nominibus orbis venerabatur, & cœtera numina fœminea ſub ejus nomine comprehendebantur; ſicuti Deum unum Philoſophi crediderunt, qui variis nominibus ab imperito vulgo efferebatur. vide Auguſtinum de Civitate Dei lib. XIV. Veriſimile igitur eſt, *quod hic ſanguis Sacerdotum Baalis* (de quo 1 Reg. XVIII. 28.) *per inciſionem iſtam profuſus fuerit litatus Deæ Syriæ, quæ eſt Cybele & Aſtarte*, ſive ἡ βααλ, *& Venus Deus barbatus Romanorum*; ſicut capite ſupra dicto probare tentavimus. Quæ mea ſententia ex eo etiam probabilis videtur, *quod omnes hæ inciſiones è Syria & Syris* (ſub quibus Judæi antiquitus à Geographis fuerunt comprehenſi) *originem ſuam duxerint*, & *in honorem Deæ Syriæ ſive Cybelæ*, quæ à Syris ſive Phœnicibus præcipue colebatur, *factæ fuerint*. Et nullibi in Sacra Scriptura legimus, alii cuipiam Deorum aut Dearum expreſſe ejuſmodi ſanguinem gladiis & inciſionibus ex corpore extractum,

ctum, libatum fuiſſe, niſi ſoli *Baali*, quod nomen in Sacra Scriptura, & *Venerem Deum Harmaphroditum*, ſive *Deam Syriam atque Cybelen* denotat, & inſuper etiam *Solem*, qui à Phrygibus nomine Attys colebatur, qui à Dea Syria exſectus fuiſſe legitur in prioribus. Igitur hic concludere poſſumus, veriſimile videri, *has inciſiones Sacerdotum Baalis, ſanguiniſque profuſiones Deæ Phrygiæ ſive Cybelæ*, aut *Atydi* ſive *Soli ejus amaſio fuiſſe oblatas & conſecratas*; ſed de Sole nuſquam legimus, quod in ejus honorem ejuſmodi cruentæ libationes factæ fuerint, ergo hinc ſequeretur, *Deam Syriam* ſub nomine *Baal* 1 Reg. XVIII. intelligi, quæ *ejuſmodi modo* à *Sacerdotibus* ſuis *culta eſt*. Eadem ſævitia, qua inſanientes Galli, etiam in propria vulnera & corpora ſtrictis mucronibus ruere, *ſanguinemque ſuum ita oblatum Diabolo propinare* conſueverunt *Deæ Bellonæ Sacerdotes*, ejuſque horrendis myſteriis initiari. Hunc Æthiopicorum *Deam Bellonam inter Deos communes collocat* Servius ad verſ. 698. lib. VIII. Æ-

neid. Grammatici vel *ſororem Martiam* faciunt; Luctatius Placid. ad verſ. 155. lib. v. Theb. Statii. vel *aurigam*, Virgilius lib. VIII. Æneid. vel denique *uxorem*, teſte Statio Thebaid. lib. VII. pag. 218. quam ſuſpicor *Nerienem* vocari apud Gellium lib. XIII. Noct. Atticar. Sic Q. Ennius I. Annal. *Nerienem Mavortis.* Et M. Plautus in Truculento.

Mars proprie adveniens ſalutat Nerienem
Uxorem ſuam.

Licinius Imbrex Vetus Comicus in Neæra.

Nolo ego Neæram te vocent ſed Nerienem,
Cum quidem Marti es in connubium data.

Ejus & mentio apud Varronem in Satyra Menippea, cui titulus σκιομαχία. Contrarium ei Numen erat Pauſus, quod quies & otium, cui ille præeſt, bello adverſetur. Turnebus lib. XV. cap. 21. Si plura de hac Bellona ſcire lubet, conſule Demſterum ad cap. X. lib. IV. Antiquita-

liquitatum Romanar. Rosini pag. 304. 305. *Sacerdotes* igitur *ejus*, *qui ſuo cruore proprio ſacrificantes*; Lacertosque & humeros ſuos diſſecantes, currebant & inſaniebant, *Bellonarii* vocabantur, & *fanatici*, quod in fanis & circa fana de mente amoverentur & furerent. Noti etiam erant nomine *Comatorum*; Valerius Flaccus.

Bellonæ velut incitat ira Comatos.

Ubi perperam *Comanos* legunt, à *Comanis* Cappadociæ urbe, in qua vetuſtiſſimum & celeberrimum Bellonæ templum fuit. *Capillatum Bellonæ* legitur in veteri inſcriptione. Nam hi *Bellonarii capillum alebant* & promittebant, quem cum furore correpti populorum clades, & urbium Strages, & regnorum everſiones vaticinarentur, *vento ventilandum effundebant*, ſicut omnes fanatici & harioli ſolebant. Vide Senecam in Hercule furente; Calixenum Rhodium lib. IV. Juvenalem lib. II. Satyræ. 6. Anaxandridem apud Athenæum p. 481. Ovidium Epiſtola x. Nonium Marcellum cap. IV. Lucanum lib. I, verſ. 565.

Ulpianum lib. I. ad edictum Curulium. Calliſtratum in Statuis. Pacuvium in Teucro. Alcæum in Epigramm. Tibullum lib. II. eleg. 5. Tryphydorum in Ilii excidio; alioſque brevi cum Deo indicandos, cum tractatum noſtrum de capillitio ſuperſtitoſi in lucem emiſerimus. Nam & ipſa *Dea comata* & cum *face* armata depingebatur. De *cruentis* horum *Bellonariorum furioribus* & *libationibus* Tertullianus in Apolog. cap. IX. p. 826. ita loquitur. *Hodie iſtic Bellonæ ſacratus ſanguis de femore proſciſſo, & in parmulam exceptus, ſuis datur ſignatis.* Incomparabilis Salmaſius ex veteribus codicibus corrigit. *Hodie iſtic Bellonæ ſacratus ſanguis de femore proſciſſo in palmulam exceptus, & ſuis datus ſignat.* Jacobus Pamelius in veteribus codicibus etiam *palmulam* inveniri author eſt; ſed Eruditiſſimus Demſterus ex M. S. Codice *parmulam* retinet, cui adſtipulatur Beatus Rhenanus, & ego ei opinioni album calculum appono. Nam cum *Bellona* ipſa parma inſtructa depingeretur apud Claudianum lib. IV. Honorii Conſulat.

fulm. & Statium Thebaid. lib. VIII. pag. 245. veriſimile eſt eodem ornatu & armatura ejus Sacerdotes & Myſtas ſuperbiiſſe. Ad opinionem meam de parmulis confirmandam adduci poſſet Theodoreti Hiſtor. Eccleſ. lib. v. caput xx. *Toto igitur tempore ipſius imperii & in aris ignis ardebat, & ſimulachra libationibus & ſacrificiis honorabantur, & initiati orgiis Bacchi cum parmis curſitabant, canes diſcerpentes, inſanientes, bacchantes, peragenteſque & alia, quibus illorum nugaciſſima feſta celebrabantur.* Licet non negem, hunc locum Bacchantibus Bacchi miniſtris & Curetibus applicari poſſe, nam *Curetas* ita *cum parmis* deſcribit P. Statius lib. VII. pag. 220.

Quod ſi ille tuos Curetas in arma
Ducat? & innocuis jubeat decernere peltis?

Tamen diſceptari poteſt, an non his ſuis verbis inſanientes Bellonarios innuat, cum Lactantius infra citatus idem Bellonariis adſcribit, quod hic de Bacchi initiatis dicitur, nempe quod *curſaverint* & *inſanierint*. Quod ex eo etiam magis veriſi-

veriſimile eſt ; tam quod eodem ſupplicii genere nempe propriorum corporum vulneratione atque ſanguinis libatione, & Bellonarii & Curetes ſive (quod idem eſt) *Bacchi initiati* Deam Syriam & Bellonam honoraverint, quam quod Curetes, Bacchi initiati, & fanatici Galli Bellonam & Bacchum etiam ſimul cum Cybele pro Dea ſua coluerint. Apparet ex Apulejo libr. VIII. pag. 195. Ubi ejuſmodi Gallus ita in aliquem maledictis detonat. *At te omnipotens & omniparens Dea Syria, & ſanctus Sabazius, & Bellona, & mater Idæa, cum ſuo Adone Venus Domina cæcum reddant.* Per *ſanctum* enim *Sabazium* intelligi *Bacchum* infra in capite x. videmus. Præterea etiam patet ex loco Tertulliani ſupra indicato, quod *extractum femoribus ſanguinem ſibi invicem Bellonarii propinare conſueverint, ut ſignaret*, id eſt, *ut eſſet ſacramentum* & *ſignum quo ſe Deæ ſuæ & ſibi invicem obſtrictos & fœderatos* eſſe *ſignarent*, & ſignificarent, de quo ſacramento & fœderis ineundi cruento modo ſupra fuſius diſſeruimus. Eodem

modo

modo & ſignificatione vox ſignare ponitur ab Irenæo lib. 1. Hæreſ. cap. 24. ubi ita de Carpocratis Diſcipulis loquitur. *Alii vero ſignant cauteriantes ſuos ſemper Diſcipulos.* Quod in Tertulliano *ſignare*, hoc in Minucio Felice τὸ *imbuere*, ut opinor, *denotat*; unde illi ex Tertulliano haud exiguum lumen præbetur: ſic enim loquitur in Octavio pag. 21. *Bellonam ſervum ſuum hauſtu humani cruoris imbuere.* De iiſdem *Bellonariorum* fanaticorum ſanguineis *ſacris* ita etiam Lactantius lib. 1. cap. 21. pag. 56. *Quorum ſacrorum alia ſunt virtutis; quam eandem Bellonam vocant: in quibus ipſi Sacerdotes non alieno ſed ſuo cruore ſacrificant. Sectis namque humeris, & utraque manu diſtrictos gladios exerentes, currunt, efferuntur, inſaniunt.* Idem docet Vetus Scholiaſtes Juvenalis ad Satyr. VI. pag. 105. *Sergiolum nomine ex gladiatore adamavit, qui & Ludor dictus eſt, quia ſit diu demoratus in ludo, qui ut requiem gladiaturæ haberet, Bellonarium ſe fecerat, quo mos eſt in talibus ſacris Lacertos ſuos ſecare.* Idem

Poëtæ

Poëtæ innuunt. Prudentius in Romano Martyre.

Cultrum in lacertis operit fanaticus.

Lucanus lib. I. verſu 565.

Quos ſectis Bellona lacertis
Sæva movet.

Tibullus lib. I. eleg. 7. pag. 260.

Sic magna Sacerdos
Eſt mihi divino vaticinata ſono.
Hæc ubi Bellonæ motu eſt agitata, nec acrem
Flammam, non & amans verbera torta timet.
Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuſo ſpargit inulta Deam.
Statque latus præfixa veru, ſtat ſaucia pectus:
Et canit eventus quos Dea Magna monet.

Martialis Epigramm. lib. XII. pag. 341. ita explicandus.

Nec turba ceſſat entheata Bellonæ.

Q. Horatius lib. II. Satyr. 3.

Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

Immu-

Immutata poſtea hæc conſuetudo fuit, & *ſimulata tantummodo membrorum ſectio.* Illud demonſtrat Ælius Lampridius in Commodo pag. 72. *Bellonæ ſervientes vere exſecare brachium præcepit ſtudio crudelitatis.* Obſerva vocem Lampridii *vere.* Nam ex illa diſcimus, plerumque ficta & *ſimulata fuiſſe vulnera Bellonariorum.* Hi autem ita ſæviendo & furendo *imminentes urbium* & *imperiorum ruinas* vaticinabantur. Sicut docet Tibullus ſupra citatus & Lucianus lib. I, pag. 28.

Quos ſectis Bellonæ lacertis
Sæva movet, cecinere Deos. &c.

Juvenalis Satyr. IV verſu 124.

Sed ut fanaticus æſtro
Percuſſus Bellona tuo divinat.

Bellonarii fanatici *nono Kal. Aprilis cultras ex corpore ſuo ſanguinem eliciebant, cujus miſſione Deam placare ſtudebant:* Dies autem, quo hoc contingebat, *dies ſanguinis* vocatur à Trebellio Pollione in hiſtoria vitæ Claudii. Hæc autem ſufficiant de horrendis his Bellonariorum ſacris, quorum ſpoliaria intrare, & ulterius

terius me in hæc myſteria eorum immittere nolo, cum ab aliis ante me ſint delibata, ad quos lectores relego. Veriſimile etiam eſt, *Bellonarios* illos *homines alios in victimas Bellonæ Deæ* ad ſacra ſua rite peragenda *immolaſſe*. Deon lib. XLII. in Cæſare id innuere videtur *Apes quoque in capitolio juxta Herculis ſtatuam ſedem occupavere, quum Iſidis ſacra fierent. Itaque Aruſpices omnia templa Iſidis Serapidisque demoliri juſſerunt: quod dum fit, Bellonæ quoque ædes inſcientibus illis dejecta eſt, in eaque vaſa figulina carnibus humanis plena reperta ſunt.* Licet de Bellonariis aliquid ab Eruditiſſimo Demſtero ſit ſcriptum, velut antea dixi tamen nullum ante me vidi, qui illud de ipſis obſervavit, quod ſupra in præcedentibus annotavi. Et id non mirum eſt, quod ſanguine humano, humanisque victimis Bellona ſit placata; cum *ipſa Bellona* λύθρῳ πεπαλαγμένη ὤμȣς *ſanie polluta humeros deſcribatur* à Quinto Calabro Paralipomen: lib. VIII. verſu 285. *Brachmannes* Indiæ Philoſophi etiam ita *per cruentas inciſiones ſanguinem*

ſuum

ſuum libarunt Diabolo, Philoſtratus de vita Appollonii lib. III. cap. 6. illud teſtatur καρτερεῖ δὲ πῦρ, καὶ τομὴν πᾶσαν. *Suſtinet quoque viriliter* & ignem, *omnemque corporis ſectionem.* Hos imitati Religioſi quidam *Turcarum Dervis* vocati *totum corpus cruentis inciſionibus ſignare* conſuevere. les Nagivations Par Nicolas de Nicolay Seigneur d'Arfeville livre XII. chap. 17. p. 185. Ita etiam *ſanguinem acutis cultris ex corpore productum ſacrificant Diabolo* nomine *Apalite Peguani*, ut teſtatur Vincentius Le Blanc. cap. 21. pag. 105. *Americani quoque Diabolum* variis tormentis, *vulneribusque omnibus* fere *corporis partibus inflictis placant.* teſte P. Martyre deſcript: Americæ decade IV. cap. 8. p. 315. *Acri alia pietate Zemibus litant, Suum ipſorum ſanguinem offerunt, e lingua hic, e labiis illic, ex auribus aliqui, e pectore, aut fœmore, vel cruribus multi. Acuta novacula vulneratum emungunt ſanguinem, quem manu receptum roratim alio projectu cœlum verſus per pavimenta conſpergunt, ita placatos reddi Deos arbitrantur.* Cives

etiam

etiam *inſularum Americam* prætexentium *Dæmones* ſimiliter infinitis proprii *corporis cruentis inciſionibus propitiant*, teſte Charles de Rochefort in hiſtor. Moral. Inſular. Americæ cap. 14. pag. 387. *Mahumetani* autem in *India* cum memoriam celebrant mortis Prophetæ ſui Mahomet Haly violenter occiſi, *cultris* & *gladiis* tripudiantes diverſis in locis ita *corpus lacerant*, ut ſanguis ubique in terram deſtillet: ſicut affirmat Johannes van Twiſt in deſcript. Guſſarattæ cap. 15. pag. 23. Quidam Chinæ mendici ita etiam in corpora ſua ſæviunt teſte Johanne Nieuhoff in deſcriptione Chinæ. In urbe autem Dekeri in India feſtis diebus corpora ſua ferreis hamis trabi cuidam ſive perticæ magnæ erectæ impactis affigentes religioſiſſimi ſuſpendunt, adeo ut ingens ſanguinis vis ex laceratis undique membris emicet, & in terram defluat, dum illi miſeri dolores hos ineffabiles nihil morantes in aere gladio & clypeo ſuo, quos manibus tenent, ludunt & geſticulantur, hymnoſque aliquot in Deorum ſuorum laudem cantant:

tant; ſicut teſtatur Illuſtriſſimus Pietro della Valle Itinerar. part. v. caput 34. pag. 155. *Eodem etiam modo corpora ſua vulneraſſe & ſanguinem ſuum* antiquitus *fudiſſe videntur* illi vagabundi mendici, qui per totam Europam magnis cum agminibus curſitant, & vulgo à nobis *pagani heydens* dicuntur, quique artem chiromanticam, & divinitationes ſe callere gloriantur, & plurimos homines ita decipiunt. De his autem Capitula Karoli & Ludovici Imperator. libr. 1. tit. 79. *Item ut iſti mangones, & cogciones, qui ſine omni lege vagabundi vadunt per iſtam terram non ſinantur vagari, & deceptiones hominibus agere. Nam iſti nudi cum ferro qui dicunt ſe data ſibi pœnitentia ire vagantes, melius videtur. &c.* Nam in quem alium quæſo uſum *ferrum ad agendum pœnitentiam* ſecum gererent, quam ut eo *ſibi* ipſis *vulnera infligendo* ſtipem ab hominibus emendicarent? Hi in Gallia *Ægypti* & *Bohemi*, in Italia *Cingari* & *Ciani*; in Germania *Zigeuner* & *Tartari*; in Hiſpania *Gittani*, à ſe ipſis *Nubiani*, loco ſupra citato

citato *cogciones*, & ab Aventino *Zigones* vocantur, cum in Gallia primum viderentur, fallaciis ſuis & vagationibus *pœnitentiam ſeptem annorum erroris* ſibi à Papa impoſitam obtendebant & cauſabantur, eo quod à Chriſtiana fide ad Muhammediſmum defecerant, veluti teſtantur. Paſchaſius lib. IV. Recherce de la France cap. XIX. qui ibidem allegat notas M. S. Theologi Pariſienſis. Hinc intelligitur quid in Kapitulo ſuperiori Karoli verba hæc citata, *data ſibi pœnitentia* ſignificent. Eorum Erronum originem, & Hiſtoriam invenies apud Bodinum lib. V. de Republ. Camerarium Centur. I. Horar. Subciſivar. cap. 17. Albertum Krantzium in Saxonia lib. XI. cap. 2. Aventinum Hiſtor. Bojorum lib. VII. Vergilium lib. VII. cap. 7. de Inventoribus. Volaterranum. Bonaventuram Vulcanium in libro de literis & lingua Getarum; Pontacum in Chronographia; Molanum Theologum Lovanienſem in Diar. Eccleſiaſt. Medicorum *ad* IV. *Septembris*, Spondanum in Auctario Chronolog. ad Epitom. Annal.

Baronii.

Baronii. Pierium in Hieroglyphicis lib. XXVI. f. 184. Goldaſtum Conſtitution: Imperial. tom. III. pag. 150. P. Danaiſium in Jure Camerali. Geſnerum p. 72. Keckermannum lib. 1. Politic. cap. 24. Æneam Sylvium Geograph: Hottingerum in Theſauro Philoſophico pag. 55. Duretum in Theſauro Linguarum cap. 52. citatos à Celeberrimo Viro Giſberto Voetio in Diſputat: de Vocatione Gentium; Munſterum in Coſmographia lib. III. de Germania cap. 5. cap. 357. Gotfridum Hiſtor: lib. VI. part. 1. pag. 829. aliosque Anthores brevitatis gratia tranſmiſſos. Sed apud quemdam *Indiæ populum* circa Goam habitantem *virgines virginitatis ſuæ ſanguinem & florem Diabolo libare & conſecrare*, Diabolica quadam conſuetudine & ritu, *tenentur*. priuſquam cum marito ſive ſponſo concumbant, teſte Adamo Oleario in Notis ad Itinerar: Johann: Alb: Mandelſlo lib. II. cap. 105. & Hugone Linſchoten Itinerar. part. II. cap. 33. modum hujus oblationis prolixe à nobis deſcriptum vide in Parte prima hujus operis cap. XI.

pag. 164. Nam *ſanguinem*, in primo concubitu ex puellæ naturalibus effluentem, *virgineum eſſe indicium*, Veteres crediderunt. Ita Claudianus in Epithalam: Honorii & Mariæ fol. 167.

Et veſtes Tyrio ſanguine fulgidas
Alter virgineus nobilitet cruor:
Tum victor madido proſilias toro
Nocturni referens vulnera prælii.

Adde Auſonium in Centone Nuptiali Edyl. 13. pag. 128. qui hinc etiam intelligitur.

Intorquet ſummis annixus viribus haſtam,
Hæſit: virgineumque alte bibit acta cruorem.

Hinc *in Republica* Judæorum ſive *Iſraelitarum* olim cum maritus ſponſam incuſabat & diffamabat, quod eam in primo congreſſu non inveniſſet virginem, parentes, in ſignum virginitatis à filia ad maritum abſque corruptione allatæ, *expandebant pannum ejus coram Senioribus civitatis* ſanguine virgineo, ut opinor, in primo concubitu elicito delibutum & infectum. vide Deuteronom. cap. XXII. v. 17.

v. 17. qui Iſraelitarum ritus ex iis, quæ ſupra diximus, & infra dicemus valde illuſtratur. Nam & hodie quibuſdam in locis creditur, virginitatem ſponſæ ante nuptias fuiſſe defloratam, niſi poſt primos amplexus *pannum menſtruatum primo uiſe videant*, unde etiam in teſtimonium virginitatis non ab alio quam ab ipſo ſponſo immutuus Fezcolæ in Africa *linteolum ſanguine tinctum oſtentant*; vide Leonem Africanum lib. III. cap. 34. Deſcript. Africæ. Idem etiam hodie obſervatur à *Zacynthiis* teſte Sandes Anglo Itinerar: lib. 1. fol. 7. Et *Hiſpani conſueverunt linteas & veſtes ſanguine virginea pictas & nobilitatas publice oſtentare cum hoc præconio. Virgine la tenemos*: Juxta fidem Franciſci Ranch. in tractat: de morb: Virg: cap. 8. ſect: 1. & Laurendi Joubert lib: cuj. T. Erreurs Populs: quamvis Paulus Cyraus Legatus ex Holſatia in Hiſpaniam miſſus dicat in tractat: de Sponſal: cap. 13. quod, licet admodum diligenter in hujus ritus veritatem inquiſiverit, tamen nihil certi de eo audiverit & intellexerit. Plura de hoc

 vir-

virginitatis nota invenire potes, in libro primo hujus operis cap. IX. pag. 164. 165. 166. Sed ad viam redeamus. Factum etiam illud Chriſtianorum *Inſulam Kongorum* in *Africa* inhabitantium nihil minus, quam Chriſtianiſmum ſapit, ſed potius Diabolico ſacramento aſſimilari poteſt, cum ei, qui crucem in ſolennibus feſtis ſtato anni tempore incidentibus circumgeſtaverit, peracto feſto *digitos manus amputent*, & bacillum quibuſdam notis inſigne donent, ut nemo, ſi illud ſignum videat, eum in poſterum lædat, ſed maxime honoret; teſte Dappero in Deſcriptione Africæ.

CAP. III.

Flagellatio Iſraëlitarum. 2 Corinth. XI. 24. explicatur & illuſtratur. Flagellatio navigantium; in feſto Adonidis; Gallorum. Illuſtratur Tibullus. Sanguis humanus per flagellationem libatus Iſidi; ita ſe flagellarunt in feſto Hamacuria, & Philoſophi, Fœminæ. Origo flagellationis puerorum apud Lacedæmonio. Diana ſanguine humana placata. Euripides explicatur & illuſtratur. L. Placidius corrigitur, ejuſdem

ejuſdem Dianæ ſimulacri tranſmigratio. Variæ Authorum opiniones. Illuminatum Luciliæ. Mirus Authorum diſſenſus.

JAm *tertiam humani ſanguinis libationis modum* percurremus; *Flagellationem* ſcilicet; *qua ſanguinem ſuorum in honorem Diaboli e corpore ſuo eliciebant.* Deus olim populo ſuo Iſraëlitarum legem dedit & promulgavit, ut *improbus flagris dignus quadraginta exacte ictibus mulctaretur*, ſicuti videmus in Deuteron. cap. 25. 2, 3. *Erit autem ſi dignus eſt flagris improbus ille, ut dejiciendum curet eum judex, & cædendum coram ſe, pro improbitate ejus certo numero. Quadragenis plagis cædendum curabit eum, ne addito: vide ne pergat plaga numeroſiore his cædere eum, & frater tuus vileſcat in oculis tuis. &c.* Iſte plagarum numerus in aliquo verberando non excedendus erat, ne (ut volunt Chryſoſtomus & Theodoretus.) *infamis fieret, qui cædebatur, ſi plures quam quadraginta plagas acciperet*; Quam ob rem ut a legis iſtius tranſgreſſione caveretur, atque adeo, ne verberans quamlibet acris in cæden-

do; numerum illum excederet, ſtatue-rant, antiqui, *ne amplius triginta novem plagæ infligeremur*. Hinc intelligere & illuſtrare potes locum Apoſtoli Pauli 2 Corinthior. cap. XI. vſ. 24. ὑπὸ Ἰου-δαίων πεντάκις τεσσαράκοντα παρὰ μί-αν ἔλαβον. (Ego Paulus) *A Judæis quin-quies accepi quadragenas plagas una mi-nus*. Diabolus, ſicut ex odio ſummi & veri Dei plurima ejus opera æmulari co-natur, ut tam bene quam Deus ſuos ha-beret, admiratores & ſubditos, Divi-norum factorum lucem & gloriam, he-betaret & obfuſcaret, ſuam laudem extolleret, & parem cum ſupremo Nu-mine authoritatem apud humanum genus haberet, atque adeo ut veræ religionis à Deo inſtitutæ fuco & colere homines eo facilius irretiret & deciperet; ita e-tiam in flagellationibus Cœleſtis Creato-ris Neuroſpaſta & æmulator fuit. Nam cum aliquis *in mari navem*, qua veheba-tur, *capillorum* ſuorum & *unguium re-ſectione*, aut alio modo *impuraſſet*, ilico *factum hoc quadraginta plagis luere* & ex-piare apud Ethnicos tenebatur, ne ſciſ-

cet

ex ſcelere illo irati Dei tanquam [illegible] & adverſis ventis [illegible] [illegible]. Teſtatur illud Petronius Arbiter Satyr. pag. 78. *Itaque ſi nulla navis exſpectatur, placuit quadragenas utrique plagas imponi. Nulla ergo fit mora. Aggrediuntur nos furentes nautæ cum funibus, tentantque viliſſimo ſanguine tutelam placare.* Prolixe admodum de hoc ritu in opere noſtro de capillitio Superſtitioſi agimus. Iſte talis tamen Proteus Diabolus hoc ſupplicio non contentus, voluit etiam, ut devoti *Gentiles* expreſſo [illegible] *flagellationum obſequio* in terræ quoque *favorem ejus provocarent*, ſeſeque extinguerent. Ita *in feſto Adonidis ſe verberibus & flagellis lacerare ſolebant*, veluti teſtatur Lucianus de Dea Syria pag. 751. & ſicut idem eodem libro p. 459. ſcribit, *Galli* iſti furioſi ſe ipſos caſtrare, & ſtrictis mucronibus vulnerare non ſatis habebant, ſed etiam τοῖσι νώτοισι περὶ ἀλλήλους τύπτονται *in tergo & ſe mutuo verberabantur*; Atque hæc flagellatio aliquando ita fervebat, ut tellus humano cruore madeſcens ruberet. Apule-

jus lib. VIII. Mil. pag. 196. *Cernere profeſſa gladiorum ictuque flagrorum ſolum ſpurcitie ſanguinis effeminati madeſcere.* Totum flagellandi modum artificioſe delineat idem Apulejus Mileſ. lib. VIII. pag. 196. *Arrepto denique flagro, quod ſemiviris illis proprium geſtamen eſt, contortis tenis lanoſi velleris prolixe fimbriatum, & multijugis talis ovium teſſellatum indidem ſeſe multimodis commulcat ictibus mira contra plagarum dolores præſumptione munitus.* Flagellum illud *verbera tæta* nuncupat Tibullus lib. I. eleg. 7. pag. 260. qui in hoc ex Apulejo magnam lucem accipit.

Hæc ubi Bellonæ motu eſt agitata, nec acrem
Flammam, non & amans verbera torta timet.
Ipſa bipenne ſuos. &c.

Taurea terga Ovidius Faſtor. libr. IV. pag. 78.

Exululant comites, furioſaque tibia flatur,
Et feriunt molles taurea terga manus.

Et Plutarchus in libro adverſus Celotem pag.

pag. 1127. ἀςραγαλωτὴν μάστιγα *nodo-ſam flagellum* nuncupat. A quo non multum deflectit Athenagoras, qui in πρεσβείᾳ dicit, *illos* τοῖς ἀςραγάλοις *flagellis nodatis ſe ipſos diſcruciaſſe*. Atque hæc *flagellatio* & *in honorem Deæ Cibelæ* ſive Matris Deorum *fiebat*, & ut ita *flagellis* his *delinquentes* ex Collegio ſuo *Galli punirent*, ſicut opinatur Plutarchus loco ſupra citato. Hæc autem cruenta *flagellatione* etiam *Iſidis ſacra* inſignia fuerunt. De hoc Herodotus lib. II. pag. 111. *At in urbe Buſiri quomodo diem feſtum Iſidi agant, ſuperius a me dictum eſt. Verberantur enim poſt ſacrificium cuncti & cunctæ, multa ſane hominum millia: quo autem verberentur, non eſt mihi fas dicere. Sed ex omnibus præcipue hoc faciunt Cares, qui Ægyptum incolunt: adeo quidem, ut gladiis quoque frontes concidant.* Unde etiam per irriſionem & ſarcaſmum Xenophanes Phyſicus, quum Ægyptios ſeſe *converberantes proſtratorum more, atque lugentes [illegible] tum, ſubmonuit clementer, ne lugere pergerent, ſi crederent Deos. Quod

ſi fuiſſe homines compertum foret, ne ſacrificarent. Ita etiam annotat Aretius, Hæmacuriam *feſtum fuiſſe apud Peloponneſios, in quo juvenes* Græci ſeſe ſingulis annis *flagris cædebant uſque ad ſanguinem*, Pelopis juxta ſepulchrum, *eoque cruore illi ſitabant*. Dicitur idcirco *ab* ἅιμα *&* κῦρος *juvenis Hæmacuria*. Lucianus in Nigrino narrat, *quod Philoſophi* quidam ſe quoque ita fœdarunt. *Manifeſto autem apparebat, quod & tales Philoſophos damnabat, qui virtutis meditationem eam putabant, ſi multis neceſſitatibus atque laboribus adoleſcentes reſiſtere, exercitatione ac uſu aſſuefeciſſent. Atque ob id multi ligare atque vincere ſe jubebant*, ἄλλοι ᾗ μαςιγοῦντες *aut cutem flagellis verberabant, qui vero elegantiores Paulo erant, etiam ferro ſuperficiem corporis radebant*. Et non ſolum viri, ſemivirique Galli in hoc proſcenium prodeunt, ſed etiam *fœminæ, puerique, qui Deis* & *Deabus ſanguinem* ſuum *ex corpore per flagellationem fluentem conſecrarunt*. De *fœminis* docet Pauſanias lib. VIII. pag. 572. *Templa illic* (in urbe Arcadiæ

Arcadiæ Halea) *exſtant Dianæ Epheſiæ, & Minervæ Haleæ: Liberi Patris delubrum cum ſimulachro: huic anniverſarios feſtos dies agitant, in quibus, quo more apud Spartanos ad Orthiæ aram ephebi, fœminæ flagris cæduntur.* Sed populi *Pheneatæ* contrarium fecerunt, ut qui quotannis *Cereris ſtatuam virgis cædere* non erubuerunt. Pauſanias lib. VIII. pag. 561. *Puerorum* vero *Flagellationis*, nempe *Lacedæmoniorum, origo* paulo altius repetenda eſt. Euripides in Iphigenia in Tauris author eſt, quod cum ex Scythia Oreſtes cum ſorore Iphigenia, quæ ibi victimarum humanarum Sacerdos erat, aufugiſſet, ſecum ſtatuam Dianæ Scythiæ ſive Tauricæ aufurati fuerunt, quod in extremis Atticæ finibus prope littus Caryſtium ex mandato Dianæ depoſuerunt. Ita Euripides Iphigen. in Tauris.

χώρει λαβὼν ἄγαλμα, συγγονόν τε σὴν,
ὅταν δ' ἀθήνας τὰς θεοδμήτοις μόλης,
χῶρος τίς ἐστιν Ἀρθίδος πρὸς ἐσχάτοις
ὅροισι, γείτων δειράδος Καρυσίας,
ἱερὸς, Ἀλάς γιν ὁ ὑμὸς ὀνομάζει λεὼς,

ἐν ἱαῦθα τάξας ναὸν, ἵδρυσαι βρέτας
ἐπώνυμον τ̃ ταυρικῆς, πόνων τε σῶν,
&c.

Vade (Oreſtes) *accepta ſtatua* (Dianæ Tauricæ) *& tua ſorore.*
Et cum veneris, Athenas divinitus conditas;
Eſt quidam locus in extremis Atticæ
Finibus, vicinus litori Caryſtio,
Sacer quem meus populus nunc vocat, Halas:
Illic exſtructo templo colloca ſtatuam
Cognominem Tauricæ Dianæ & tuorum Paborum, &c.

Huic idem Euripides ſcribit, *ab Oreſte Athenis, legem eſſe impoſitam, ut in celebratione feſti Dianæ Tauricæ, ad alicujus Viri cervicem enſem admoverent*, ut inde *ſanguinem elicerent, quo Dianam placarent*, cum & antea in Scythia adhuc verſanti ei ſanguine humano litatum eſſet. Sic enim Euripides Iphigen. in Tauris.

Νόμον τε θὲς τόνδ', ὅθ' ἑορτάζε λεὼς
τ̃ σῆς σφαγῆς ἄποιν'. ἐπισχέτω ξίφος
δέρῃ πρὸς ἀνδρὸς, αἷμα τ' ἐξανιέτω
ὁσίας ἕκατι θεᾶς, ὅπως τιμὰς ἔχῃ.

σὲ δ'

Σὲ δ' ἀμφὶ σεμνὰς Ἰφιγένεια κλίμακας
Βραυρωνίας δεῖ τῆσδε κληδουχεῖν θεᾶς.

Et hanc legem (Athenis) *pone, quando populus celebrabit feſtum* (Dianæ Tauricæ)
Ut à cæde liberationis, admoveat enſem
Ad alicujus viri cervicem, & ſanguinem eliciat
Propter ſanctam Deam, ut debitos honores habeat.
Te verò o Iphigenia, ad ſcalas ſacras Brauronias oportet eſſe æditum hujus Deæ.

Quod hic homo, cujus meminit Euripides, non ſimpliciter vulneratus, ſed revera *Dianæ ab Athenienſibus immolatus fuerit*, docet Hyginus Fab. CCLXI. ex cujus verbis Euripidi lumen ſuppeditatur, & intelligimus, quod Poëta, *per admotionem enſis ad alicujus viri cervicem, perfectam jugulationem* denotat. Hic etiam Hyginus teſtatur, *virum hunc fuiſſe ſervum, & Romanos*, dira hac immolatione abrogata, *imaginem Dianæ Tau-*

rita Athenis Spartam tranſtuliſſe , & cruentis & immanibus hiſce victimis puerorum *flagellationem ſubſtituiſſe*. Sic enim Hyginus. *Sed cùm poſtea Romanis Sacrorum* (Dianæ) *crudelitas diſpliceret, quamquam ſervi immolarentur, ad Laconas Diana tranſlata eſt, ubi ſacrificii conſuetudo adoleſcentum verberibus ſervabatur, qui vocabantur Bomonicæ, quia auri* (corrige *aræ*) *ſuperpoſiti contendebant, qui plura poſſet verbara ſuſtinere.* Ex hac contentione , Hos pueros Servius *Bomonicas* , veluti dicas *ſuper aris de victoria contendentes* , appellari ſcribit. Meminit & Lactantius ſuper Octavum Thebaidos , ſed codicibus fœde interpellatis & corruptis : nam ſcribitur modo *Suominica*. Acron Horatii Scholiaſtes alio modo rem narrat , & *imaginem Dianæ Tauricæ in Italiam tranſportatam fuiſſe* auctor *eſt*. Sic enim ſcribit. *Poſt matricidium Oreſtes cum fureret, adiit oraculum de ſanitate; oraculum reſpondit, ſic eum poſſe ſanari, ſi Dianæ Scyticæ de Taurica ſimulachrum auferret. Profectus itaque eſt, ibi ſoror ejus Sacer-*

dos,

dos, quæ advenas immolabat, agnovit fratrem, & pepercit illi, interrogavitque, cur veniſſet? ille indicavit; abſtulerunt inde ſimulachrum, ſimul ſoror ſecuta eſt, delati ſunt ad Italiam, & collocaverunt in nemore Aricino ſimulacrum, & conſecraverunt nemus. Chriſtophorus Landinus ad Horatii od. 7. idem fere teſtatur. *Cum enim Oreſtes de Taurica regione ſimulachrum Dianæ (cui hoſtia humana immolabatur) in Italiam apud Aricinam ſylvam detuliſſet; abominati ſunt talia ſacra Itali, & Lacedæmonem remiſerunt. Lacedæmones autem pro humana hoſtia inſtituerunt, ut pueri manus ſuper aram tenerent, quæ ab aliis pueris tamdiu verberarentur, donec ſanguis emanaret.* At *Cappadoces ad ſe ſimulachrum Dianæ Tauricæ ab Oreſte eſſe delatum contendunt.* Hinc Dion lib. xxxv. p. 5. *Cæterum Comana in ea, quæ nunc vocatur Cappadocia ſunt: creditumque eſt ſemper in hunc diem uſque ibi ſimulacrum Dianæ Tauricæ, genuſque Agamemnonis fuiſſe.* Probus Grammaticus de vita Virgilii & Bucolici Carminis ratione aſſerit,

rit,

rit, quod *Oreſtes juxta Syracuſas à ſomnio admonitus, ſimulacrum Deæ, quod ſecum de Taurica advexerat, templo poſito conſecravit, quam appellavit Faſcelitim: ſive quod faſce lignorum tectum de Taurica ſimulacrum extuliſſet. Faſcelitis* autem *Dianæ* Lucilius quoque libro III. Satyr. ſic meminit. pag. 29.

Et Rhegina videbis
Mænia, tum liparam, & Faſcelitæ templa Dianæ.

Athenienſes imaginem hanc *in Braurone* ab Oreſte *relictam* volunt. Sic enim Pauſanias lib. 1 pag. 75. *Taurica Diana in Braurone* (Iphigeniam) *Athenas, & deinde Argos veniſſe perhibent.* Alii illud *ſimulacrum* ab Oreſte eſſe *collocatum* dicunt *in Laconiæ* loco quodam *Limnæa* dicto, qui *Orthiæ Dianæ* conſecratus eſt. Quod *Dianæ Tauricæ ſignem in Laconiam tranſlatum* poſtquam compererunt Aſtrabacus & Alapecus in amentiam dilapſi ſunt. Paulo poſt Limnatæ & alii quidam Dianæ quum rem divinam obire adorti eſſent, in diſſidium primo, poſt in mutuas proruperunt cædes; morbi abſumpſere.

pſere. Reddita conſultantibus inde ſors eſt αἵματι ἀνθρώπων τῷ βωμῷ αἱμάσσειν; id eſt *ſanguine humano aram eſſe cruentandam*. Propterea immolari cæptus, quem intuliſſet ſors. Sicut oſtendit Cœl. Rhodiginus Lection. Antiquar. libr. XVIII. cap. I. pag. 960. Ejus *Orthiæ Dianæ* meminit etiam Plutarchus in Apophthegm. Lacon. Hæc *humanæ victimæ immolatio Dianæ Tauricæ* offerenda *Lacedæmoniis*. Ab Apollinis oraculo eſt injuncta, quam Lycurgum Reipublicæ Spartanæ conditorem & formatorem, licet alias ab omni crudelitate abhorrentem, permiſiſſe tamen affirmat Philoſtratus de Apollonio lib. VI. cap. 10. Οὐκέτ' ἀποκλείνουσιν, εἶπεν, ὡς ξυνεχώρει ποτὲ ὁ Λυκοῦργος, ἀλλ' ἡ ἀφίησι ἐπ' ἐκείνοις μάστιξ. *Non amplius eos interficiunt, inquit Apollonius, ſicut olim conceſſit Lycurgus: ſed verberibus ibidem in eos animadvertunt*. Eodem in capite ſcribit, quod cum Lacedæmonii oraculum illud accepiſſent, ſapienter interpretati fuerint, nempe *Deam Tauricam* non hominis nece, ſed ſanguine humano *per flagellatio-*

gellationem ex corpore educto placari velle. οὐ μαστίγων, εἶπεν, ἀλλὰ τοῦ αἵματι ἀνθρώπων τὸν βωμὸν ῥαίνειν, ἐπειδὴ καὶ παρὰ Σκύθαις τούτων ἠξιοῦτο. Ἐφισάμενοι δὲ οἱ λακεδαιμόνιοι τὸ ἀπαραίτητον τῆς θυσίας, ἐπὶ τὸν τῆς καρτερίας ἀγῶνα ἥκοισιν, ἀφ᾽ ἧς ἐστὶ μήτε ἀποθνήσκειν, καὶ ἀπέρχεσθαι τῇ θεῷ τοῦ σφῶν αὐτῶν αἵματος. *Non verberum, inquit, Apollonius conſultores ſunt* (Dei) *ſed humano ſanguine adſpergi aras jubent, quoniam & apud Scythas ita colebatur. Verum Lacedæmonii ſacrificii neceſſitatem ſapienter interpretati ad tolerantiæ certamen devenerunt, ita ut neque homines interficerentur, & tamen eorum ſanguine Deæ ſatisfaciat.* Eodem in capite affirmat, quoſdam dicere, quod *oracula hanc puerorum flagellationem Lacedæmoniis mandaverint.* Τὸ δὲ τῶν μαστίγων ἔθος, τῇ Ἀρτέμιδι τῇ ἀπὸ Σκυθῶν δρᾶται, χρησμῶν φάσιν ἐξηγουμένων ταῦτα. *Verberum autem conſuetudo in Scythicæ Dianæ honorem ſervatur: quod, ita, ut aiunt, oracula, præceperunt.* Sed audiatur ad huc Plutarchus in vita Ariſtidis pag. 392. *Nonnulli ſunt authores, Pauſa-*

Pauſaniæ paululum extra aciem operanti ſacris, & pacem Deum expoſcenti, Lydos aliquos inferentes ſeſe repente eripuiſſe, atque diſſipaviſſe ſacra. Pauſaniam vero ejuſque comites, quibus arma ad manum non erant, virgis & flagellis illos cecidiſſe. Quare etiam hac memoria illius incurſus celebrati Spartæ ſimulacra plagis circa aram adoleſcentium, & Lydorum pompam.

CAP. IV.

Sanguine puerorum Lacedæmoniorum flagellatione provocato Diana placatur. Modus flagellandi. Quinam flagellati. Flagellis quibus. V. Flaccus illuſtratur. Parentes ad patientiam flagellatos filios adhortabantur. Ariſtenætus illuſtratur. Bongarſius notatus. Illuminantur Petronius, & Statius. Flagellationes & mortificationes Chriſtianorum & Pontificiorum.

LIcet autem Authores inter ſe δὶς διὰ πασῶν diſſentiant & digladientur de loco, quo Dianæ Tauricæ ſignum ex Scythia ab Oreſte primum deportatum ſit, aliiſque circumſtantiis, attamen

attamen in hoc conſpirant omnes, quod *flagellatio* iſta *puerorum Lacedæmoniorum à Diana Taurica originem traxerit*, & *in ejus honorem peracta fuerit*, licet Lactantius loco infra citato dicat, quod hęc *flagellatio mera* fuerit *inter pueros contentio*, quâ qui plura verbera perferre poſſet, aurum patientiæ præmium auferret. *Concertatio* autem *ea*, ut Lactantius in VIII. Thebaid. Pampinii teſtatur, *diamaſtigoſis* vocabatur, hoc eſt *diſflagellatio*, *quis plura poſſet verbera ſuſtinere*. Eodem nomine effert, & *pueros ante aram ſtatutos* eſſe ſcribit Tertullianus ad martyres: *Nam quod hodie apud Lacedæmonios ſolennitas maxima eſt*, διαμαςίγωσις *id eſt flagellatio, non latet. In quo ſacro ante aram nobiles quique adoleſcentes flagellis affliguntur, adſtantibus parentibus & propinquis, & uti perſeverent, adhortantibus*. Conſentit cum illo ita Pauſanias lib. VIII. *Liberi patris delubrum cum ſimulacro* (in urbe Helea Arcadiæ) *Huic anniverſarios dies feſtos agitant, in quibus, quo more apud Sparthanos ad Orthiæ aram ephebi, fœminæ flagris cæduntur*.

tur. Sicut hos Lacedæmoniorum filios Cicero & Lucianus de gymn. pag. 771. *pueros*; Hyginus & Tertullianus *adoleſcentes*; Pauſanias & Martialis *Ephebos*; Ita Acron Scholiaſtes Horatii *juvenes* vocat, unde colligi poteſt, & *pueros*, & *adoleſcentes*, & *juvenes* ita flagris cæſos fuiſſe. *Qui*, cum cæderentur *aram adſcendebant*, ut docet Acron, qui ritum & modum flagellandi una ita oſtendit. *Statuerunt hi ut juvenis aras adſcenderet, & ſuper imponeret manus, & tamdiu loris cæderetur ab alio juvene, quamdiu ſanguis de vibicibus in aram manaret, & ſatisfaceret numini.* Hanc *flagellationem in ara eſſe factam* docet etiam Plutarchus Apophthegm. Lacon. & in Lycurgo p. 81. Sed *ante aram* eſſe *factam*, ſcribit Lucianus loco jam citato, & Cicero. Sed Nicolaus de Moribus Gentium apud Stobæum ſerm. XLII. pag. 306. de illis ita ſcribit. οἱ δὲ παῖδες νομίμως περὶ τίνα βωμὸν περιϊόντες μαστιγοῦνται, ἕως ἂν ὀλίγοι λειφθέντες στεφανωθῶσιν. *Pueri aram quandam legitime* (ſecundum legem) *circumeuntes flagellis cæduntur, donec pauci*

pauci relicti coronentur. Hoc autem *flagellum*, quo verberabantur, *ſcuticam* vocat Philoſtratus de Apollonio lib. VI. cap. 10. *Lorum* Acron Scholiaſtes Horatii. Hinc intelligitur etiam Val. Flaccus Argonaut. lib. I.

Taurea vulnifico portat cœlataque plumbo
Terga Lacon, ſaltem in vacuos ut brachia ventos
Spargat.

Lucianus Icaromenippus pag. 669. ὁ λάκων ἐμαστιγοῦτο. *Lacon loris cædebatur*, dixit Charicles lib. I. de urbanis Ludis apud Athenæum libr. VIII. pag. 350. Μαστιγούσθωσαν λακεδαιμόνιοι. *Flagris vapulent Lacedæmonii.* Interim dum hi Lacædæmoniorum filii ſævientibus flagellis nudi proſtabant, & crudeliſſime lacerabantur, adſtantes *parentes eos ad patientiam hortabantur.* De *Patre* & *Matre* Lucianus Gymnaſ. pag. 771. de Martialis epigramm. lib. VII. de *matre* illud innuere vult.

Sed Mitylenai roſeus mangonis ephebus,

Vel

Vel non cæſus adhuc matre jubente Lacon.

Martialem illuſtrat, & illuſtratur à Martiale Ariſtenætus. lib. II. epiſt. 17. pag. 184. Παρ' ἐκείνοις γὰρ αἱ μητέρες πρὸς τοὺς παῖδας φάσκων. *Nam apud eos (Lacedæmonios) admonent matres filios*; licet Jacobus Bongarſius hic intelligat adhortamenta filiis ad bellum exeuntibus à matribus Spartanis data. Sed meam opinionem eſſe magis plauſibilem & Martialis, & vocabulum τὸ παῖδες, & totus Ariſtenæti contextus demonſtrant, quamquam tamen Docto Viro haud multum reluctari volo. *Patres* has vices obiiſſe demonſtrat Seneca de Providentia cap. 4. pag. 139. *Numquid tu inviſos eſſe Lacedæmoniis liberos ſuos credis quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? ipſi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, ac laceros ac ſemianimes rogant, perſeverent vulnera præbere vulneribus.* Tertullianus author eſt, *propinquos* hæc hortamenta ſuggeſſiſſe in Apologia pag. 897. *Certe Laconum flagella ſub oculis etiam hortan-*

hortantium propinquorum acerbata tantum honorem tolerantiæ domui conferunt, quantum ſanguinis fuderint. Et licet ad mortem uſque cederentur, tamen nunquam ingemiſcebant. Cicero Tuſculan. Quæſt. lib. II. pag. 93. & 94. *Spartæ vero pueri ad aram ſic verberibus accipiuntur, ut multis è viſceribus ſanguis exeat, nonnunquam etiam, ut, cum ibi eſſem, audiebam, ad necem: quorum non modo nemo exclamavit unquam, ſed ne ingemuit quidem.* Sed aliquando etiam ipſas inter plagas ex cruciatibus exſpirabant Plutarchus in Lycurgo, pag. 51. καὶ τοῦτο μὲν οὐδὲ ἀπὸ τῶν ἐφήβων ἄπιστον ἐστιν, ὧν πολλοῖς ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ορθίας ἑωράκαμεν ἀποθνήσκοντας ταῖς πληγαῖς. *Nec eſt id incredibile, vel ex hujus memoria adoleſcentibus, quos in ara Dianæ Orthiæ. frequentes conſpeximus inter plagas exſpirare.* Idem teſtatur Lucianus in Anacharſide & in Gymn. pag. 771. Qui vero ad extremum uſque ſpiritum ſine ullo doloris ſigno perſtabat, & reliquis deficientibus ſolus omnium diutiſſime vèrbera Spartana nobilitate concoquebat

coquebat, victor prædicabatur. Philoſtratus lib. VII. cap. 17. de vita Apollonii id teſtatur. ἢ οἱ τὰς τῶν μαστίγων καρτερίας παρὰ λακεδαιμονίαις νικῶντες. *Quam qui propter plagarum tolerantiam victores apud Lacedæmonios prædicantur.* Imo coronabatur. Stobæus ſermon. XLII. & *pecuniam auferebat*; Higynus in fabula CCLXI. Hujus flagellationis meminit Muſonius apud Stobæum ſerm. XVII. pag. 153. δηλοῦν λακεδαιμονίων παῖδας δημοσίᾳ μαστιγουμένους, καὶ ἐπ' αὐτῷ τούτῳ ἀγαλλομένους. *Lacedæmoniorum pueri, qui publicitus flagellis cæduntur, & id ipſum gaudent.* Sophiſta etiam Libanius de vita ſua. Flagellationem eam innuit. Ἀλλὰ νῦν μὲν ἐπ' ἑορτὴν λακωνικὴν τὰς μάστιγας ἐπειγόμενος. *Sed nunc quidem ad feſtum Laconicum flagrorum videlicet properans.* Hinc intelligitur facile Petronius Arbiter Sat. pag. 78. *Tres plagas Spartana nobilitate concoxi.* Hinc Papinius Statius Thebaid. IV. lucem etiam accipit.

> *Et oliviferæ Eurotæ*
> *Dura manus.*

Et lib. VIII. pag. 246. *Hic & mente Lacon.* & in Plauti Captivis feſtive *Lacones* hinc *plagipatidæ* vocantur. Sic Lactantius Grammaticus *Lacedæmoniorum* crudelitatem *in flagellandis filiis* perſtringit. Hinc etiam Poëtæ Lacedæmoniorum patientiam prædicant, & cantant, veluti Horatius Carm. I. lib. I. od. 7.

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opima.

Nam Lacedæmoniorum *moribus ſumma virtus in patientia ſtatuebatur*, ut loquitur Æmilius Probus. Quintilianus etiam eorum patientiam emendat. *Fures* etiam *parum ingenioſi* temporibus Lycurgi ad hanc aram *flagellis cæſi ſunt:* Docet Xenophon Lacedæmon. Reſp. pag. 31. & 32. *Quam ob rem illi quoque in deprehenſos, ut parum peritos fures animadvertunt. Quumque ingenioſum eſſe ſtatuiſſet, ſi qui plurimum tritici raperent: eos tamen ab aliis ad aram Orthiæ* (Dianæ) *flagris cædi juſſit.* Hunc Lacedæmoniorum in flagellandis filiis abominabilem morem, quo profuſo ex vulneribus ſanguine

guine Dianæ Tauricæ ſive Orthiæ veliſicati ſunt, imitati etiam proh dolòr! Chriſtiani fuerunt, cum jam Romani Pontificis poteſtas ubique per Europam prævalere inciperet. Ejus rei hiſtoriam nobis exhibet P. Æmilius lib. III. Hiſtor. *Fulco Comes Andegavenſis Martelli Pater, aliquot ante annis duorum omnino vernaculorum comitatu Hieroſolyma peregre profectus, illis jure jurando adactis, ſe, quod imperaretur, facturos, ſumpto noxii damnatique habitu, eorum alteri ſe collo teſti illaqueandum trahendumque ad Domini monimentum tradidit, alteri virgas dedit, quibus ſe tergo cæſum lacerumque eodem fœde agerent, vociferantem. Admitte Domine miſerum Fulconem perjurum & fugitivum tuum. Hoc factum ſatis conſtat, ſed cujusnam perjurii ſceleriſve expiandi cauſa non liquet.* Ita etiam Rex Angliæ *Henricus Secundus*, cum pœniteret, juſſu legati Pontificii ab Epiſcopis ter, & ſingulis Monachis, qui octuaginta erant, quinquies *virgis percuſſus eſt.* Teſte Baronio ad annum MLXXIV. Ejuſdem Angliæ

Rex *Richardus capitulo Monachorum verberibus ſe ſubdidit.* Teſte Sigeberto Roberto de Monte ad annum MLI. Eodem etiam modo *& Anno Epiſcopus Colonienſis Imperatorem Henricum duriſſimis verberibus afflixit.* Et licet *flagellationes* illę *lege* & edicto ſancito *in Gallia antiquatæ* fuerint, teſte R. Gaguino in Philippo Valeſio, attamen hodie apud Pontificios *magna cum crudelitate* exercentur. Quippe Martyr author eſt, quod hæc flagellatio in Italia majori hebdomada ante Paſcha adeo ſevere & crudeliter exerceri ſoleat, ut ſanguis affatim ex dorſo flagellatorum fluere conſueverit. Et Clariſſimus & Eruditiſſimus vir Johannes Valkenier in Roma Paganizante & ſpeculo Papiſmi cap. III. pag. 529. ex Rhenano annotavit, *Veteris* διαμαστιγώσεως (flagellationis Ethnicorum) *veſtigium videri apud Italos in Litaniis.* Eodem tempore milites non ſemel, ardente Belgico bello cùm Hiſpanis geſto, corpora ſua etiam ſtridentibus flagellis laniaverunt, ſanguineo rore rubeſcerunt, cruentis inciſionibus diſtinxe-

diſtinxerunt, atque maxima injuria affecerunt, ut ita cruentis ſanguinis ſui libationibus Numinis pacem promererent, & Dei iram dorſis & capitibus ſuis ob perpetrata ſcelera imminentem averterent, & exſtinguerent; de his cõnſulantur Annal. Belg. & imprimis Petrus Hoofdius lib. VI. Hiſtor. Belg. Hanc abominabilem conſuetudinem à Damiano quodam anno MLVI. in Chriſtianiſmo cœptam Papa Clemens V. ſuppreſſit; Joh. Gerſon Doctor Pontificius peculiari tractatu carpſit, & deſcripſerunt atque refutarunt Rivetus in defenſione Myſterii Pleſſiæi; Molineus in Hyperaſpiſte conta Sylveſtrum de Petra Sancta lib. 1. cap. 29. Hoſpinianus de feſtis Gentilium pag. 153. Thuanus Hiſtor. lib. LXXVIII. ſed defendit Franc. Swarez in III. tom. & 4. diſputat. 38. ſect. 9. Ejuſdem farinæ ſunt reliquæ Pontificiorum mortificationes, per quas corpora ſua & animas omnigenis tormentis affligentes æterna gloria potiri ſtudent. De quibus Buſæi panarium tit. de Immortificationibus. Baldeſanus in ſti-

mulis virtutum Adoleſcentiæ libr. II. cap. I. Boenartius in Commentar. ad Eſther. IV. verſ. I. 2. Nicolaus de Maiſtre in inſtauratione antiqui Epiſcoporum Principatûs lib. IV. cap. 7. Chaſſius lib. III. de vera perfectaque Prudentia cap. I. Auguſtinus Wichmans in Brabantia Mariana ex Henrico Sedulio. Martinus Breſſerus Boxtellanus lib. VI. de Conſcientia cap. 22. aliique. Hi homines, cum ita per ſuperſtitioſas illas mortificationes ſanguinem proprium prodigunt, non conſiderant, quod hoc modo Diabolo litent, qui ut loquitur Theodoretus, *hominum ſanguine delectatur, quapropter à gentilibus ſanguine coli voluit*; quodque quam proxime furioſos Deum Matris Sacerdotes Gallos, & fanaticos Bellonæ Bellonarios, atque Turcarum Derviſios accedunt, qui majori etiam mortificatione, & gravioribus cruciatibus corpus ſuum exagitarunt, cruoremque Diabolo effuderunt, ſicut ſupra vidimus, & de Derviſiis etiam docet Bellonius lib. III. Obſervat. cap. 21.

Cap. V.

Antiqui luſtrationes peragebant per animalia irrationalia. Plutarchus illuſtratur. Homines ad hoc immolati, & adhibitæ res inanimatæ, Digeſtor. lib. XLVIII. *t.* 8. *explicatur: Illuſtratur Claudianus. & Ovidius. Luſtratio per ignem in exequiis. In nuptiis, & nativitatibus. Molocho traducebant filii per ignem & luſtrabant Syri, & Iſraëlitæ. Explicantur & illuſtrantur varia loca Scripturæ Sacræ, & conciliantur. Joſephi & Lyrani error. Hammanim. Lucanus illuſtratur, & Virgilius.*

TRibus modis libationis ſanguinis humani Diabolo oblati abſolutis, jam deſcendemus ad varios *Modos*, *quibus totos homines Gentiles ſuis Numinibus* nefarie *immolarunt*. Et ex illis primum *Combuſtionem* aggrediemur. Superſtitioſa Antiquitas multam operam *Luſtrationibus* impendit, *quibus* & *ſcelera* ſua *expiare*, & *Dei* indignantis *iram declinare ſatagebant*. Hæ autem *luſtrationes* peragebantur vel *rebus animatis*, nempe *irrationalibus animalibus*, *tauro*, *agna*, *ove*, *porco*, *capra*, *cane*, per quam Macedones exercitum luſtrare o-

lim conſueverunt; Vide Curtium lib. x. de rebus geſtis Alexandri. *Placet exercitum patriæ more luſtrari: & probabilis cauſa videbatur præterita diſcordia. Macedonum Reges ita luſtrare ſoliti erant milites, ut diſciſſa canis viſcera ultimo in campo, in quem deduceretur exercitus, ab utraque abjicerentur parte.* Alias *catulam ad hoc* Veteres *adhibebant, quem in luſtratione circa corpus circumferebant,* unde *hanc luſtrationem* προσκυλακισμὸν vocabant. Plutarchus in κηφαλαίοις Romanorum Inſtitutorum & in Romulo p. 31. ex C. Acilio illud docet. τὴν δὲ κύνα φαιητὶς ἂν, εἰ μὲν ἡ θυσία καθαρμός ἐστι, θύεσθαι, καθαρσίῳ χρωμένων αὐτῷ. (καὶ γὰρ Ἕλληνες ἔν τε τοῖς καθαρσίοις σκύλακας ἐκφέρουσι, καὶ πολλαχοῦ χρῶνται τοῖς λεγομένοις περισκυλακισμοῖς. (*Canem arbitror, ſi luſtratio id ſacrum eſt immolari, quod eo utantur luſtrati. Et enim Græci in ſacris luſtralibus catulos efferunt, ac paſſim exigunt catulos, quam ceremoniam vocant* προσχυλασκισμόν. Et Theophraſtus Eth. Charact. de ſuperſtitione pag. 49. καὶ ἱερείας καλέσας, ϲκίλλῃ.

ἢ ϲκύ-

ἢ σκύλακι κελεύσαι αὐτὸν περικαθάραι. *Piatricibus quin etiam adſcitis jubet ſe ſquillæ aut catuli circumlatione purgari.* Eiſdem uſibus & *ovis* atque *porcus* inſerviebant; teſte Meſſala Corvino libr. de progenie Auguſti. *Servius Tullius exercitum inſtructum in campo Martio porco, ove, & tauro luſtravit.* De *tauro* autem alibi diximus. Adhibebant etiam *agnam*, de qua Juvenalis Sat. XIII. p. 106.

Quæque coronata luſtrari debeat agna.

Et *capram.* Nam *Cajo Mario, & Q. Luctatio Coſſ. Roma luſtrata, capra cornibus ardentibus per urbem ducta, & porta Nævia emiſſa relictaque* : ſunt verba Julii Obſequentis de Prodig. Imo etiam prorumpente eo ſuperſtitione, *rationalia animalia*, *homines* videlicet *his duris ſacrificiis admoverunt*, & *ad luſtrationem* ſævo cultro *immolarunt*, quibus ad copiarum luſtrationem uſus eſt Xerxes Perſarum Monarcha, de quo Seneca de ira lib. III. cap. 16. pag. 51. *At quanto Xerxes facilior? qui Pythio, quinque filiorum patri, unius vacationem petenti, quem vellet, eligere permiſit; deinde, quem ele-*

gerat, in partes duas diſtractum ab utroque viæ latere poſuit, & hac victinia luſtravit exercitum, &c. Adde Herodotum lib. VII. Eodem etiam modo *Ægyptÿ virginis immolatione copias* & milites ſuos *luſtraverunt*. Achilles Tatius lib. III. Amor. Sic Jaſon, cum Medeæ uxoris ſuæ fratrem Abſyrtum per inſidias mactaſſet & obtruncaſſet, ut fratricidium hoc expiaret τρὶς δ' ἀπέλειξε φόνου, τρὶς δ' ἐξ ἄγος ἔπτυσ' ὀδόντων, *Ter delingit ſanguinem occiſi, ter dentibus exſpuit februa*; ſicut teſtatur Apollonius Rhodius Argonaut. lib. IV. Sed de his in ſuperioribus capitibus ſatis egimus. Adhibebant præterea ad *luſtrationem*, & corporum ſuorum expiationem atq; purgationem *res inanimatas*; nempe cum innocentem aut aliquem in templo occidiſſent, *arma ejus ligno effigiata pone poſt tergum rejiciebant*; Valerius Flaccus Argonaut. libr. III. à verſu 420. ad 460. Egregie autem *luſtrandi conſuetudinem, per res inanimatas* deſcribit Claudianus Paneg. in ſextum Honorii Conſulatum.

Luſtralem ſic triſte facem; cui lumen odorum
Sulphu-

Sulphure cæruleo, nigroque bitumine fumat,
Circum membra rotat doctus purganda Sacerdos
Rore pio ſpargens, & dira fugantibus herbis,
Numina, terrificumque Jovem, Triviamque precatus
Trans caput averſus manibus jaculatur in auſtrum
Secum rapturas cantata piacula tædas.

Videmus hic igitur ex Claudiano, quod *luſtratio* hæc *herbis* fuerit peracta. Quænam vero iſtæ fuerint herbæ non exprimit, ſed eas demonſtrat lib. III. §. 3. ad legem Corneliam de Sicariis pag. 1738. Digeſt. libr. XLVIII. tit. 8. ex Marciano lib. XIV. Inſtitut. *Alio Senatusconſulto effectum eſt, ut pigmentarij, ſi cui temere cicutam, ſalamandram, aconicum, pituocampas, aut bubroſtim, mandragoram, & id, quod luſtramenti cauſa dederint cantharidas, pœna teneatur hujus legis.* Hæc Claudiani & hujus legis loca mirum in modum ſe mutuo illuſtrare vides. Uſurpabant inſuper ad

ad luſtrationem *ſquillas*: Lucianus Neciomant. pag. 107. Chryſoſtomus Orat. XLVIII. Clemens Alexandrinus VII. Strom. Theophraſtus Ethic. Charact. de ſuperſtit. pag. 49. Scholiaſtes Theocriti in Thyaſiis. Johann. Tzetza Hiſt. Chil. v. cap. 23. Hipponax ab eo ibi citatus. Artemidorus ἐνοδίῳ ἡ Σκίλλα καθαρσίας εἶναι νενόμισαι. *Branchia olivæ*; Virgilius lib. VI. Æneid. *Ramum ficulneum*; Hipponax & Tzetza ſupra indicati. *Roſmarinum*; Virgilius Georgicor. lib. II. *Laurum*; Plinius lib. XV. cap. 30. Natural. Hiſtor. Juvenalis; Theophraſtus loco jam citato: Clemens Alexandrinus in Protreptico: Suidas: Feſtus: Heſychius: Hieronymus in Marcellæ viduæ epitaphio. *Ovum*; Apulejus lib. XI. Mil. P. Ovidius libr. II. de arte amandi. Lucianus Catap. pag. 62. *Sal*; Tibullus lib. III. eleg. 4. Valer. Flaccus Argonaut. lib. III. verſu 420. Theocrytus Idyl. XXIV. pag. 194. *Vinum*; Martialis lib. IX. Epigramm. 5. *Aquam*; Propertius: P. Statius. lib. IX. Thebaid. Perſius Satyr. 2. Ovidius

lib. VII.

lib. VII. Metamorph. Levitic. XVII. Aſconius Pœdianus in Ciceron. Orat. in Verr. Euripides Herc. Furens: Pollux lib. VIII. Chryſogonius Homil. XII. Eccleſiaſtic. cap. XXXI. Aliique; quam Claudianus *rore* exprimit. *Sulphur* & *bitumen*; Claudianus loco jam ſupra citato; Juvenalis: Apulejus lib. Mil. IX. Tibullus lib. I. eleg. 5. pag. 245. Ovidius lib. VII. Metam. p. 195. Tœdas; Apulejus libr. XI. Tibullus libr. I. eleg. 2. pag. 222. Lucianus Necyomant. pag. 101. Juvenalis;

Si quæ darentur
Sulphura cum tædis.

Sed de his luſtrationum ſpeciebus alia occaſione commodior diſſerendi facultas dabitur. *Luſtrabant* etiam antiquitus per *ignem* & flammas; tam *ut* ita *purgarentur*, quam, *ut Deorum*, quam promeruerant, *iram præverterent* & averruncarent. Hanc *luſtrationis* ſpeciem *per ignem*; Ovidius lib. VII. Metamorph. innuere videtur.

Multifidaſque faces in foſſa ſanguinis atra

Tingit, & infectas geminis accendit in aris,
Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure purgat.

Huc etiam referri poſſunt, quæ ſupra de tædis diximus. Et Romanis olim ſolenne erat, ut, cum *à funere*, quod proſecuti fuerant, *redirent*, *ſe accenſo igne luſtrarent*, teſte Feſto. *Funus proſecuti redeuntes ignem ſupergrediebantur aqua adſperſi: quod purgationis genus vocabant ſuffitionem.* Alias etiam antiqui *rogum* amici *defuncti ter cercuibant*, circumcurrebant, & luſtrabant, ſicut Virgilius in Pallantis Exſequiis de Trojanis teſtatur Æneid. XI. pag. 370.

Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos; ter mœſtum funeris ignem
Luſtravere in equis ululatuſque ore dederunt.

Adjicitur Valerius Flaccus in Argonaut. lib. III. verſu 347. 348. 349. eundem ritum in comburendo mortuos deſcribens. Lyranus ſuo tempore *purificatio-*

nem per ignem in uſu fuiſſe apud Tartaros ſcribit. *Ideo*, inquit, *extranei venientes ad præſentiam Imperatoris tranſeunt inter ignes factos hinc & inde : ut ſic purificati appareant coram ipſo.* Quando Bejani in India connubio copulabuntur, & *nuptias celebrabunt*, tunc *amici* & conſanguinei in ſponſi ædibus congregati *ſponſum* & *ſponſam ter circum ignem*, ad hoc medio in pavimento factum, *circumducunt*, dum interea Sacerdos Bramines verba quædam benedictionis effatur, & ita his ceremoniis matrimonium confarreatum habetur, veluti docet Johannes Twiſtius in deſcript. Guſſaratt. cap. XIV. pag. 31. Adde Itinerar. Th. Herberts pag. 29. Apud Majores, quoque noſtros *Friſios cum nuptiæ agitarentur*, *ſponſa longo virginumque juvenumque comitatu, tum multo auro argentoque onerata magis, quam ornata, paſſis capillis, corona redimita ad templum deducebatur : Viæ, qua ibat, facibus ignibuſque ſtramentitiis collucebant, fiebatque ea deductio more Romanorum noctu.* Sunt verba Clariſſ. Siccama J. C.

Hujus

Hujus conſuetudinis reliquiæ in Patria noſtra adhuc remanſerunt, nam ingentes ex ſtramento ignes multis in locis accendentur, cum ſponſus ſponſam domum ducat. Et non tantum in nuptiarum & funeris ſolennibus, ſed etiam *ipſa hominis nativitate* hæc *flammarum luſtratio* in uſu erat. Maimonides (quem, ut docet Johannes Buxtorfius, ex Arabica in Ebraicam vertit R. Samuel Aben Tybbon,) hoc affirmat apud Joh. Hottingerum Hiſtor. Orient. lib. 1. cap. 8. *Propterea ignicolæ eo tempore ſparſerunt, omnes illius, qui filium ſuum aut filiam ſuam per ignem non traducat, liberos morituros, &c. Scito autem, hujus operis veſtigia ſupereſſe etiamnum manifeſta ſatis in mundo. Vides enim obſtetrices ſumere puellos faſciis involutos, ac per ſuffitum ingrati odoris, igni injectum ſupraque adſcendentem eoſdem movere. Quæ procul dubio ſpecies eſt traductionis per ignem.* Hinc eam conſuetudinem fluxiſſe credo qua teneri Chriſtianorum liberi in Perſia hodie adhuc ignes luculentos in platea exſtructos tranſilire ſolent, cum

Chriſti

Chriſti nativitatis feſtum apud ipſos celebretur, teſte Illuſtriſſimo Pietro della Valle cap. XVI. pag. 70. Ritus hi prædicti *luſtrandi per ignem* ſine dubio ab *Iſraëlitis*, *Syris*, *& Chananeis originem* ſuam *habuerunt*, qui in Veteri Teſtamento *filios* ſuos idolo *Moleco per ignem traduxiſſe* frequenter leguntur. Hallucinantur igitur quam maxime illi docti Viri, qui ubique, cum in Sacra Scriptura mentio traductionis per ignem fiat, totalem corporis cumbuſtionem interpretantur; voluntque, Iſraëlitarum *filios* Deo *Moleco in holocauſtum combuſtos* paſſim ibi intelligi. Sicut ab altera parte ab errore non excuſari poteſt ſummus Vir Hugo Grotius, qui *totalem hanc Iſraëlitarum* filiorum *combuſtionem* negare videtur; Nam *eorum filii* & *per ignem traducti*, id eſt, *luſtrati* olim fuerunt; & etiam *in holocauſtum Moleco* totaliter *combuſti* & *immolati*, ſicut, ſi omnia Sacræ Scripturæ loca exacte penſitaverimus, & bene diſtinxerimus, nec ea confuderimus, clare apparebit. Quod igitur jam primo *traductionem* ſive *lu-*

ve *luſtrationem per ignem*, attinet, quia iſta abominabili idololatria *Chananæi*, & circumjacentes Iſraëlitas populi, Syriam inhabitantes infecti erant, Deus ſeveriſſime hanc ſui profanationem populo ſuo interdixit, cum ex vicinitate periculum eſſet, ut etiam ea labe contaminaretur. Ita intellige Levitici cap. XVIII. verſ. 21. *Item de ſemine tuo ne permittito traducendum Moleco: neque profanato nomen Dei tui* verſ. 24. *quia his pollutæ ſunt gentes iſtæ, quas ego dimitto à facie veſtra.* Hac autem *luſtratione*, ſive *traductione per ignem Gentiles ad divinationes* fortaſſe *utebantur*, ut ita futura prædicerent: Ita explica Deutronom. XVIII. cap. 9, 10. verſ. *Ne invenitor in te, qui traducat filium ſuum, aut filiam ſuam per ignem: utens divinationibus. Planetarius aut conjector, aut præſtigiator.* Quæ mea opinio etiam ex facto Manaſſæ Regis probatur. *Manaſſe Rex collocavit ſculptile luci quod paraverat, & traduxit filium ſuum per ignem, præſtigiiſque & conjectationibus uſus eſt.* 2 Reg. XXI: verſ. 6. in valle Hinnoni.

2 Chron.

2 Chron. xxxiii: 6. Sed præcipuum noſtrum argumentum nititur iis, quæ ſupra cap. xx. libri primi. de magia & divinationibus diximus, ubi etiam vaticinandi & augurandi modus indicatur. Eo crimine ſe etiam notarunt *Iſraëlitæ decem tribuum*, qui contra expreſſum Dei mandatum & præmonitionem cum Rege Manaſſa à vicinis Syris hac idololatria afflati ſunt. Eodem modo etiam *Judæi* ſive tribus Judæ *primogenitos ſuos per ignem luſtrarunt, ad divinationes* etiam fortaſſe. Ezechiel. cap. xx: vſ. 26. *Impurans ipſos cum donis ipſorum; eo quod traducerent omnem aperientem vulvam.* confer verſ. 31. *traducendo filios veſtros per ignem vos ipſos impuraveritis &c.* Eadem labe ſe etiam adſperſit ipſe Judæ Rex *Achaz*, qui 2 Regum xvi: verſ. 3. dicitur *filium tranſmiſiſſe per ignem, ſecundum abominationes gentium, quas expulerat Jehova à facie Iſraëlitarum.* In hebraico textu habetur, *fecit tranſire ignem*, & ſic *traductionem* ſive *luſtrationem* ibi intelligit. Vulgatus Interpres in 2 Reg. xvi. habet. *Filium ſuum conſe-*

cravit

cravit transferens per ignem. Septuaginta Interprete τ̀ υἱὸν ἀυτȣ̃ διῆγεν ἐν πυρὶ. Joſephus ὡλοκαύτωσε τ̀ παῖδα. In quo errat Joſephus, & alii, qui eo in loco perfectam immolationem intelligi aſſerunt, ſicut etiam Lyranus ibi luſtrationem & combuſtionem explicari poſſe teſtatur, Ad hoc autem ſunt ſeducti verſu. 3. cap. XXVIII. Chronicor. ubi expreſſe in originali lingua habetur, quod *Rex Achaz filios ſuos igne arſit ſecundum abominationes gentium.* Sed hæc duo loca facile conciliari poſſunt, ſi dicamus quod nefarius ille Rex & *liberos ſuos per ignem luſtraverit*, & *immolaverit*; Licet vulgatus ibi habeat: *Luſtravit filios ſuos in igne*; & Septuaginta Interpretes ϰ̀ διῆγε τὰ τεκνὰ διὰ πυρός. Locus autem ab Iſraëlitis huic ſcelerato operi deſtinatus erat *Tophet & vallis filiorum Hinnomi*, quam pius Rex Joſias *polluit*, *ne traduceret quiſquam filium ſuum aut filiam ſuam per ignem Moleco.* (Ampliûs in poſterûm) ut habetur 2 Reg. XXII: verſ. 10. Sic etiam *Ipſo* (Joſia Rege) *jubente & inſpectante aræ Baalim deſtructa: ſi-*

cta: *ſimulque* Hammanim, *quæ ſuper aris erant*. Sed qui *Hammanim* ſunt, non expreſſerunt Septuaginta Interpretes. Vulgatus ſimpliciter vertit *ſimulachra*: Junius & Piſcator *ſubdivales ſtatuas*; Septuaginta Interpretes in Ezai. xxvii: verſ. 9. 2 Chron. i: vſ. 45. verterunt εἴδωλα *idola*. Levit. xxvi: 30. τὰ ξύλινα χειροποίητα. Ezaiæ xvii: 8. βδελύγματα. Ignorabant quid eſſet. Conjungi ſolent cum lucis & excelſis. Sed ſupernè impoſita aris apparet. Exciſa eſſe dicuntur, ut molem fuiſſe oporteat, at cui uſui? Raſi in Leviticum dicit *ſpeciem idoli* ſive *imaginis*, quam ponebant juxta hortos, quod in ſole poneretur, ita appellatam. AbenEſdras *domos factas ad adorationem Solis*. Omnes volunt deductum *à Sole*, vel *æſtu*, & *calore*. Hęc conjectura eſt ſine probabili fundamento. Me vero quod attinet, auguror per *Hammanim* poſſe intelligi *Thammuz* idolum, ſive *Ammuz* quo nomine *Oſyrin*, ſive *Solem* & *Iovem Ammonem* apud Veteres eſſe expreſſum demonſtravimus cap. vi. libri prioris. Tertullianus

nus contra Marcionem libr. III. Joſiæ factum ita deſcribit.

Idola deſtituit, deſtruxit templa nefanda
Atque ſacerdotes ſuper aras igne cremavit,
Oſſa Prophetarum falſorum cuncta refodit,
Inceditque aras adolenda cadavera lignis.

Tertullianus contra Marcionem lib. III. de eodem rurſus.

Excidit lucos, aras, & templa ſubegit.

In omnibus, quæ hactenus allegavi, Sacræ Scripturæ locis, ubi fit mentio *traductionis per ignem*, neceſſario *luſtratio* debet intelligi; qod & exinde probamus, quia *circumferre*, apud antiquos pro *purgare*, *luſtrare* ſumebatur. Nam Servius ad hæc Virgilii verba. *Idem ter ſocios pura circumtulit unda*; dicit; *Circumtulit purgavit, antiquum verbum.* Plautus *pro larvato te circumferam*, id eſt *purgabo. Nam luſtratio à circumlatione dictum eſt.* Hactenus Servius. Et

Ma-

Macrobius vice verſa *luſtrare* pro *circuire* poni apud Virgilium author eſt. Lib. III. Saturn. cap. V. Ita autem canit Virgilius in Bucolicis.

Hæc tibi ſemper erunt, & cum ſolennia vota
Reddemus Nymphis, & cum luſtrabimus agros.

Ita apud Virgilium rurſus Æneid. libr. XI. pag. 370.

Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos; ter mœſtum funeris ignem
Luſtravere in equis, ululatuſque ore dederunt.

Apud Statium lib. VI. pag. 199. Thebaid.

Tunc ſeptem numero turmas (centenus ubique
Urget eques) verſis ducunt inſignibus ipſi
Grajugenæ Reges, luſtrantque ex more ſiniſtro
Orbe rogum, & ſtantes inclinant pulvere flammas.

Origo

Origo autem inde immanavit, quod cum agri & urbes luſtrarentur, *hoſtia in orbem circumferebatur*, ut patet ex Sexto Pompejo Feſto, Polybio libr. IV. de Mantinenſibus, & Demoſthene pro corona. Imo ipſi cives, & urbis *incolæ*, inſtante publico malo, totam *urbem circumibant*, & eam ita quaſi *luſtrabant*. Unde quoque ſic Lucanus lib. I. de bello Civili pag. 299. *ambire* pro *luſtrare* ponit.

Mox jubet & totam pavidis à civibus urbem
Ambiri, & feſto purgantes mœnia luſtro.

CAP. VI.

Immolabant victimas humanas per ignem idolis. Quædam loca S. Scripturæ explicantur Molocho; ejus ſtatua, & Saturni. Modos comburendi inter Muſicorum inſtrumentorum cantus. Plutarchus illuſtratur. Modus comburendi apud Syros, Judæos, Carthaginenſes, Africanos, Japonnenſes, Americanos, Gallos, Perſas, Græcos: Cypri incolas, Germanos, ſepten-

ſeptentrionales, Suevos, Scordiſcos, Romanos; &c. Diodorus Siculus & Florus illuſtrantur & explicantur.

SEd re vera etiam (ſi ita mihi barbare loqui liceat) *vivicomburio* ſive *combuſtione homines & liberos ſuos in holocauſtum idolis* ſive ſtercoreis *combuſſerunt* & *immolarunt Syri, Chananæi,* & *Iſraëlitæ.* Sic capi & explicari debet Levitici cap. xx: 3. *Exſcindam illum è medio populi ſui, quia de ſemine ſuo dedit Moleco.* adde verſ. 2. & 4. De *Chananæis* iterum docet Deutronom. cap. XII: verſ. 31. *Cum etiam filios ſuos & filias ſuas comburant igne, offerentes Diis ſuis.* Eoſdem Chananæos & Syros etiam Pſalmiſtam innuere veriſimile eſt; Pſal. CVI: 37, 38. *Nam ſacrificarunt filios ſuos filiaſque ſuas Dæmonibus, & effuderunt ſanguinem innoxium ſuorum filiorum & filiarum, quas ſacrificabant.* Idem piaculum etiam commiſit *Rex Moabitarum.* Nam ille Rex Moabitarum, ficut notat Theodoretus, cum ex urbe dura obſidione preſſa fugere ſed re infecta tentaſſet, quoniam ſtrenuæ hoſtium cohortis

opera exitus ei omnis præcidebatur, *filium primogenitum* & regni ſucceſſorem in *quadam turri igni combuſſit*, ſeu ſuper murum *in holocauſtum idolo ſacrificavit*, ut Numinis auxilium adverſus hoſtes ita ſibi conciliaret: ut patet ex 2 Reg. III: cap. 26. & 27. verſ. Idem de *Sepharvais*, teſtatur etiam 2 Reg. XVII: 31. *Havæi autem fecerunt Nibchanem, & Tharracum & Sepharvæi comburebant filios ſuos igne Adrameleco & Hannammerleco Diis Sepharvajimorum.* Eandem nefariam immolandi & comburendi conſuetudinem à circumjacentibus nationibus adoptaverunt etiam *Iſraëlitæ* & *Judæi*. Sic Jeremias cap. XIX. 5. *Et ædificarunt excelſa Bahalis ad comburendum filios ſuos igne, holocauſta Bahali.* Et cap. VIII: verſ. 31. Ezechiel cap. XVI: verſ. 36. *Propter cædes filiorum tuorum quos expoſuiſti eis* (idolis). confer verſ. 21. *Iugulaviſti filios meos & expoſuiſti eos, traducendo eos illis.* Iterum idem Propheta Ezechiel XXIII. cap. 37. verſ. *Etiamque filios ſuos, quos perpererant mihi, traducunt illis* (idolis) *conſumendos.*

dos. Adde verſum 39. *Nam poſtquam jugularunt filios ſuos ſtercoreis Deis ſuis.* Eodem etiam modo Judex Iſraëlitarum & fortiſſimus Heros *Jephte* ex voto propriam *filiam in holocauſtum Deo* obtulit & *combuſſit*, velut Joſephus dicit θύσαντα ὁλοκαυτῶσαι, de quo Sacr. Script. & nos libri primi cap. XVII. egimus. *Molochi*, autem idoli cui Iſraëlitæ liberos comburendos immolabant, *ſtatua erat ænea* (qualē quoq; Carthagine fuiſſe teſtatur Diod. Siculus) *habens manus extenſas eiq; ſupponebatur ignis* (*quales etiam ſtatuas in Americæ inſulis Africam contra ſpectantibus repertas fuiſſe referunt rerum Hiſpanicarum ſcriptores,*) *unde gehenna ignis pro reproborum æterna pœna ponitur.* Mat. V: 22. & XVIII: 9. V. 29, 30. Lucæ XII: 5. Marc. IX: 43. ſunt verba Ravanelli in Bibliotheca ſua. Judæi fabulantur, quod *idolum* hoc *intus concavum* fuerit; qua in cavitate poſitum ignem, donec ſtatua tota canderet. Tum in manibus idoli puerum conſecratum poni conſueviſſe. Rabbi Simeon narrat, quod hæc Molochi ſtatua in ſeptem æneas cellulas ſive con-

clavia eſſet diviſa, juxta ſeptem Planetas, quibus dedicata erant. Et cum hæc Molochi ſtatua ex igne ſuppoſito incaluiſſet, & canderet, ille, qui immolabat, in primam & ſupremam cellulam panis florem, in ſecundam turturem conjiciebat, in tertiam ovem, in quartam arietem, in quintam vitulum, in ſextam bovem, & in ſeptimam ſive infimam ipſum infantem. Illuſtriſſimus & Nobiliſſimus Pietro della Valle teſtatur & affirmat, in Lexico Ægyptiaco, quod in Ægypto invenit & inſpexit, Moloch denotare Martem antiqua Ægyptiorum lingua; ſicut videre potes apud illum in Itinerar. part. 1. cap. 26. pag. 121. Huic fere *ſimilem*, & eidem uſui deſtinatam *ſtatuam Saturnus* etiam *apud Carthaginenſes poſſedit*, quam deſcribit. Diodorus Siculus in Bibliotheca ſua lib. xx. pag. 756. *Hæc apud Carthaginienſes Saturni ſtatua* τὰς χεῖρας ὑπτίας ἐγκεκλιμένας ἐπὶ τὴν γῆν, ὥστε τὸ ἐπιτεθέντα τῶν παίδων ἀποκυλίεσθαι, καὶ πίπτειν εἰς τι χάσμα πλῆρες πυρός. *Quæ manus ſupinas extendebat ita ad terram*

inclinatas

inclinatas ut impoſitus ille puer devolveretur & in voraginem ignis plenam rueret. Sed tamen alio etiam modo per ignem ſine ſtatuæ ſupra dictæ auxilio Carthaginienſes homines in holocauſtum Diabolo combuſſerunt. Sic intelligi & explicari debet Diodorus Siculus lib. xx. pag. 799. *Nam Carthaginienſes, dum à parta victoria ad gratiarum vota Diis exſolvenda captivorum pulcherrimos immolant,* καὶ πολλοῦ πυρὸς τοὺς ἱεραχουτουμένοις ἄνδρας κατέχοντος, *jamque ingens flamma captivorum corpora involverat: ventus repente ingruens ſacrum tabernaculum aræ vicinum ſuccendit; & ulterius in prætorium, & adjuncta tentoria Ducum graſſatur.* Hanc horrendam *liberos* ſuos *per ignem Saturno conſecrandi* conſnetudinem à Syris & Phœnicibus, (à quibus originem habent,) ſine dubio acceperunt Carthaginienſes, & Africani, apud quos matres, cùm infantes comburendi candenti Saturni ſtatuæ traderentur, *blanditiis* & *oſculis liberorum quiritantium vagitum ſedabant*, quoniam *flebilem hoſtiam* & lacrymis conſper-

ſam *Saturno immolari fas non erat.* Minucius Felix in Octavio *illud* expreſſe *de Africanis* docet. *Merito ei (Saturno) in nonnullis Africæ partibus à parentibus infantes immolabantur, blanditiis & oſculo comprimente vagitum, ne flebilis hoſtia immoletur.* Hinc etiam cauſam conjicies & animadvertis, ob quam & *ipſæ matres nullum mœſtitiæ ſignum edere*, nec lachrymis genas irrorare deberent, ſed *omnia* horrendo *fiſtularum* & *tympanorum ſtrepitu*, dum comburebantur, paſſim *reſonarent*, & remugirent, ut ſcilicet miſerabilis infantis jam liqueſcentis vagitus horribili iſto cantu obtunderetur, & ita hoſtiam lachrymis & vagitibus non eſſe impiatam dicerent & præſumerent, cum non audire poſſent. Hoc modo intelligi, & explicari debet. Plutarchus de ſuperſtitione Guilhelm. Xylandro interprete pag. 171. *Et quibus nulla erat proles, ii à pauperibus infantes tanquam agnos aut pullos avium ad eam rem emebant: adſtabatque mater, ſine luctu aut gemitu, quem ſi ederet, aut fleret, pretio mulctabatur.*

Et

Et ante, ſimulacrum omnia ſtrepitu fiſtularum, tympanorumque opplebantur, ne ejulatus mactati exaudiri poſſet. Iſraëlitæ etiam & Judæi, ut quidam opinantur, tympana pulſarunt, tibiis cecinerunt, & horrendum rugitum ediderunt, cum infantes & filii ſui jam Molocho conſecrati in ardente ejus ænea ſtatua torrerentur; nam *tophet* locus ille, in quo immolatio iſta fiebat, denotat juxta eos *tympanum*, & *vallis Hinnon* ea combuſtione infecta *rugitum*, appellatione ab effecto deſumpta; quod etiam ex eo veriſimile videtur; quod Carthaginienſes, qui fiſtulas & tympana adhibuerunt, à Syris & Phœnicibus, ſub quibus Judæi olim etiam comprehenſi erant, fuerint orti & propagati, unde etiam à Syris & Judæis, hunc ritum ſecum in Africam tranſtulerunt; & forſitan Judæi ex eadem, qua Carthaginienſes, cauſa, tympana moverunt & tibias inflarunt. Nam infantes ſine dubio ex dolorum enormitate ejularunt. Unde Prudentius lib. II. contra Symmachum pag. 349.

Sic mos fuit olim

Cædibus infantum fument Saturnia Sacra,
Flebiluſque truces reſonent vagitibus aræ.

Eadem de cauſa etiam *bacchantes* illi & furioſi homines, *qui Romæ* ſubito emergentes promiſcua venere, & cruentis *humanis hoſtiis* omnia & ſeſe *fœdarunt*, *tympanorum*, & *cymbalorum* mugitibus, & horrendis *ululatibus* cœlum irritarunt. Livius lib. XXXIX. p. 856. *Multa dolo, pleraque per vim audebantur. Occulebat vim, quod præ ululatibus, tympanorumque, & cymbalorum ſtrepitu nulla vox quiritantium intra ſtupra & cædes exaudiri poterat.* pag. 857. *Neminem initiatum ibi majorem annis viginti, ut quiſquis introductus ſit, velut victimam Sacerdotibus tradi. Eos deducere in locum, qui circumſonet ululatibus, cantuque ſymphoniæ, & cymbalorum & tympanorum pulſu, ne vox quiritantis, cum per vim ſtuprum inferatur, exaudiri poſſit.* Apud *Septentrionales* etiam populos *immania* Sacrificia hæc Upſaliæ effœminatis Sacrificulorum aliorumque tripu-

tripudiis & geſtibus, ſtentoreo *nolarum ſtrepitu*, & inconditæ *Muſicæ barritu* celebrabantur, adeo ut hiſce diris generoſiores fulminati & offenſi potius alio ſe recipere, quam his immolationibus intereſſe maluerint. Hinc eſt, quod Starchaterus, teſte Saxone lib. VI. *apud Upſalam ſacrificiorum tempore conſtitutus, effœminatos corporum motus ſcenicoſque mimorum plauſus, ac mollia nolarum crepitacula faſtidiens, ad Haconem Daniæ Tyrannum ſe conferre maluerit, quam hiſce intereſſe.* Hoc & *in Chenaraga maris Indici inſula*, more à Tyriis, ut veriſimile eſt, æccepto, uſitatum eſſe author eſt Benjamin Judæus. Idem ritus ab incolis *Guineæ* in *Africa* obſervatur, nam *cum Diaboli eos vivos ſecum in infernum rapturi erunt, qui votum & obligationem de hoc vel illo peccato non rurſus perpetrando violarunt*, tunc *Sacerdotes* Jannanes vocati intendentibus ſeſe jam tenebris, & dubia diei luce ex ædibus prodeunt, & incredibilem *fragorem crepitaculis* quibuſdam per totum pagum *excitant*. In-

terim Diaboli advolantes reum media in platea collocatum ſecum per aëra in proximum lucum avehunt, interim nemo præter Sacerdotes foras proſpcere ſuſtinet, ne idem abductionis periculum incurrat, ſicut teſtatur Dapperus in deſcript. Africæ in Guinea. Sic etiam magno *tibiarum & tympanorum ſtrepitu incolæ S. Thomæ cum*, *qui* illi *Divo immolabitur*, per plateas ubique *deducunt*, teſte Vincentio le Blanck part. 1. cap. 12. Itinerar. in *Japania* in urbe nomine Dabys etiam hodie Dæmonis alicujus ſtatua ex ære fuſa & intus cava, ſed extus pretioſe inaurata viſitur, quæ viſitur, quæ viginti quatuor pedes in altitudinem exſurgit, licet genibus inflexis clunes ejus ſuris innitantur, & manus divaricatas habet, quibus in ſolennibus ſuis feſtis infantem inſerunt, qui, cum ſtatua illa per ignem in ſua corporis cavitate flagrantem incaluerit, ineffabiles inter dolores miſere torretur, teſte Herbertſio Anglo in Itinnerar. pag. 172. Eadem fere etiam ratione *Galli* veteres *homines per ignem Deis* ſuis *obtulerunt*:

lerunt, ſicut demonſtrat Cæſar Bell. Gall. lib. VI. pag. 132. *Alii immani magnitudine ſimulachra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent. Quibus ſuccenſis circumvenit flamma exanimantur homines.* Hæc ad verbum ex Cæſare deſcripſit Aimoinus Hiſtor. libr. 1. cap. 7. Hoc etiam vult Strabo lib. IV. pag. 360. *Magnam etiam è fœno chorto ſtatuam apparantes, eique lignum injectantes, pecoraque & varias immittentes belluas atque homines holocauſtum faciebant.* Ejuſmodi combuſtionem Diodorum Siculum innuere exiſtimo, cum ita de Gallis & Cimbris loquitur lib. v. Biblioth. pag. 309. *Nec aliter captivis quam hoſtiis ad Deum ſacra abutuntur. Nonnulli ipſorum etiam animantia bello capta una cum hominibus trucidant, aut* κατακαίουσιν *comburunt, aliove ſupplicii genere tollunt.* Ita vertit Laurentius Rhodomannus. Idem Diodorus Siculus lib. v. Bibioth. pag. 309. nos docet, *maleficos* modo ſupra dicto *à Gallis fuiſſe combuſtos*, cum ita loquitur. Μετ' ἄλλων πολλῶν ἀ-

παρχῶν καθαγίζουσι, πυρὰς παμμεγέθεις κατασκιάζοντες. (*Maleficos*) *ſuper grandi pirarum ſtrue cum aliis primitiis immolant.* Alio autem modo, ſed tamen per *combuſtionem*, ut docet Philo Judæus, (*Saturnus*) peſte coorta *filium* ſuum unigenitum *in holocauſtum dedit.* Sic *Crœſus* Rex Lydorum à Cyro Perſarum Monarcha in bello captus, ut *belli primitiæ in holocauſtum immolaretur*, niſi caſus quidam interveniſſet. De eo Herodotus libr. 1. pag. 34. *Eum Crœſum captum Perſæ ad Cyrum perduxerunt, quem ille vinctum compedibus ſuper ingentem, quam ſtruxerat, lignorum ſtruem imponit, circaque eum bis ſeptem Lydorum filios, ſive habens in animo primitias has alicui Deo offerre; ſive volens votum perſolvere, ſive cupidus ſciendi, num quis Dæmonum liberaret Crœſum.* Ita etiam *Iphigenia* Agamemnonis filia pro Græcorum exercitus ſalute immolanda *rogo impoſita fuit*, ſicut ſcribit Euripides Iphigen. in T u is.

Ἐλθοῦσͅ ἐς αὐλίδ᾽ ἡ τάλαιν᾽, ὑπὲρ πυρᾶς;

Μελαγ-

Μελαρβία κυρθεῖσ', ἐκαινόμλω ξίφει.

Cumque in Aulidem veniſſem miſera ſuper rogum
Sublimis collocata jam occidebar gladio (Iphigenia.)

In *Salamine homo Agraulo* filiæ Cecropis *mactandus*, cum ter juxta legem aram circumcurriſſet, per Sacrificulum medium per ventrem haſta feriebatur, *corpuſque* ejus *rogo* ad hoc exſtructo *impoſitum modo holocauſti in cineres redigebatur*, teſte Porphyrio lib. 11. de non edend. Animal. Apud *Græcos* etiam *populos* olim ille homo, qui morte ſua urbem expiaret, & à calamitate liberaret, Deorumque iram ſanguine ſuo mitigaret, *per combuſtionem immolabatur*, & in cineres ſolvebatur, quos in mare ſpargebant. Johannes Tzetza Hiſtor. chil. v. cap. 23.

Ὁ φαρμακὸς, τὸ κάθαρμα, τοιοῦτον ἦν τὸ πάλαι
ἂν ϲυμφορὰ κατέλαβε πόλιν, θεομηνία,
εἴτ' οὖν λιμὸς, εἴτε λοιμός, εἴτε καὶ βλάβος ἄλλο,

τῶν πάντων ἀμορφότερον ἦγον, ὡς πρὸς θυσίαν.

εἰς καθαρμὸν καὶ φάρμακον πόλεως τῆς νοσούσης,

εἰς τόπον δὲ τὸν πρόσφορον στήσαντες τῇ θυσίᾳ,

τυρὸν τεδόντες τῇ χειρὶ, καὶ μάζαν, καὶ ἰσχάδας,

ἑπτάκις γὰρ ῥαπίζαντες ἐκεῖνον εἰς τὸ ποτὲ,

Σκίλλαις, Συκαῖς ἀγρίαις τε, καὶ ἄλλοις τῶν ἀγρίων,

τέλος πυρὶ κατέκαιον, ἐν ξύλοις τοῖς ἀγρίοις

καὶ τὴν Σποδὸν εἰς θάλασσαν ἔρραινον εἰς ἀνέμοις,

εἰς καθαρμὸν τῆς πόλεως ὡς ἔφην τῆς νοσούσης.

Pharmacus, purgamentum tale erat olim:

Si calamitas apprehenderet urbem Deorum indignatione,

Sive fames, ſive peſtis, ſive & nocumentum aliud,

Omnium deformiſſimum ducebant ad victimam

In pur-

In purgamen atque pharmacum urbis laborantis.
In locum autem offerendam ſtatuentes hoſtiam,
Caſeumque dantes manu, & offam, atque ficus,
Septies enim cædentes illum in veretrum
Scillis, ficubus agreſtibus, atque aliis ex agreſtibus,
Poſtremò igne concremabant in lignis agreſtibus,
Et cinerẽ in mare ſpargebant ad ventos,
In purgamen Urbis, ut dixi, laborantis.

In urbe *Piſſa* in Inſula *Cyprò victima humana flammis etiam adolebatur*, ut ſcribit Prodromus lib. VII. Amor. Sed *Germani per ſortes victimam humanam igni addixerunt*, juxta Cæſarem de Bello Gallico lib. I. pag. 35. *Is, ſe præſente de ſe ter ſortibus conſultum dicebat, utrum igni ſtatim necaretur, an in aliud tempus reſervaretur? ſortium beneficio ſe eſſe incolumem.* Idem Olaus Wormius *de Germanis* teſtatur, quod nempe *immolatos cremaverint.* Moniment. Danicor. libr. I. cap. 3.

cap. 3. *Septentrionales* etiam populi *Toparcham* ſeu Regem *vermlandorum in ſacrificium per combuſtionem occiderunt*, juxta fidem Hiſtor. Norveg. & Dudonis de S. Quintino. Sic etiam *Suevi*, *Cheruſci*, & *Sicambri viginti centurionibus in holocauſtum concrematis*, *hoc velut ſacramento ſumſerunt bellum*. Ut loquitur Florus lib. IV. pag. 43. Eis non cedentes in feritate *Scordiſci* omnium Tracum truculentiſſimi *immolatione per ignem in mortales ſævierunt*. Sic explicandus & illuſtrandus Florus lib. III. cap. 4. *Nihil interim per id omne tempus reſiduum crudelitatis fuit in captivos ſævientibus. Litare Diis ſanguinem humanum*, & *hujuſmodi ludibrio fœdare mortem tam igni quam fumo.* Nec ipſi *Romani* in hoc ritu fuerunt hoſpites & aſymboli, nam in urbe Roma L. Furio & Serrana Conſulibus *puer Auruſpicum juſſu crematus eſt*; ſicut docet Julius Obſequens de Prodigiis. Et cum bellum civile inter Cæſarem & Pompejum inſtaret, Romæ *monſtroſi partus combuſti ſunt*, ut ta urbs expiaretur & luſtraretur. Lucanus libr. I. pag. 29.

pag. 29. ubi Tuſcus Vates ita reſpondet.

Monſtra jubet primum, quæ nullo ſemine diſcors
Protulerat natura rapi, ſterilique nefandos
Ex utero fœtus infauſtus urere flammis.

Tenuſtitani in America populi has prædictas Gentes in hoc comburendi ritu imitantur, veluti affirmant; Martyr. Deſcript. Novi Orbis decade v. cap. 10. pag. 432. Vincent. Blanck libr. 1. cap. 31. Nam, ſicut teſtatur P. Martyr. decad. VII. cap. 9. pag. 523. *Immolanda certis temporibus reguli mancipia mittunt. Coram numine ſuo mancipia jugulant, mox comburunt, gratum fore ſimulachro flammantem illum odorē arbitrantur.* Sic etiam *Gymnaſophiſtæ rogum ingentem adſcendentes ſe comburere & immolare conſueverunt* teſte Luciano in Fugitivo. pag. 315. Et juxta Brachmannarum conſuetudinem & legem *in rebus adverſis Indus Calanus* vel juxta Diodorum Siculum lib. XVII. pag. 520. *valetudinis cauſa*; ſed *fortuna ſecunda legatus ille* (de quo Nicolaus Damaſcenus apud Strabonem lib. xv. pag. 468.)

478.) *ſe ipſos Diabolo & flammis obtulere, & perun*Ɛ*ti ſuper ardentem Pyram ſedentes per ignem elati ſunt.* Sunt tamen, qui *dicunt, Calanum in lignea domo frondibus plena, & pyra ſuper tecto conſtructa incluſum, poſt pompam, cum qua erat, ſe ut trabem in ignem conjeciſſe, & cum domo deflagraſſe*, ſunt verba Strabonis lib. xv. pag. 465. 463. 468. Adde Ciceronem de Divinatione lib. 1.

CAP. VII.

Cum defuncto, quæ fuerant ei in vita chariſſima, combuſta. & homines in ejus exſequiis immolati & combuſti. Uxores demortui, amici, & clientes, ſervi, captivi in holocauſtum combuſti. P. Statius & Cointhus Smyrnæus illuſtrantur. Vinum infuderunt in rogum. Illuſtratur Statius, & Agathias. Polyxenæ immolatio. Explicatur Euripides & Auſonius.

ANtiquitus, cum aliquis fatis conceſſiſſet, in rogum, quo corpus ejus arderet, conjiciebantur quæ illi in vita pretioſiſſima & cariſſima fuerunt.

runt. Egregiũ hujus conſuetudinis exemplum Silius Italicus lib. 10. nobis exhibet.

Hinc citus ad tumulum donataque funera Paulo
Ibat, & hoſtilis leti jactabat honorem,
Sublimem eduxere pyram, moleſque virenti
Stramine compoſuere toros, ſuperaddita dona,
Funereum decus expertis, inviſus & enſis.
Et clypeus, terrorque modò, atque inſigne ſuperbum.
Tum lateri faſces, captæque in Marte ſecures.

Ita etiam apud Longum in Paſtoral. libr. I. Dorconi Paſtori demortuo amici circa ejus tumulum σύριγγας πολλὰς κατέκλασαν *tibias multas fregerunt*, cum in vita egregius fuiſſet tibicen. De hoc ritu conſulatur præterea Lucianus in Nigrino pag. 63. Tibullns lib. II. eleg. 2. Statius libr. III. Sylvar. libr. VI. Theb. pag. 195. Johannes Adolphus Cypræus lib. I. cap. 2. Annal. Eccleſ. Sleſvic. Lucanus lib. VIII. Seneca in Hercule Oetus.

teo. Homerus v. ὄδυσσ. Virgilius XI. Æneid. Livius Hiſtor. lib. XLI. p. 917. P. Warnefridus lib. II. cap. II. de geſtis Longobard. & cap. 28. Valerius Flaccus Argonaut. lib. III. verſ. 340. & lib. V. verſu 6. 30. Diu ea conſuetudo apud Germanos etiam in uſu manſit. Eodem etiam modo hodierno adhuc tempore Reges regni Bene regionis Nigritarum in Africa poſt mortem cum auro & argento in flumen immituntur, ut à nemine inveniri poſſint. Teſte Dappero in deſcript. Africæ p. 372. & Serræ Leonæ incolæ una cum aureis ſuis ornamentis ſepeliuntur. Sed hoc ritu Gentiles non contenti, etiam *mortuorum inferias & manes ſanguine humano, humaniſque victimis per combuſtionem in holocauſtum oblatis placare incubuerunt.* Ita *puella, quæ, cum Fabiæ* Imperatoris Heraclii uxoris *funus efferretur, per feneſtram forte ſpuiſſet, & elatum cadaver* ſputo *tetigiſſet, rogo Fabiæ impoſita & viva* ſine cunctatione *exuſta* eſt, ſunt verba Egnatii in Heraclio. Johann. Zonaras tom. 3. de Heraclio cùm Egnatio in hoc conſentit. *Neque multo poſt conjux ejus moritur.*

moritur. Cujus funus cum ornatu regio per forum efferretur, puella quædam barbara proſpectans, ſputum imprudens in feretrum dejecit, ob quod factum comprehenſa ἡ κόρη ἐκαύθη προσενεχθεῖσα τῇ θανούσῃ λίαν οἰκτρὸν ἐπιτάφιον. & cremata Imperatrici defunctæ infeliciter parentavit. Apud plurimas etiam gentes & populos, *uxores in pyram* ardentem *maritorum* fato functorum *ſe conjicere*, & ita ſanguine, vita, & corpore *ſuo* conjugum inferiis parentare, *eorumque umbris ſe immolare* conſueverunt. Servius ad v. Æneidos. *Fuit hæc majorum conſuetudo; ut quoties Reges moriebantur, cum his dilecti equi, vel ſervi & una de uxoribus charior circa rogum occiſi incenderentur.* Hic abominabilis mos olim frequentatus fuit, ab *Vvendis*, qui Slavorum ſeu Thuringorum genus erant: Vunefridus Anglus in Epiſtola Edoardum Regem. *Thracibus*; Solinus Polyhiſtor cap. 16. Pomponius Mela de ſitu Orbis lib. II. cap. 2. *Gallis*; Pompon. Mela lib. III. cap. 2. *Indis*; Propertius libr. III. eleg. 10. pag. 727, Ælianus Var. Hiſtor.

Hiſtor. lib. VII. cap. 17. Diodorus Siculus libr. XVII. p. 610. Libr. XIX. p. 678. 679. 680. 688. *Catheis*; Strabo lib. XV. pag. 435. Adde de hoc ritu Ariſtobulum apud Strabonem lib. XV. pag. 460. Valerium Maximum lib. II. cap. I. Euſebium lib. VI. de Præparat. Euangel. cap. VI. Philonem Judæum de Abrahamo, alioſque. Et nihil hodie apud Indos Orientales uſitatius eſt. Magna autem olim inter Indorum uxores (quas plures ducere illis licebat) lis & contentio erat, quænam cum mortuis maritis comburerentur, & cæteris fœminis ad hunc honorem præponerentur. Inſpice Diodorum Siculum lib. XIX. pag. 678. 679. 680. Unde per ſortes dirimebantur juxta Ciceronem lib. V. Quæſt. Tuſculan. & Ælianum lib. VII. Variorum cap. 18. Et ſicut ſupra in Servio vidimus, non tantùm uxores ſed etiam, *amici, clientis & ſervi* dilectiſſimi eidem *mortuorum rogo devovebantur*. Nam *Gallis* Aimoinus de geſtis Francorum lib. I. cap. 8. illum ritum adſcribit. *Funera ſunt pro cultu Gallorum magnifica & ſumptuoſa,*

ptuoſa, & omnia, quæ vivis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia, & paulo ſupra hanc memoriam, ſervi & clientes, quos ab his dilectos eſſe conſtabat, juſtis funeribus confectis una cremabantur. Quæ ad verbum extracta ſunt ex Julio Cæſare lib. VI. pag. 134. de bello Gallico. In *Japannia* hodie *cum aliquis ex Magnatibus moriatur* aliquando ex *ſervis*, & *clientibus decem, & viginti*, aliquando etiam *triginta ſibi ventrem diſſecant*, & ita moriuntur, & ii, quibus Dominus adhuc vivens poculum vini propinaverit, ad hanc immolationem tenentur & obſtringuntur. De Indorum *Servis* idem facientibus teſtatur Petrus de Broeck in Itenerar. pag. 71. & 84. Et ſicut *in prælio cæſos hoſtes umbris immolatos* dixerunt; & pro *acceptiſſima Deis victima* olim habuerunt Ethnici, ſicut capite XVII. pag. 284. & 285. libri primi ex P. Æmilio & Arngrimo probavimus: quo ſenſu etiam capienda & illuſtranda ſunt verba P. Statii Thebaid. lib. VII. pag. 233. *Innumeram ferro plebem immolat umbris.* Ita etiam *amico-*

amicorum ſuorum adverſo Marte & prælio interemptorum manes non quieſcere & placari poſſe exiſtimabant, niſi *cùm iis in* eodem *rogo*, quo, eorum cadavera comburebantur, *captivi immolati in holocauſtum* ſimul *concremati eſſent.* Hoc *Bacchus in exſequiis* amici ſui *Opheltis* ex vulnere mortui obſervaſſe legitur apud Nonnum Dionyſ. lib. XXXVII.

In rogo vero medio ſternebant mortuum.
circa vero defunctum.
Aſterius Dictæus ſublimem gladium
extrahens
Ἰνδοὺς κυανέους δυοκαίδεκα δειροτομήσας θῆκεν
Indos nigros duodecim capite truncans
Poſuit ducens coronatim continuo ſuccedente quodam ornatu.
Impoſuit vero mellis & unguenti amphoras.

Achilles quoque Græcorum Dux *in combuſtione* cadaveris amici *Antilochi* idem fecit; teſte Phriloſtrato Juniore. Ὅτε δὴ τὸν Ἀχιλλέα πυρὰν τε τῷ Ἀντιλόχῳ νῆσαι καὶ πολλὰ αὐτὴν σφάξαι, τά τε ὅπλα, καὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ Μέμνονος. *Quando Achillem*

Achillem pyram Antilocho ſtruxiſſe aiunt, multaque in ipſam mactaſſe: armaque Memnonis ac caput combuſſiſſe. Et idem *Achilles in* ultima conclamatione & funere dilectiſſimi *Patrocli.* Hyginus fabul. CCLXXIV. *Quartodecimo Achilles Patroclo funebres* (ludos) *fecit, in quibus Ajax vicit lucta* &c. *demiſſo ſpectaculo eodem, Phrygas captivus duodecim in rogum Patrocli & equum & canem conjecit.* Adde Libanium Sophiſtam Diſſertat. Moral. 2. De eo ſic Homerus Iliad. Ψ. pag. 809. editione Henrici Stephani.

Quatuor autem procera cervice equos
Feſtinanter injecit pyræ, graviter ſuſpirans.
Novem huic Regi menſarij canes erant.
Et quidem ex his injecit pyræ duos obtruncatos.
δώδεκα δ' Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς
χαλκῷ δηϊόων.
Duodecim etiam Trojanorum magnanimorum fortes filios

 Ferro

Ferro mactans.

Attamen *captivos Trojanos* non combuſtos, ſed *ad favillam rogi Patrocli jugulatos fuiſſe* teſtatur Dictys Cretenſis lib. III. belli Trojani. *Dein captivos omnes* (duodecim à Diomede, quadraginta ab Ajace captos) *uti quem ceperant in ordine Achilli offerunt: Iſque vino ſopita jam favilla reliquias* (Patrocli Socii) *in urnam collegerat: decretum quippe animo gerebat ſecum, in Patrium ſolum uti adveheret, vel ſi fortuna in ſe caſum mutaret, una eademque ſepultura cum chariſſimo ſibi omnium contegi. Itaque eos qui oblati erant* (captivos) *deduci ad buſtum, una etiam Priami filios* (Iſum & Evandrum) *Ibique ſeorſum aliquantulum à favilla jugulari jubet, ſcilicet inferius Patrocli manibus; ac mox Regulos canibus dilaniandos jacit. Captivorum* ſanguine & *immolatione* ipſi etiam *Græci ipſius Achillis* manes & *rogum* ſatiarunt & *honorarunt*, cum vita exceſſiſſet. Cointhus Smyrnæus lib, III.

Πολλόις δ' ἐφύπερθε βαλοντο
Τρώων δηώσαντες ὁμῶς περικαλλέας υἱάς.

Nec

Nec paucos ſuperinjiciunt
Una Troum forma inſignes natos, quos obtruncaverant,
Adjiciunt etiam oves, & porcos onuſtos pinguedine.
Porro Myrmidones, ubi vaſti corporis
Regem ignis funeſtus conſumpſerat,
Ultimum poſt alios, qui necati erant in mortui honorem,
Equos, viroſque, & quæcunque alia lachrymantes
Achivi ex theſauris deprompta anguſto cadaveri adjecerant,
Tandem Pyram vino reſtrinxerunt.

Quod hic Smyrnæus, ſicut ſupra Dictys Cretenſis, vini meminerunt, quo favillæ Patrocli & Achillis ſint exſtinctæ, ſciendum eſt, quod *Veteres* prioribus temporibus *ac feriam vini in proximorum atque amicorum* flagrantem *rogum infuderunt*, ut hoc liquore & manibus ſatiſfieret, & ſcintillantes favillæ tepeſcerent. Probant Feſtus in Reſperſum vinum. Lucianus de luctu pag. 793. Longus Paſtoral. pag. 26. lib. 1. Euripides in Electra dicit οἰνωπὸν τ' ἄχνην *vini ſpumam.*

mam. Seneca in Oedip. *fundit Bacchum manu.* Thucidides lib. III. Virgilius de Ænea.

Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho.

Unde illuſtratur P. Statius, qui his verbis forte de hoc ritu & vino loquitur Thebaid. lib. VI. pag. 199.

Inſtant flammis, multoque ſoporant Imbre rogum.

Rurſus lib. VII. pag. 218.

Vina ſolo fundens cinerem placabat Adraſtus.

Quam conſuetudinem & Chriſtiani in Martyrum combuſtionibns obſervarunt teſte Paulo Aringho in Roma Subterran lib. I. cap. 8. ex Surio. Inferiarum vices etiam captiva Trojana *Polyxena* Priami filia explevit, cum *ab buſtum Achillis à* Pyrro *immolaretur*, ut & manes ejus virgineo cruore placarentur, & Græcis optatus in Patriam ejus morte ſterneretur. Sicut teſtantur Dares Phrygius de excidio Trojano pag. 157. Cointhus Smyrnæus lib. XIV. Et ita loquitur Tryphiodorus de Trojæ excidio.

οἱ δὲ πολυξείνης ἐπιτύμβιον αἷμα χέοντες,
μῆνιν ἱλασσόμενοι τεθνειότες Αἰακίδαο.
Ipſi verò Græci Polyxenes ſanguinem
fundentes ad ſepulchrum Achillis
Iram placantes erant mortui Æacidæ.

Euripides conſentit & idem affirmat. in Troad.

Τέθνηκε σοι παῖς πρὸς τάφῳ πολυξένη
Σφαγεῖσ' Ἀχιλλέως, δῶρον ἀψύχῳ νεκρῷ.
Mortua eſt Tibi filia Polyxena ad tumulum
Achillis mactata, munus exanimi cadaveri.

Ovidius lib. XIII. pag. 386.

Placet Achilleos mactata Polixena
manes,
Dixit.

Euripides in Hecuba.

Ε'σόψει χειρός ἀναρπασθὰν
Σᾶς ἀπολαιμότομον τ' ἀίδα
Πᾶς ὑποπεμπομέναν σκότον.
Videbis manu abreptam (Polyxenam)
Tua, decollatamque Plutoni
Terræ miſſam ſub tenebras.

Quod ad *Achillis ſepulchrum* fuerit à Græcis deducta, docet Smyrnæus libr.

XIV. *Sacrificus* autem, ſive hujus ſacrificii Præjectus *Pyrrhus Achillis filius* deſtinatus eſt. Idem Euripides in Hecuba docet.

Θύματος δ' ἐπιστάτης
Ἱρεὺς τ' ἐπέστη τοῦδε, παῖς Ἀχιλλέως.

Sacrificii verò Præfectus (Polyxenæ)
Sacerdoſque ſtatutus eſt hujus filius Achillis.

Coſmæ Mechanicus in Pyrrhum volentem jugulare Polyxenam. idem docet.

Πύῤῥος ἐγὼ σπεύδω δὲ πατρὸς χάριν ἡ δὲ κυνῶπις
Παλλάδα κικλήσκει γνωτὸν ἔχουσα πάριν.

Pyrrhus ego: feſtino autem Patris nomine: illa verò impudens
Palladem inclamat, fratrem habens Paridem.

Quod autem Polyxena viriliter, intrepideque, & honeſte obierit, docet Ovidius Metamorph. lib. XIII. p. 387.

Populus, lacrymas, quas illa tenebat,
Non tenet. Ipſe etiam flens, invituſq; ſacerdos
Præb-

Præbita conjecto rupit præcordia ferro.

Ovidius Metam. lib. XIII. pag. 387.

Illa ſuper terram defecto poplite labens
Pertulit intrepidos ad facta noviſſima vultus,
Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas
Cum caderet, caſtiſque decus ſervare pudoris.

Agathiæ in perdicem à fele devoratam carmen hinc intelligitur.

οὔ σε φίλη πέρδιξ φθιμένην ἀγέραστον ἐάσω
ἀλλ' ἐπὶ σοὶ κτενέω τὴν σέθεν ἀντιβίην
ψυχὴ γὰρ σέο μᾶλλον ὀρίνεται, εἴσοκε ῥέξω
ὅσσ' ἐπ' Ἀχιλλῆος πύῤῥος ἔρεξε τάφῳ.

Non te amica perdix mortuam ſine munere relinquam,
Sed ob Te occidam tuum hoſtem,
Anima verò tua magis turbatur, donec fecero,
Quæcunque in Achillis Pyrrus fecit tumulo.

Cauſam hujus cruenti ſacrificii *Calchanti* Sacerdoti adſcribit Libanus Sophiſta in Achillis. Sed Dictys Cretenſis lib. v. de bello Trojano *Ulyſſi* illud affingit. *Dein Polyxena, ſuadente Ulyſſe, per Neoptolemum Achilli inferias miſſa.* Hyginus Fabul. cx. ſcribit, *ex Achillis ſepulchro vocem fuiſſe emiſſam, quæ prædæ partem ſibi poſtularet. Ad quod Danai Polyxenam formoſiſſimam virginem ab Achille adamatam immolaverunt; ut ita morte ſua Achilli deſponſata ei in campis Elyſiis ut uxor adhæreret, & comitaretur.* Unde intelligis, quare Euripides in Hecuba. *Polyxenam* vocavit.

Τύμβῳ φίλον πρόσφαγμα.

Tumulo Achillis charam victimam.

Seneca Trag. Troas pag. 339. Act. II. idem annuit.

Non parvo luet
Iras Achillis Græcia: at magno luet
Deſponſa noſtris cineribus Polyxena:
Pyrrhi manu mactetur, & tumulum riget.

Eadem fere repetuntur pap. 342. & 345. in eadem Comœdia. Seneca Tragœd.

gœd. in Troad. Act. IV. pag. 367. rurſus.

Vel Achillis ante buſta, furibunda manu
Occidere Pyrrhi, fata comitantem tua
Polyxena miſeranda, quam tradi ſibi
Cineremq; Achilles ante mactari ſuum,
Campo maritus ut ſit Elyſio, jubet.

Cointus Smyrnæus lib. XIII.

Ideo mihi nunc ex animo præ cunctis aliis cupienti
E Priami ſpoliis Polyxenam decenter amictam
Quam primum mactent, ῥέξωσιν.
Ipſam verò ſi volent, quando animam eripuerint,
Puellam ſepeliri à me ſeorſum, non invideo.

Auſonius Epitaph. Heroum. XXVI. hinc illuſtratur.

Troas Achilleo conjuncta Polyxena buſto,
Malueram nullo ceſpite functa tegi.
Non bene diſcordes tumulos miſcetis Achivi
Hoc violare magis quam ſepelire fuit.

Adde Libanium Progymnaſm. Quintilianum Inſtitutionum Orator. libr. VI. cap. 2. pag. 268. Strabonem libr. x. pag. 51. alioſque, qui crudelis hujus Polyxenæ immolationis & mactationis & ſive veræ ſive falſæ hiſtoriæ meminerunt. *Æneas* etiam *Pallantis* amici bello perempti *rogum captivis* juvenibus *cumulavit*, & illi *humani ſanguinis* inferiis & *libatione ultimum Vale acclamavit*. Virgilius Æneid. lib. x. pag. 353.

Sulmone creatos
Quattuor hic juvenes, tandem quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoq; rogi perfundat ſanguine flammas.

CAP. VIII.

Manibus defunctorum litatus ſanguis captivorum, & beſtiarum, aliique liquores. Pindarus explicatur, ex Lycophron. Florus contra Lipſium defenditur, illuſtratur, & explicatur. Arrianus & Seneca explicantur. Immolatio-

gladiatorum ad tumulum & rogum defunctorum. Prudentius explicatur. Arrianus illuſtratur. Petronius explicatur. Quidam voluntaria morte & immolatione amicorum funeribus parentantes. Genas carpebant & radebant in funere, & ſanguinem mortuo libabant.

ET licet multi Trojanorum obſidionem, & Polyxenæ mactationem, Æneæque res in Italia geſtas, tanquam μυθολογήματα traducant (quibus ego in hoc liberum ſuum judicium concedo) tamen Servius fide dignus author aſſerit ad XII. Æneid. quod *moris antiquitus fuerat, ut ante rogos humanus ſanguis effunderetur vel captivorum.* Supra vidimus, quod captivi ſimul cùm Illuſtribus Viris, qui in bello occubuiſſent, eodem rogo concremati & ſepulti fuerint. Jam Authores conſulemus, qui nulla quidem combuſtionis mentione facta, tamen *amicorum defunctorum umbris humanum captivorum aliorumque ſanguinem*, profuſum, oblatum, & *litatum eſſe* affirmant. Eo modo intelligatur & illuſtretur, Pindarus

rus Olymp. ode 1. pag. 27. de Pelopis exſequiis loquens.

Νῦν δ' ἐν αἱμακουρίαις ἀγλαᾶισι μέμικται, Ἀλφεῦ πόρῳ κλιθείς.

Nunc autem in exſequiis magnificis Mixtus eſt, juxta Alphei meatum reclinatus.

Mox

Τύμβον ἀμφίπολον ἔχων πολυξενωτάτῳ παρὰ βωμῷ.

Tumulum qui undique ambitur habens frequentiſſimam hoſpitibus ad aram.

Johannes Benedictus ad hæc verba ita commentatur αἱμακουρίαι vel αἱμακορίαι *authore Scholiaſte, Heſychio, Etymolog & Corintho, vox eſt Bœotica, quæ ſignificat* τὰ ἐναγίσματα *vel* ἐπικτέρεα *Parentationes mortuorum, a nomine* αἷμα *ſanguis &* κορέω *ſaturo, quod animæ defunctorum quaſi ſanguine ſaturentur. Moris enim erat in veterum ſuperſtitionibus, pro mortuorum animabus pecudes mactare, ipſarumque ſanguine Deos inferos placare.* Cujus Clariſſimi Viri opinioni & ego reluctari admodum nolo, cum ſciam, *antiquorum inferias,*

quæ

quæ mortuorum umbris inferebantur, *etiam ex* victimarum *Beſtiarum ſanguine conſtitiſſe*, quo demortui tumulus & rogus perfundebatur, ſicuti etiam *lactis*, *aquæ*, *mellis* & *unguentorum liquoribus*, juxta fidem Apuleji libr. VIII. Mileſ. Statii Thebaid. lib. VI. pag. 198. 199. Auſonii Epitaph. carm. XXXVI. Kirchmanni de funeribus Romanor. Sophoclis in Electra. Heriodori lib. VI. Luciani de luctu & in Charon. pag. 162. Plutarchi de Socratis genio. pag. 578. Aliorumque. Sed commode etiam hic Pindari locus *ad humani ſanguinis libationem* & *inferias* trahi poteſt. Nam ſicut Aretius ſcribit, in Hamacuria feſto apud Peloponeſios juvenes Græci ſe quotannis ad Pelopis ſepulchrum uſque adeo flagris cædere conſueverunt, ut cruore ſuo Pelopis tumulum irrorarent, unde hoc feſtum ab ἅιμα ſanguis & κȣ̃ρος juvenis Hæmacuria vocabatur. *De victimarum ſanguine mortuis libato* ita etiam Virgilius lib. III. Æneid.

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras.

Mercenarii ita *milites*, qui contra Carthaginienſes rebellaverant, *Ducis* ſui *Spendis cadaver captivorum nobiliſſimorum* ex Carthaginienſibus *ſanguine conſperſerunt* & *expiarunt*, & his *humanis victimis morti* & *manibus ejus parentarunt*. Polybius lib. 1. Hiſtor. Μετὰ δὲ ταῦτα προσαγαγόντες πρὸς τὰ τείχη τοὺς περὶ τὸν Σπένδιον αἰχμαλώτοις, ἐσταύρωσαν ἐπιφανῶς. οἱ δὲ περὶ τὸν Μάθω καταινοήσαντες τὸν Ἀννίβαν ῥαθύμως, καὶ κατατεθαῤῥηκότως ἀναστρεφόμενον, ἐπιθέμενοι τῷ χάρακι πολλοὺς μὲν τῶν Καρχηδονίων ἀπέκτειναν, πάντας δ' ἐξέβαλον ἐκ τῆς στρατοπεδείας. ἐκυρίευσαν δὲ καὶ τῆς ἀποσκευῆς ἁπάσης. ἔλαβον δὲ καὶ τὸν στρατηγὸν Ἀννίβαν ζωγρείᾳ. τοῦτον μὲν οὖν παραχρῆμα πρὸς τὸν τοῦ Σπενδίου σταυρὸν ἀγαγόντες καὶ τιμωρησάμενοι πικρῶς, ἐκεῖνον μὲν καθεῖλον. τοῦτον δ' ἀνέθεσαν ζῶντα, καὶ περικατέσφαξαν τριάκοντα τῶν Καρχηδονίων τοὺς ἐπιφανεστάτους, περὶ τὸ τοῦ Σπενδίου σῶμα. *Poſt hæc Spendium* (Mercenariorum) Ducem, *&* *reliquos captivos muris* (Cuncti obſeſſi) *admotos in hoſtium conſpectu crucibus affigunt* (Carthaginien-

nienſes,) *Matho vero alter Dux animadverſa Hannibalis negligentia, & nimia confidentia, munitiones illius adortus, multos Pœnorum occidit: caſtris excedere omnes compellit. Capta eſt omnis caſtrenſis* (ſupellex,) *captus etiam Dux ipſe Hannibal: quem ilico ad Spendii crucem adductum poſt acerbos cruciatus, depoſito Spendii cadavere, vivum eidem infelici ligno affixerant: mactatis circa Spendii corpus triginta ex Nobiliſſimis Carthaginienſium.* Eodem etiam modo Carthaginienſium Imperator (*Hannibal*) *Himeraeorum Viros* CIↃ. CIↃ. CIↃ. *bello captos in collem illum ſubductos, ubi Amilcar olim avus ipſius à Gelone ſublatus fuerat, omni contumeliæ genere affectos immolavit*; ſicut docet Diodorus Siculus lib. XIII. Biblioth. pag. 186. Ad hunc ritum etiam trahi Lycophronis verba poſſint, in Caſſandra.

ἐν τε δαιτὶ καὶ θαλυσίαις·
λοιβαῖσι μειλίσσωσιν ἀστεργῆ Κράγον.

Dape atque inferio libamine
Mactare conabuntur immitem Crepum.

Nam

Nam de *humani ſanguinis libaminibus* & inferiis mortuo oblatis & conſecratis hic agi videtur. Ita *Beſſi* Thraciæ populi. *Getæ captivos defunctorum inferiis immolare* etiam *ſolebant*. Divus Hieronymus lib. II. epiſt. 22. ad Heliodorum fol. 205. illud affirmat. *Beſſorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce crucis fregerunt melos.* Ita *parentarunt* forte *Attilæ* Regi ſuo defuncto *Hunnorum milites captivorum ſanguine*. Jornandes de reb. Geticis cap. 49. p. 145. *Poſtquam talibus lamentis* (Attila) *eſt defletus, ſtravam ſuper tumulum ejus, quam appellant ipſi, ingenti commeſſatione concelebrant.* Nam *Stravam* ibi *captivorum immolationem* denotare alibi vidimus. Et *Alexander Magnus* Macedoniæ Rex *Hephæſtioni* mortuo eodem etiam modo *parentavit*, de quo Plutarchus in vita Alexandri Magni pag. 704. *Cuſſæorum gentem excidit, omnemque ad internecionem delevit.* τοῦτο δὲ Ἡφαιστίωνος ἐναγισμὸς ἐκαλεῖτο. *Ea Hephæſtio-*

phæſtionis parentatio dicta eſt. Hanc autem immanem conſuetudinem nec Lucano fuiſſe ignotam patet ex lib. VI. p. 155. de bello Civili.

Nec Juba Maumaricas nudus preſ-
ſiſſet arenas
Pœnorumque umbras placaſſet ſangui-
ne fuſo
Scipio, nec ſancto caruiſſet vita Ca-
tone.

De hac autem L. Scipionis morte conſule Appianum Alexandrinum de bellis Civil. lib. II. pag. 266. *Catilina* etiam juſſu Syllæ *M. Marium in bellis civilibus captum ante buſtum Q. Catuli, immolavit*, ſine dubio *ut ita captivo hoc ſanguini ipſius umbris parentaret* & velificaretur, nam Q. ille Catulus Marii adverſarius; cum ille Sylla victo triumpharet & Romæ crudeliſſime ſæviret, *ignis hauſtus ludibrio hoſtium ſe exemerat*, ut Florus loquitur lib. III. cap. 21. pag. 114. De hac autem Marii ante buſtum Catuli immolatione conſule & interpretare Senecam lib. III. de ira cap. 18. pag. 52. *M. Mario, cui vicatim populus*

populus ſtatuas poſuerat, cui thure & vino Romanus populus ſupplicabat, L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus juſſit; & quaſi totiens occideret, quotiens vulnerabat, paullatim & per ſingulos artus laceravit. Quis erat hujus imperii miniſter? Quis, niſi Catilina, jam in omne facinus manus exercens? Hic illum ante buſtum Q. Catuli carpebat, graviſſimus mitiſſimi viri cineribus: ſupra quos vir mali exempli, popularis tamen, & non tam immerito quam nimis amatus per ſtillicidia ſanguinem dabat. Valerius Maximus autem Memorabil. lib, IX. cap. 2. §. 1. pag. 404. de eodem ſic. *Quem Marium per ora vulgi ad ſepulchrum Lutatia gentis pertractum; non prius vita privavit, quam oculos infelicis erueret, & ſingulas corporis partes confringeret.* Et Florus lib. III. cap. 21. pag. 115. *Marius Ducis ipſius fratrem apud Catuli ſepulchrum oculis, manibus, cruribuſque defoſſis ſervatum aliquandiu ut per ſingula membra moreretur.* Si pro *defoſſis* corrigamus *effoſſis*, non videre poſſum, quod hic locus ſit mutilus, ſicut

cut Clariſſimus Lipſius vult; nam ſtylo ſibi familiari Florus per vocem defodere, effodere videtur innuere, quod non feſtinanter oculi Mario ſint eruti, manus amputatæ, & membra ſciſſa, ſed quod lento admodum ſupplicio paulatim Catilina oculos ex capite, manus à Brachiis, cruraque à corpore, pungendo, lacerando, punctim fodiendo & (ut Oroſius de eodem Mario loquens) *minutatim membra deſecando* illi effoderit. Inſpice præterea de hoc Marii ſupplicio Firmicum, Ciceronem de petit. Conſul. alioſque. Ad eundem etiam modum C. Marius *iram ſuam nefarie diſtrinxit: L. Cæſaris Conſularis & Cenſorii nobiliſſimum corpus ignobili ſævitia trucidando; & quidem apud ſeditioſiſſimi & abjectisſimi hominis buſtum (nempe Varii.) Id enim malorum miſerrimæ tunc Reipublicæ deerat, ut Vario Cæſar piaculum caderet*, ſunt verba Val. Maximi in capite ſupra citato. Vides hic etiam, quod per *piaculum hominem* Valerius intelligat, ſicut etiam eodem in capite §. 3. pag. 405. *Simulque piacula crucibus*

illis

illis dedit. Sic etiam Sulpitius Severus lib. 1. cap. 72. *Jonam piaculum* vocat. Quæ loca multum quoque faciunt ad illuſtrandum Pauſaniam, de quo ſupra in parte prima pag. 223. 224. &c. *Marius* etiam *juvenis*, *& Carbo Conſules, quaſi deſperata victoria, ne inulti perirent, ſanguine Senatus ſibi parentabant*, ſicut loquitur Florus loco ſupra citato. *Octavius autem Auguſtus trecentos ex dedititiis electos utriuſque ordinis ad oram Divo Iulio exſtructam Idibus Martiis hoſtiarum more mactavit*, teſte Tranquillo vit. Oct. §. 15. *ut ita manes ejus horum ſanguine placaret.* Sic ejuſdem ſceleris in bello Gladiatorio reus fuit fugitivorum Gladiatorum Princeps *Spartacus*, qui ſocii ſui *Crixi bello* interempti *manibus captivorum ſanguine gratificatus eſt.* Teſtis Appianus Alexandrinus libr. 1. Bell. Civil. p. 221. cap. 424. *Ille Spartacus ſingulos per vices aggreſſus repulit. Quibus trepide fugientibus victor τετρακοσίοις Ῥωμαίων αἰχμαλώτοις ἐναγίσας Κρίξῳ, trecentos Romani nominis captivos mactans parentavit Crixi manibus.* Imo

Imo hi ipſi *gladiatores* (captivorum & ſervorum funeſtis in funeribus victimis & immolationibus untcunque pigreſcentibus & ſeneſcentibus,) *ſanguine ſuo* per coactum & cruentum duellum profuſo *mortuorum umbras* paſcere, exſatiare, *placare*, & exhilarare *tenebantur*, ſicut præter Servium ſupra citatum demonſtrat Tertullianus de ſpectaculis de Munere pag. 695. *Nam olim, quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captivos vel malo ingenio ſervos mercati in exſequiis immolabant. Poſtea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant armis, quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi diſcerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. Ita mortem homicidiis conſolabantur.* Et quid aliud hæ *Gladiatorum digladiationes*, cœdes, & jugulationes *fuerunt*, quam meræ *victimæ humanæ Plutoni immolata?* ſicut eleganter canit Prudentius libr. 1. contra Symm. pag. 328. 329.

Reſpice terrifici ſcelerata ſacraria Ditis,

Cui

Cui cadit infauſta fuſus gladiator harena
Heu! male luſtratæ Phlegetontia victima Romæ.

Mox.

Funditur humanus latiali in munere ſanguis,
Coſeſſuſque ille ſpectantum ſolvit ad aram
Plutonis fera vota ſui: quid ſanctius ara
Quæ bibit egeſtum per myſtica tela cruorem?

Hæc conſuetudo antiquiſſima ſuperſtitione & crudelitate gloriatur. Nam in *funeribus, magnorumque virorum* exſequiis primo *pugiles comittere ſolebant*, teſte Coyntho Smyrnæo de Bello Trojano lib. IV. Nec ignota fuit *Macedonibus*. Nam Alexandri Magni Macedonum Regis juſſu *tria millia hominum infeſtis concurrere animis & armis ad buſtum Hephaſtionis*, quem unice in vita dilexerat, ſicut teſtatur Arrianus lib. VII. de expeditione Alexand. Magni pag. 474. *Tria namque certantium millia in id præparaverat,*

verat, quos quidem ὀλίγον ὕςερον ἐπ' Ἀλεξάνδρȣ τῷ τάφῳ *non multo poſt ad Alexandri tumulum certaſſe ferunt.* Celeberrimus & Eruditiſſimus Vir Nicolaus Blancardus Mediciuæ Doctor, & Græcæ Linguæ in Friſiorum Academia Franekerana Profeſſor, atque Celſiſſimi & Illuſtriſſimi Principis Erneſti Friderici Naſſoviarum Comitis & Friſiæ Gubernatoris &c. Ephorus in Commentar. ad Arrian. in hunc locum ſcribit. *Nuſquam lego id factum, neque ſcio quid dicam, aut quid conjectem. Ait tamen exerte,* ἐπ' Ἀλεξάνδρȣ τῷ τάφῳ. *An Hephæſtion heic erat Alexander, quomodo Rex Siſigambi per ignorationem pedibus Hephæſtionis advolutæ dixerat olim,* μηδὲν φροντίζης ὦ μῆτερ. Καὶ γὰρ οὗτος Ἀλέξανδρος. (Vide Diodorum Siculum lib. XVII. pag. 580.) *An potius ὁ τάφος ex Alexandri nomine dicetur, quia is exequiarum pompæque funereæ fuit* ἐπιμελητὴς. *Certe malim hujuſmodi ſimilive interpretatione* ὕπȣλον *ulcus, ſi quod forte latet, obtegere, quam ſine libris pro* Ἀλεξάνδρȣ *reſcribere* Ἡφαιςίωνος. Huic

Cla-

Clariſſimi Viri ſententiæ licet refragari nolim, tamen & meam conjecturam, ſalvo aliorum judicio & nihil decernens, adjicere volui. Alexander Magnus, veluti ex Plutarcho, Diodoro Siculo libr. XVII. pag. 499. 570. aliiſque notum eſt, Achillis Græcorum Ducis æmulus & mimus fuit. Hic autem cineres Patrocli defuncti (quem ſicut Hephæſtionem Alexander in oculis ferebat, & delitiis habebat) in urna collectos in eodem ſepulchro, qua ipſe poſt mortem tegeretur, ſepeliri voluit, ſicut ſupra in capite VII. oſtendimus, & præterea docet Lucianus in libello de paraſito, ubi de Patroclo Achillis paraſito hoc modo loquitur ἄκουε τοίνυν αὐτῶν τῶν ἐπῶν. Μὴ ἐμὰ σῶν ἀπάνευθε τιθέμεναι ὀστὲ. Ἀχιλλεῦ, ἀλλ' ὁμοῦ ὡς ἐτράφημεν, ἐν ἡμετέροισι δόμοισι.

Audi igitur hos verſiculos:

Ne mea Pelida condi patiare ſeorſim
Oſſa, ſed amborum ſint uno tecta ſepulchro,
Sicut & ante domi nutriti viximus una.

Hinc forte etiam in hoc imitatus Alexander

der Magnus *Babylone in funus* πυρὰν, ſicut Arrianus pagina ſupra citata loquitur, vel veluti Plutarchus in vita Alexandri pag. 705. ſcribit, τύμβον δὲ καὶ τάφον *in tumbam & monumentum decem millia talentorum impendere intendit*, ſed juxta Diodorum Siculum lib. XVII. pag. 581. *duodecim millia.* Quo in tumulo Hephæſtionem, & fortaſſe etiam ſe poſt mortem ad latus Hephæſtionis, exemplo Achillis & Patrocli, collocari voluit, unde illud ſepulchrum τάφος (quod vocabulum in Plutarcho Hermannus Cruſerius & Gulielmus Xilander *monumentum*, in Arriano vero Blancardus *tumulum* vertit) jure meritoque ab Arriano Ἀλεξάνδρου τάφος *Alexandri monumentum* fuit vocatum, utpote quod ab Alexandro exſtructum, ſepulturæ non tantum Hephæſtionis, ſed etiam ipſius Alexandri, forſitan erat deſtinatum, ad quem tumulum prædicta illa tria millia hominum in honorem Hephæſtionis concertarunt, ejuſque umbras ſanguine ſuo placarunt. Licet etiam non ignarus ſim, quod cadaver Alexandri jam mortui à

Ptolomæo Memphin, & inde paucis poſt annis Alexandriam tranſlatum eſſe legatur apud Curtium lib. x. pag. 294. quod forte propterea contigit, quia hoc commune Alexandri & Hephæſtionis monumentum, morte ipſius interveniente & ejus Ducibus in partes & bella inteſtina abeuntibus, ad colophonem & finem perduci, & ita Alexandri Magni voluntati ſatisfieri nequivit. Sed ad viam ex qua deflex imus, *Archemorus* quoque fato functus *poſt mortem pugilum pugna honoratus eſt*, innuente Statio Thebaid. lib. VI. pag. 215. his verbis.

Sunt & qui nudo ſubeant concurrere ferro. &c.

Ita *Pyrrhus* Epirotarum Monarcha & Princeps, cum *luſus funebres* defuncto *filio celebraret, gladiatorum pugnas exhibuit*; Plutarchus in vita Pyrrhi pag. 403. Sic *gladiatorum ſanguine & cædi*bus *Marcus* & *Decimus filii Bruti funebri memoria Patris cineres honorarunt*; Valerius Maximus lib. II. cap. I. *Scipio*; Livius libro VIII. pag. 571. *Tiberius* apud Tranquillum cap. 7. *Marcus &*

cus & Verus; ex Julio Capitolino in Antonio Philoſopho. *Curio* apud Plinium lib. xxxvi. cap. 15, *Hadrianus ſocrum* teſte Spartiano in Hadriano. Ita etiam *ſupra Viriati ſepulchrum multa gladiatorum paria pugnaverunt*. Appianus Alexandrinus de bell. Hiſpanenſ. pag. 480. Hinc Petronius illuſtrari & explicari poteſt, cum in Satyra pag. 110. ita canit.

Quippe cremare viros, & ſanguine paſcere luxum.

Ex quibus verbis apparet, quod ad gladiatores in funeribus exhibitos & Romæ immolatos reſpexerit. Sed manum de tabula. His funeſtis Retariorum Gladiatorum retibus non ulterius nos intricemus. Cramben recoctam nolunt nec alii, nec ego. Abhorreo & ſemper abhorrebo, imo piaculum duco labores à magnis Viris multo ſudore exantlatos pro meis venditare, cum in aliorum ſcriptis compilandis quaſi ἀνδραποδιστὴς & fur audire nolim. Et quod ab aliis aut libatum aut tractatum eſt, tanquam recens inventum obtrudere à furto parum differt, & doctis bilem movet & faſti-

faſtidium parit. Hæc ſupra de gladiatoribus dicta & ſcripta, quæ ex Prudentio, Tertulliano, Livio, Plutarcho, Appiano, Alexandrino, Arriano, Petronio & Servio allegavi, mea ſunt, & mei laboris, reliqua ad Gladiatores pertinentia & à reliquis Authoribus producta, licet & ipſe corraſiſſem, tamen ante me ſcripſit & habuit Eruditiſſimus Vir Demſterus in Paralipom. ad lib. v. cap. 24. Romanar. Antiquitat. Roſini pag. 379. ubi plura alia de gladiatoribus invenire potes, & 380. 381. Cui adde Eliam Vinetum & Joſephum Scaligerum in Auſonium, Juſtum Lipſium in libro de Amphitheatro pag. 489. Petrum Fabrum Semeſtr. lib. 1. Andr. Alciatum lib. 1. Parerg. cap. 22. Si vis & vacat de gladiatoribus, quæ ego obſervavi, annotavi, & contraxi, adeoque noſtris laboribus adſcribere poſſum, varia invenire potes apud Johannem Saliſberienſem libr. 1. Policrat. cap. 8. Juvenalem pag. 12. Satyr. 11. Ovidium ad Liviam p. 231. 232. Philoſtratum de vita Apollonii lib. IV. cap. 7. Li-

7. Libanium Sophiſtam in legatione ad Julianum pag. 156. Tacitum Hiſt. libr. XIII. Annal. pag. 305. Auguſtinum in Confeſſ. fol. 66. Philoſtratum Vita Sophiſtar. lib. I. Livium lib. XLI. p. 921. Horatium lib. I. Satyr. 3. & Acronem Scholiaſten ad eum. Silium Italicum lib. IX. Tertullianum Apolog. pag. 833. &c. Et ſicut Gladiatores mortuorum rogum ſanguine ſua luſtrarunt, & velificati ſunt, ita etiam *quidam ſponte amicorum ſuorum funeribus immortui ſunt, & propria morte neceſſariis ſuis parentarunt*, veluti *Adruſtus* Midiæ filius Gordii nepos cum imprudens Crœſi Regis filium Atym in venatione occidiſſet, *ſeſe ſuper buſtum ejus tranſfodit* juxta Herodotum lib. I. pag. 17. Sic etiam, ubi *Habradata* Suſarum Rex in exercitu Cyri Regis Perſarum militans in pugna occidiſſet, *ejus uxor* Panthea, *nutrix*, & *tres eunuchi ſe* umbræ ejus devoventes *enſe confecerunt* Johann. Tzetza Chil. III. cap. 99. Xenophon. Inſtitut. Cyri lib. VI. Cum *Hephæſtion* Alexandri Magni, ut cum Catullo loquar, ſalipuſius

vita exceſſiſſet, multi ex amicis Alexandri ad levandum delorem & ſe & arma Hephæſtioni ἀνέθεσαν *devoverunt*, ſicut loquitur Arrianus lib. VII. pag. 474. de Expedit. Alex. Quod autem hi devoti, qui ſe Hephæſtioni conſecrarunt, ſe ipſos aut occiderint, aut alio modo illius umbræ immolati perierint patet ex Aimoino lib. I. cap. 7. Paulo Diacono lib. III. Pauſania lib. IV. pag. 276. Livio lib. VIII. pag. 243. Halicarnaſſeo lib. II. cap. 10. pag. 82. Plutarcho in vita *A*rcibiadis pag. 202. Seneca libr. VI. de Beneficiis cap. 36. pag. 362. & epiſt. LXVII. *A*uguſtino de Civitate Dei lib. v. cap. 18. pag. 316. & *Aurelio* Victore cap. 26. & 27. Plinio lib. XXII. Natur. Hiſtor. cap. 5. pag. 410. Val. Maximo lib. V. cap. 6. §. 5. & 6. pag. 237. & 238. Cæſare infra citato aliiſque, in quibus vox illa devovere & conſecrare denotat, eos qui fuerunt devoti, aut ſe ipſos occidiſſe, aut Deis manibus fuiſſe immolatos: Sic etiam multi *milites ſuper Othonis* Romani Imperatoris *cadavere ſe jugularunt*, ut docet

Zonaras *Annal.* tom. II. pag. 198. Καὶ οἱ ϛρατιῶται τὸ σῶμα αὐτοῦ ἔθαψαν, καὶ τίνες αὐτῶν ἐπεσφαξαν ἑαυτούς. *Milites cadaver ejus ſepeliverunt, multi quoque ſuper eo ſe jugularunt.* De *Aquitanis* Galliæ populis idem commemorat Jul. Cæſar de bello Gallico lib. III. pag. 66. *Alia ex parte oppidi Alcantuannus, qui ſummam imperii tenebat, cum* DC. *devotis, quos illi Soldurios appellant: quorum hæc eſt conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum ſe amicitiæ dediderint: ſi quid iis per vim accidat, aut eundem caſum una ferant, aut ſibi mortem conſciſcant. Neque adhuc hominum memoria repertus eſt quiſquam, qui eo interfecto, cujus ſe amicitiæ devoviſſet, mori recuſaret.* De Japanniæ ſervis & clientibus Dominorum mortuorum umbris ſe & vitam devoventibus ſupra capite VII. hujus libri vidimus. Sed apud *Romanos alioſque populos*, cum immortuorum exſequiis captivorum & gladiatorum copia non adeſſet, *laniantes genas ſuum effundebant cruorem*, ut rogis illa ſanguinis profu-

ſionis imago reſtitueretur. Tamen ſciendum eſt, cautum lege XII. tabularum, ne mulieres carperent faciem his verbis; *Mulier faciem ne carpito.* Feſtus *radere genas* interpretatur *unguibus ſcindere* vel *cruentare.* Cicero lib. II. de legibus. *Mulieres genas ne radunto.* Et hinc apud Tibullum lib. I. eleg. I. pag. 215.

Sed parce ſolutis
Crinibus; & teneris Delia parce genis.

Sic Alexander Magnus *os unguibus laniavit;* cum Clytum vino obrutus occidiſſet, teſte Q. Curtio libr. VIII. Hi Ethnici conſueverant, *genas radere in honorem defunctorum*, aliquas etiam *corporis partes acubus compungebant, & atramentum immittebant, in reverentiam Dæmonum*; veluti ſcribit Theodoretus in Levitic. XIX. 28. Quæſt. 28. *Acus* quod attinet, *illis mulieres & ſervi Lacedæmonii frontes ſuas intrepide pupugerunt, cum Rex Spartæ eſſet mortuus*, teſte Herodoto lib. VI. pag. 344. Sic etiam *Ægyptii* & præcipue *Cares* frontem *non tam pungere*, *quam* concidere *ſolebant; cum Dei ſui Adonidis mortem lugerent.*

lugerent. Teſte Herodoto lib. II. pag. 111. Hos *Hunni* imitati fuiſſe videntur, de quibus Jornandes libr. XLIX. pag. 143. *Tunc ut illius gentis mos eſt, crinium parte truncata, informes facies cavis turpavere vulneribus, ut præliator eximius non fœmineis lamentationibus, ſed ſanguine lugeretur virili.* (ob mortem nempe Attilæ Regis ſui) Agathias Scholaſticus lib. V. Hiſtororiarum de iiſdem idem docet. Τοῖς γὰρ ξιφιδίοις τὰς παρειὰς καταξαίνοντες, ὠλυφύροντο κατὰ τ πάτριον νομόν. *Culiris enim* (Hunni) *genas lacerantes patrio more lugebant.* Et nou ſolum ex genis & frontibus, ſed etiam *ex lacertis* ſævis cultrorum laniationibus *in amicorum funeribus ſanguinem egeſſerunt.* Probat illud Hieronymus ad XVI. cap. Jeremiæ. *Mos hic, inquit, fuit apud Veteres, & uſque hodie in quibuſdam permanet Judæorum, ut in luctibus incidant lacertos.* Atque hunc lugendi mortuoſque deplorandi ritum eſſe valde antiquum, & forte à Syris aut Phœnicibus productum, & in reliquos populos diſſeminatum inde

 patet,

patet, quod *Deus* has *inciſiones prohibuerit*. Lev. XIX. 28. *Cæſuram pro ullo mortuo ne inditote carni veſtræ.* Inde etiam *ad Africanos* deveniſſe probable eſt, nam illis hodie ſolenne eſt, qui Promontorium Bonę Spei inhabitant, quod *cum aliquis exſpiraverit*, *omnes* ejus *amici ad infantes uſque minimum ſibi ambutare digitum* teneantur, qui digiti una cum defuncto ſepeliuntur, antequam hæreditatem invadere queant. Erant & alia luctus indicia in funeribus *Antiquorum*, nempe capillitii detonſio, conſciſſio, & incineratio, femoris, frontis, & brachiorum percuſſio, barbæ extractio, veſtium diſſciſſio, capitis illiſio in muros, de quibus in opere magno de capillitio ſuperſtitioſi prolixe Cὺν θεῷ agemus. *Atque hoc modo, ut ſupra oſtendi, miſeri gentiles per hominum combuſtionem & humani cruoris libamina defunctis parentarunt.* Jam ad *ſecundum immolandarum victimarum humanarum modum, Defoſſionem* ſcilicet tranſibimus.

CAP. IX.

Cap. IX.

Thracum uxores una cum maritis defunctis defoſſæ, & ad tumulum eorum quaſi victimæ immolatæ Thrauſorum fœminæ. Apud Africanos cum Rex moriatur; plurimi homines mactantur & cum eo defodiuntur. Apud Americanos infantes cum mortuis matribus. Scythæ homines vivos cum Regibus ſuis mortuis defodiebant, & cum amicis captivos. Apud Romanos homines ut victimæ defoſſi, & Virgines Veſtales. Modus eas defodiendi. Juvenalis Scholiaſtis error corrigitur. Perſæ victimas humanas defodiebant.

QUod jam ad *Secundum modum immolandi Victimas Humanas*, *Defoſſionem* ſcilicet ſpectat; Sicut in ſuperioribus intelleximus & audivimus, quod quorundam populorum uxores ſe in rogum defuncti mariti ſuperinjicere conſueverunt; ita *Thracum conjuges* admodum olim exſultabant, ſi per ſortem illis contigiſſet, *una cum viris ſepeliri*, cum illi fato conceſſiſſent. De iis Pompon. Mela de ſitu orbis lib. II. cap. 2. *Nec fœminis quidem ſegnis eſt animus ſuper mortuorum virorum corpora interfici, ſimulque ſepeliri votum*

eximium habent. Herodotus lib. v. pag. 248. de Thrauſis. *Singuli plures uxores habent, quorum ubi quis deceſſit, deſceptatio magna ſit inter uxores, acri amicorum circa hanc rem ſtudio, quænam dilecta fuerit à marito præcipue. Quæ talis judicata eſt, & hunc honorem adepta, ea à viris & mulieribus exornata, ad tumulum pro propinquiſſimo mactatur & immolatur, unaque cum viro humatur.* De iiſdem forte *Thracibus* & *Thrauſis* loquitur Lucianus de luctu pag. 789. πόϛοι γὰρ καὶ ἵππους, καὶ παλλακίδας, οἱ δὲ καὶ οἱ νόχους ἐπικατέσφαξαν. *Quod enim ſunt qui equos & concubinas, rurſum alii, qui pincernas etiam in funere mactaverint.* In *Africa* hodie etiam populus eſt, qui *cum Rex moriatur, ejus uxores, miniſtros, clientes, amicos,* & etiam *equum,* omnia corporis membra illis abſcindendo, & in mortario piſtillis contundendo, *jugulat, & eodem cum Rege ſepulchro defodit;* ſicut docet Dapperus in deſcript. Africæ pag. 369. Sed apud *Americanos infantem cum defuncta matre vivum ſepelire* mos obtinet, teſte Martyre

Martyre in deſcript. Novi Orbis decade VII. cap. 10. pag. 526. Apud *Septentrionales* gentes *amicus amici manibus ſpontanea morte parentare*, ſimulque cum eo contumulari non abhorrebat. Nam Saxo lib. V. refert. *Aſmundum* ob amicitiæ jusjurandum *vivum ſe cum Aſviti cadavere (quod cum cane & equo terreno manbabatur antro) contumulari* ſuſtinuiſſe, *cibo quo veſceretur illato.* Cum in terra Nigritarum in regno Benijn Rex rebus humanis eximatur per mortem, in aula tam profunda effoditur fovea, ut foſſores ipſi, aquis undique ex terra prorumpentibus nonnunquam ſubmergantur. In hanc regium cadaver ab amicis & clientibus præcipitatur, Hi, *quos Rex vivus adhuc maximo amore & honore proſecutus fuit* (qua de re non exigua inter eos rixa nonnunquam exardeſcit) tunc ſe etiam *in foſſam illam demittunt*, ſe ipſos ejus manibus immolant, & ita cum *Rege moriuntur.* Cum jam illi animam exhalaverint omnes, fovea rurſus terra oppletur & obruitur, cui operi intentis foſſoribus, magna homi-

num multitudo ubique per plateas & domos ferro obtruncatur. Quæ cædes repetitur, cum novus Rex memoriam prioris celebrare velit; ſed tunc in reos & mortis damnatos ſævitur, qui quotannis ad hoc feſtum ſervati, numero fere quingenti crudeliſſime immolantur, ſingulis tamen diebus non ultra viginti quinque occiſis. Sed cum tot reorum numeruſque facinoroſorum deficiat, quidam alta nocte aut obſcuris veſperis per plateas ambulantes unumquemque obvium arripiunt, & prædictæ lanienæ devovent. In Regno *Lovango* Inferioris Æthiopiæ *cum Rege defuncto in ſubterranea ſpelunca* omnis ejus ſupellex, *multique ſervi* necati & *immolati collocantur.* Hos *ſervos* in ora quæ vocatur aurea vulgo **de Goudt-kuſt** / in *excavatis arboribus* vel vivos vel occiſos *cùm Regis cadavere concludunt.* In *Guinea* qui *ſervi* huic ſacrificio, cum eorum Rex deceſſerit, ſunt deſtinati, multos dies & noctes funeri aſſidere debent, & interim tam pretioſis ornamentis, quam tobaco, oryza, & id genus aliis fructibus

& fru-

& frugibus, & tandem gallina cocta donantur, quam ſi lubet, comedere poſſunt; cum jam vero cadaver Regis ſepeliendum effertur, fruges acceptas in ignem conjiciunt. Sed donatis pretioſis veſtibus, & monilibus, atque a millis faſtuoſe compti & exornati *funus ad tumulum proſequuntur*, ubi ſtatim *ſtrangulantur*. Antiquis etiam temporibus in regno *Kongo duodecim virgines* pretioſiſſimis ornamentis excultæ *vivæ in ſepulchrum Regis deſilire*, & una *cum ejus cadavere contumulari conſueverunt*. Quos ritus diligenter deſcripſit Dapperus in deſcriptione Regionum iſtarum. Eo modo antiqui *Scythæ* etiam *ſuos hominum defoſſionibus* poſt mortem *honorárunt*. Herodotus libr. III. pag. 241. *Quem* (Regem defunctum) *poſtquam ſuper torum in loculo* (Scythæ) *poſuerunt, haſtis hinc atque hinc defixis, deſuper ligna diſponunt, deindè palliis contegunt. In reliqua loculi ſpatioſitate aliquam ejus pallacam ſtrangulatam ſepeliunt, & eum, qui vinum miſcebat, & cocum, & equiſonem, & miniſtrum, & eum, qui erat*

à nun-

à nunciis, *nec non equos & aliarum rerum omnium primitias*, *quin etiam phialas aureas.* Sed etiam *illi captivis ad hanc immolationem uſi fuerunt*, *cum aliquis ex popularibus* ſuis mortuus eſſet, & *terræ mandaretur.* Quod de ritu hoc modo Nicetas Chomatæ in Annal. de Balduini Imperio ſcribit. Καὶ γὰρ τῶν Ῥωμαίων τινὰς συγκατέχωσαν ζῶντες τοῖς ἢ φυσικῷ μόρῳ ἢ καὶ νόμῳ πολεμίῳ καταστρέψασι τὸ ζῆν ὁμοφύλοις ἐκείνοις, συνεντυμβεύσαντες σφίσιν ἱππάρια δρόμικα οἷς ἐπεκάθηντο, καὶ τόξα κερουχὰ, καὶ ἀμφήκη φάσγανα, μὴ ὄντος λυτρουμένου, μηδὲ σώζοντος. (Scythæ qui orientem vaſtabant) *aliquot Romanos vivos* (*neque enim quiſquam erat*, *qui eos vel redimeret vel conſervaret*) *cum popularibus ſuis vel naturali morte defunctis*, *vel bello cæſis terra obruerunt*, *ſepultis una equis velocibus*, *quibus inſiderant*, *corneis arcubus*, *& ancipicibus gladiis.* Eodem etiam modo cum *Rex regni Karom in Guinea* in prælio *occubuiſſet*, *cum ſex hoſtium captivis humatus eſt*, teſte eodem Dappero in Deſcript. Africæ pag. 423.

423. Quæ omnia facta ſunt, tam honoris cauſa, quam ut his Victimis Humanis ſupra memoratorum Regum & Principum manes placarentur & quieſcerent. & non ſolum captivi per defoſſionem mortuorum umbris morte ſua ſatisfecerunt, ſed etiam alium in finem, nempe ut ira Divina expiaretur, *Romæ Græcus Græca, Gallus & Galla in foro boario vivi defoſſi ſunt*, victimarum inſtar ſicut teſtantur Plutarchus in Marcello p. 299. Livius lib. XXII. pag. 474. M. Felix in Octavio pag. 21. *Virgines* etiam *Veſtales* apud Romanos, cum corruptæ & vitiatæ deprehenderentur, & ita ſeſe, æternum ignem, Deam Veſtam, ſacrum ejus penetrale, ipſam urbem Romam, totum Romanum imperium, imo terram inceſtaſſe crederentur, *vivæ pro victimis terra obruebantur*, ut hac defoſſione ſcelus hoc expiaretur, & divinæ iræ reatus hoc flagitio contractus ſolveretur; nam ejuſmodi libidinoſa corpora purgari credebant, ut exſtimant Jacobus Durantius Caſelius lib. II. Variar. Lection. cap. 2. Clemens Alexandrinus

Pœdagog.

Pœdagog. III. *Has virgines* ita temeratas & corruptas *in terra defodi conſueviſſe* teſtantur C. Plinius lib. IV. epiſt. 13. Andreas Tiraquellus in Alexandrum ab Alexandro lib. V. cap. 12. Genial. Dier. Euſebius Chronic. Olymp. 73. Guilhelmus Canterus Novar. Lection. lib. VII. cap. 6. ex Scholaſte Sophoclis. Ovidius lib. VI. Faſtor.

Nec viva defodiatur humo.

Silius Italicus lib. XIII. ita explicetur.

Nec par pœna tamen ſceleri, ſacraria Veſtæ
Polluit exuta ſibi virginitate Sacerdos.

Juvenalis Satyr. IV. verſu 10.

Et idem
Incæſtus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram ſubitura Sacerdos.

Propertius lib. IV. eleg. 4. pag. 793.

Et ſatis una malæ potuit mors eſſe puellæ,
Quæ voluit flammas fallere Veſta tuas.

Livius Decad. lib. VIII. addatur. Hoc

Veſtalium

Veſtalium ſuppliciunt cum jam ſatis notum ſit, & ab aliis ante me annotatum non ulterius perſequar. Adjungam tamen hic, quod ab aliis obſervatum non inveni, *totum* ſcilicet *puniendi modum* à me ex Halicarnaſſeo & Plutarcho erutum. Ita autem Dionyſius Halicarnaſſeus lib. II. cap. 68. pag. 123. *Delatæque* (Virgines Veſtales damnatæ) *ad Collatinam portam intra muros in ſubterranea cella cum ſepulchralibus ornamentis inhumantur, nec monumento dignatæ, nec parentatione, aliiſve ſolennibus defunctorum honoribus.* (eſt ex verſione Gelenii.) Plutarchi verba per Hermannum Cruſerium & Guilielmum Xilandrum tranſlata hic apponam, cum Græcus textus nimis prolixus eſt. Ita autem Plutarchus loquitur in Numa pag. 67. *Stupri vero comperta, juxta portam, quæ dicitur Collina viva defoditur.* Tumulus ibi intra muros terreus eſt *in longum porrectus* (*agger latino ſermono vocatur,*) in eo ædicula ſubterranea exſtruitur *modica, gradus habet, quibus deſcenditur ſuperne. In ea lectus ponitur*

ſtratus

ſtratus & lucerna accenſa, eorum quoque quæ ad victum ſunt neceſſaria pauca, ut panis, aqua in ampulla, lac, oleum, quaſi corpus *abominentur maximis* conſecratum *ceremoniis fame conficere Damnatam lecticæ indunt, atque undique obnubunt eam, vinciuntque* loris, *ut ne vocem quidem mittere illa, quæ valeat exaudiri, queat. Ita eam per forum devehunt. Decedunt autem via omnes taciti, proſequunturque ſine voce atque ingenti cum mæſtitia. Neque eſt ſpectaculum illic ullum magis horrendum, nec triſtior facies civitatis ulla alia eſt die. Ubi ad locum illum eſt lectica delata, apparitores ei vincula demunt, Pontifex Maximus ante ſupplicium preces quaſdam arcanas tenſis ad cœlum manibus peragit. Inde ducit obvolutam, atque in ſcalis, qua deſcenſus eſt* in domunculam conſtituit, *tum avertit ſe cum aliis Sacerdotibus. Poſtquam illa deſcendit, retrahuntur ſcalæ, &* ædicula multa injecta deſuper humo contegitur, *donec complanatum ſolum aggeris eſt.* Hactenus Plutarchus. De his ita Vetus Scholiaſtes Juvenalis ad Satyr. IV. verſ.

verſ. 10. *Hæc Virginibus Veſtæ pœna erat decreta, ſi vitiatæ fuiſſent, vivæ in parietibus ſtruebantur, aut ſub terra obruebantur.* Pro *aut* ponendum exiſtimo *ſive*, nam alias errat prædictus Scholiaſtes, cum vocabulum aut diverſa & duo ſuppliciorum genera fuiſſe indicet, ubi re vera, ut ex Plutarcho patet, & incarceratio illa, & defoſſio fuit unus & idem ſupplicii modus. Quod hoc ſupplicium ad *Portam Collinam* factum fuerit, docet etiam Livius Decade 1. libr. VIII. *Xerxis uxor* ut *victimam pueros* etiam *defodit:* teſtis Herodotus lib. VII. pag. 407. *Audientes autem eum locum Novem vias Edonorum appellari, totidem illic pueros ac virgines virorum indigenarum vivos defoderunt. Perſicum enim eſt defodere viventes. Nam & Ameſtrin Xerxis uxorem jam provectæ ætatis audio bis ſeptem Illuſtrium Perſarum liberos defodiſſe, ad referendam pro ſe gratiam Deo, qui ſub terra eſſe fertur.* Porphyrius lib. II. de Dumætiis, aliquid parum diſſimile habet. Καὶ δουμάτιοι δὲ τῆς Ἀραβίας καθ' ἔτος ἕκαστον ἔθυον παῖδα.

ὃν ὑπὸ

ὃν ὑπὸ βωμὸν ἔθαπτον, ᾧ χρῶνται ὡς ξοάνῳ. *Dumætii quoque in Arabia ſingulis annis puerum ſacrificabant, quo ſub ara ſepulto utebantur ſimulachri loco.* Hodie etiam *Japanniæ incolæ ſe vivos terra defodi* & obrui curant, & ita dæmonio ſuo Xaca immolantur. Sed magi *Geugues* vocati Diaboli juſſu in ſummum montis verticem enituntur, ubi cum tamdiu cum deſiderio exſpectant, donec ſtatuto tempore illis appareat ut plurimum aut circa meridiem, aut circa veſperam. Et cum Diabolus totum cętum, qui ibi congregatus eſt, pervolavit, Geugues ſecretis ſtimulis incitati illum ſequuntur, qui in profundiſſima antra & ſpeluncas à Dæmonibus præcipitati occumbunt, & quaſi Diabolo immolantur; ſicut refert Arnoldus Montanus in Deſcript. Legat. Holland. ad Japan. Imp. pag. 122. Et Jeſuita Ludovicus Frojus in Epiſtola Japann. ex Miaco anno 1565. ſcripta. Sic quoque *Canidia* venefica ſcelerata apud Horatium epode v. *Puerum prætextatum* furtim raptum, *humi mento tenus defoſſum* necare intendit, ut ex ejus cadavere

ſua

ſua maleficia adimpleret, ſicut ſcribit Bond. ad epod. v. pag. 110. Sic igitur Gentiles olim per *defoſſionem homines immolarunt*, & *Diabolum venerati ſunt.*

Cap. X.

Homines ut victima variis beſtiis objecti, nempe draconi & ſerpenti, qui religioſe in Gentiliſmo colebantur. Cuſtos aurei velleris, horti Heſperidum, & fontis caſtalii. Sub forma ſerpentis cultiſ Serapis, & Genius; P. Statius explicatur. Perſius & Theophraſtus illuſtrantur. Jupiter ſub nomine ſerpentis honoratus. Firmicus illuſtratur. Deus Sabadius. Apollo ſive Sol & Æſculapius ſub ſpecie ſerpentum adorati, qui in templis verſabantur & colebantur; Nicander explicatur. Serpentes in templis & adytis publicis ſumptibus educati & aſſervati. Dionyſius explicatur & illuſtratur. Æſculapio ſub forma ſerpentis victima humana immolata. Draconi Lanuvio virgines oblatæ & conſecratæ. Plutarchus corrigitur & Strabo. Salmaſii error. Propertius illuſtratur bis. Significatio vocis Lanuvii. Draco virginitatis & pudicitiæ cuſtos.

JAm cum Deo videbimus *tertium hominis ſacrificandi & immolandi Victimas Humanas Modum*; nempe *Objectionem Beſtiis*, qua quoſdam *Homines*

mines Oraculorum juſſu ad *Deos ſuos placandos*, vel aliis de cauſis *beſtiis devorandos objectos fuiſſe* credidit & ſcripſit Antiquitas; nempe *Draconibus*, *Vulpibus*, *Cetis*, & id genus aliis *Belluis* & *Feris*. De *dracone humanis victimis placato* & ſopito Pauſanias lib.IX. pag. 677. *Eſt adhuc in oppido* (Theſbia infra Heliconem montem) *æneum Saoti*, *id eſt* Servatoris Jovis ſignum: *Inde ortum habuit religio*, *quod cùm in cives inſigni feritate draco ſæviret*, *Deus imperaverit ephebos quotannis ſingulos ſorte ductos feræ exponi*: *& cæterorum quidem qui periere nomina exoleverunt*: *eorum uni Cleoſtrato amatorem Meneſtratum loricam æneam faciundam curaſſe*, *reſupinatis extrorſum hamis confertam*: *eam loricam puer indutus*, *cùm ultro Draconi occurriſſet*, *mortem quidem oppetiit*, *ſed ipſam etiam feram exanimavit*. *Ex eo rei eventu Iovi Servatori cognomen exſtitit*. *Draco* & *ſerpens* ſive *anguis in Gentiliſmo* olim *in magno & divino honore afficiebatur*, & draco Ceraſtes Solis naturam exprimens theſauris, lucis, hortis, virginitati, oraculis,

culis, adytis, & templis præeſſe fingebatur, ut ait Macrobius; ejus & meminit Dracontius in Hexaemer: ſed juxta Georgium Fabritium in Commentar. in Poetas Chriſtianos antiquitus in Ethniciſmo. ſerpens in agro, coluber in ſylvis, anguis in aquis, & draco in templis dominabatur & primas tenebat. Silentio jam prætermittam, quod antiquitas fabulata eſt, draconem maximum, aureum vellus, aurea poma, hortoſque Heſperidum, & fontem Caſtalium vigilibus oculis & auribus cuſtodiviſſe: de aureo vellere conſulantur Philoſtratus in Iconibus lib. II. pag. 801. Apollodorus Biblioth. lib. I. pag. 52. Orpheus in Argonaut: Pherecydes. Lycophron in Caſſandra. Sophocles in Trachiniis. de *aureis pomis*; Philoſtratus in Icon. lib. II. Albricus de Deor. Imagin. de Hercule. Apollodorus lib. II. Bibliothec. pag. 126. Matialis lib. XIII. Epigramm. Germanicus Cæſar ad Arati Phænom: Johannes Tzetza Chil. II. Hiſtor. Oviduis in Metamorph. Hyginus fabul. XXX. Euripides in Herc. Furente. Palæphatus

de fabuloſ. Narrat: *De Caſtalii* vero *fontis cuſtodia* Hyginus fabul. VI. Johann. Tzetza Chil. IX. cap. 332. Apollodorus lib. III. Apollonius Rhodius Argonaut. lib. III, Ovidius Metamorph. Aliique illud teſtantur. Ita etiam Serapis Ægyptiorum Deus triplici forma depingebatur, nempe leonis, canis, & lupi, quos ſuo volumine ſerpens includebat. ut teſtatur Britannicus ad Satyr. VI. verſ. 536. Iuvenalis, Capiti modius erat impoſitus, teſte Suida, aut calathus, ut liquet ex Artemidoro lib. V. Oneir. cap. 93. Alios etiam Deos *nomine & forma ſerpentis & draconis* olim *deſcribebant*, nempe *Genium*, *Bacchum*, *Iovem*, *Apollinem*, & *Æſculapium*, ejus filium. *Deum Genium* ſivi tutelam ſeu regionis Numen anguis ſpecie depingebant: vide Iſidorum lib. XII. Origin. cap. 4. *Angues* autem apud veteres *pro Geniis locorum* ſemper etiam *habebantur*. Ita Virgilius poſt ambitioſam ſerpentis deſcriptionem, deinde ſubiicit.

Incertus Geniumne loci, famulumne Parentis
Eſſe

Eſſe putet.

Statius lib. v. Thebaid. ita etiam explicari debet.

Interea campis nemoris ſacer horror
Achæj
Terrigena erigitur ſerpens, tractuque
ſoluto
Immanem ſeſe vehit, ac poſt terga relinquit.

Paulo poſt.

Inachio ſanctum dixere Tonanti
Agricolæ, cui cura loci & ſylveſtribus aris
Pauper honos.

Perſius Satyr. 1. verſ. 113. hinc etiam intelligi poteſt.

Pinge duos angues, pueri, ſacer eſt locus
Extra mejete.

Ex quibus verbis patet, quod *locum ſacrum Deo, Genio, & Heroi alicui dedicatum anguibus pictis notaverint*, cum, ſicut diximus, Deus Genius alicujus loci ſub ſerpentis figura colebatur. Qui locus propterea ita depingebatur, ne aliquis imprudens terram illam ſacratam fortui-

ta urina, aliiſque excrementis profanaret & impiaret. Nam ſummæ impietatis loco veteres ducebant, in loco ſacro urinam facere, teſtibus Heſiodo, Juvenale, Ariſtophane & Plutarcho in Chryſippo. Superiorem Perſii locum egregie illuſtrat, & viciſſim ex illo illuſtratur Theophraſtus Eth. Charact. de Superſtit. pag. 47. καὶ ἐὰν ἴδῃ ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἱερὸν ἐνταῦθα ἱδρύσασθαι. *Serpentes ſi viderit in ædibus ſacellum eo loco exſtruet.* Sic & *Iupiter per anguem* ſive *ſerpentem honoratus fuit*; nam ſicut Firmicus ſcribit. *Sebaſium colentes Iovem, anguem cum imitantur per ſinus ducunt.* Hæc verba clarius intelliguntur & magnam lucem accipiunt ex Arnobio lib. v. Contra Gentes. *Ipſa ſacra & ritus imitationis ipſius, quibus Sebadiis nomen eſt, teſtimonio eſſe poterunt veritati in quibus aureus coluber in ſinum demittitur conſecratis, & eximitur rurſus ab inferioribus partibus.* Hujus Dei Meminerunt Scholiaſtes Ariſtiphanes in Lyſiſtratam pag. 861. & in Avibus pag. 583. & in Veſpis pag. 432. M. T. Cicero lib. II. de Leg.

de Leg. Diodorus Siculus lib. IV. Harpocration, Heſychius in Ζαβασίοις. Ludovicus Carrio lib. II. Emendat. cap. ult. *A*pulejus lib. VIII. pag. 241. non Sebaſium ſed *Sabadium*, in alio meo codice pag. 195. *Zabaſium vocat*. à Cicerone vero lib. II. de Legibus *Sabejus* dicitur, pro quo corrigendum eſt *Sebaſius*, aut *Sabazius*, aut *Sebadius*, aut demum *Sabadius*, nam ita vulgo ab *A*uthoribus ſcribitur. Macrobius *A*nthor eſt, quod hic Deus *Sebadius fuerit Sol & Bacchus*. Ita enim ſcribit lib. I. Saturnal. cap. 18. *Item eundem in Thracia haberi Solem atque liberum accipimus, quem illi Sebadium nuncupantes magnifica religione celebrant.* Sed & *Iupiter*, & *Apollo* ſive *Sol* bene & concinne *per Deum Sebadium intelliguntur*, cum uterque ſerpentem induiſſe creditus, & *ſub anguis forma* à cæcis Gentilibus *cultus fuerit*. Quippe Regina Olympias, Philippi Macedonum Regis uxor, à Jove ſerpentis formam gerente compreſſa & impрægnata, *A*lexandrum Magnum peperiſſe dicitur. Vide Sidonium *A*pollinarem

narem Carm. II. verſ. 121. *A.* Gellium lib. XIII. cap. 4. Pauſaniam Corinthiac. Juſtin. libr. II. B. Victorem in Galerio *A*rmentario. *S*ervium ad verſ. 321. lib. VI. Æneid. Ælianum libr. I. Var. Hiſtor. cap. 25. Et *S*cipio *A*fricanus natus legitur decimo menſe, ex quo juxta matrem antea ſterilem in lecto ingens anguis cubare viſus eſt teſtibus. C. Oppio, & Julio Higino apud Gellium Noct. *A*tticar. libr. VII. cap. I. pag. 150. unde *Iovis filius creditus eſt, & ipſi parvulo draco circumfuſus nihil nocuit*; ſunt verba *S*. *A*urelii Victoris in libro de Viris Illuſtribus cap. 49. *S*i hæ hiſtoriæ non ſubleſtæ fidei ſint, ſine dubio anguis ille ſerpens ille antiquus ſive Diabolus fuit, ſub forma ſerpentis ſpirans, fulminans & nequitiam ſuam exercens. Sic etiam *Apollo in ſerpentem irrepſit*: nam Suetonius Tranquillus in vita Octavii Auguſti cap. 94. ex Hiſtorico Aſclepiade Mendete annotavit, & ſcripſit: *Acciam cum ad ſolemne Apollinis ſacrum media nocte veniſſet, poſita in templo lectica, dum cæteræ matronæ obdor-*

obdormirent, obdormiſſe. Draconemque repente irrepſiſſe ad eam, pauloque poſt egreſſum, illamque expergefactam, quaſi à concubitu mariti purificaſſe ſe, & ſtatim in corpore ejus exſtitiſſe maculam velut depicti draconis, nec potuiſſe unquam eximi, adeo ut mox publicis balneis perpetuo abſtinuerit, Auguſtum natum menſe decimo, & ob hoc Apollinis filium exiſtimatum. Videmus hic, quod credula *antiquitas Apollinem ſub ſerpente*, qui forte in ejus templo educabatur, *venerata fuerit*, *cui* etiam propterea *currus voluminoſis draconibus ſibilans adſcribitur* ab Apollodoro lib. I. Biblioth. pag. 70. Videmus hic præterea, quod Gentiles olim exiſtimaverint, Acciam à ſerpente, ſub quo Apollo latitaſſet, initam Octavium filium enixam fuiſſe. Eodem fide Johannes Tzetza chil. IV. cap. 135. confirmat, quod temporibus Regis Herodis draco maximus cum puella concubuerit, quam ita immodice & efflictim deperibat, ut aufugientem perſcrutatus fuerit, donec eam invenerit. Sic etiam Apollinis filium *Æſculapium ſub ſpecie &*

cie & forma ſerpentis ſive anguis *divino honore & cultu affecerunt*, forſitan, quia, dum in mundo adhuc verſebatur, ſerpentem viæ & vitæ comitem ſemper ſecum habuerit & traxerit. Hoc Nicander in Theriaca indicare videtur.

Nunc viridem & nigrum poſt dicta venena draconem
Adſpice, quem patula fago Phœbeja proles
Ingelido Peli nutrivit culmine juxta
Læta Pelethroniæ quondam declivia vallis.

Hoc etiam inde colligere poſſemus, quod Medici ipſius exemplum ſecuti etiam anguibus, qui in Æſculapii tutela ſunt, uti & ex illis medicamenta conficere inceperunt, ſicut Hyginus in libro II. Aſtronomiæ teſtatur. Quanquam Macrobius lib. I. Saturnal. author eſt, ſimulachris Æſculapii ideo ſubjungi draconem, quia ſit acie acutiſſima & pervigili. Nam, ſicut Hippocrates in Prognoſticis ſcribit, *oportet Medicum dicere de ægroto præterita, præſentia, & futura.* Et Plinius lib. XXIX. ideo *an-*

guem

guem Æſculapio dicatum eſſe refert, *quia & ineſſe remedia multa creduntur.* Huic etiam *Baculum ſerpente generoſo munitum* attribuit Apulejus lib. 1. Mil. *Diceres Dei Medici baculo, quod ramulis ſemiamputatis nodoſum gerit ſerpentem generoſum lubricis amplexibus inhærere.* Hoc etiam impoſtori illi Alexandro Pſeudomanti non ignotum fuit, qui ut imperito & rudi populo imponeret, & ſe pro Æſculapii vate & familiari venditaret, *draconem pulcherrimum, quem Æſculapium eſſe fingebat*, ſemper *ſecum ducebat, & ubique credulo vulgo oſtentabat*; ſicut Lucianus teſtatur in Alexandro pag. 539. Multa & continua lectio nos etiam docuit, quod *vivi dracones* & *ſerpentes* olim inſtar alicujus Numinis atque ſub nomine Apollinis, Jovis, Palladis, & Æſculapii ſubmiſſa religione culti, ſumma cum veneratione adorati, ſumma cum cura ſumptuoſe & delicate nutriti, atque ſumma obſervantia & ſuperſtitione *in adytis & templis obſervati & aſſervati fuerint.* Hinc Georgius Fabritius in Commentar. in

Poëtas Chriſtianos loquitur. *Serpens in agro, coluber in ſylvis, anguis in aqua, draco in templis.* Sic *Babylonii coluerunt & ſerpentem draconem, quem occidit Daniel homo Dei, cujus ſimilitudinem habent;* ſunt verba Ambroſii in Commentar. in Epiſt. ad Romanos pag. 16. Sophocles in Philoctete etiam meminit ejuſmodi anguis *templi alicujus cuſtodis & civis.*

> χρύσης πελασθεὶς φύλακος, ὃς τὸν ἀκα-
> λυφῆ
> Σηκὸν φυλάσσει κρύφιος οἰκουρῶν ὄφις.
> *Cum acceſſeris ad anguem cuſtodem qui apertum*
> *Delubrum occulte latens cuſtodit.*

Et Ariſtophanes in πλούτῳ Act. III. ſcen. 2. pag. 53.

> *Poſt Deus (Plutus)*
> *Signa dedit ſibilo; tum ſerpentes duo*
> *Et templo proſiluerunt, magnitudine*
> *Inuſitata conſpicui*
> *Et jam ambo ſimul ſerpentes in templum iverant.*

Livius forſitan ejuſmodi anguem etiam innuit lib. LI. Hiſtor. pag. 912. *Cæri-teſque*

teſque anguem in oppido ſuo jubatum aureis maculis ſparſum apparuiſſe affirmabant. Irridet hunc profanum & nefandum cultum C. Sedulius Scotus lib. I.

Quis furor eſt, quæ tanta animos dementia ludit,
Ut volucrem, turpemve bovem, tortumque draconem,
Semihominemque canem ſupplex homo pronus adoret?

Athenis in arce ita *Palladis draco*, quem Pallas Athenienſibus peperiſſe dicebatur, *publicis ſumptibus delicate alebatur* teſte Philoſtrato in Vita Apollonii lib. VII. cap. 12. & lib. II. Icon. pag. 806. De hoc ita Herodotus lib. VIII. pag. 462. *Et ante omnia, quod Athenienſes ajunt, ingentem anguem arcis cuſtodem in templo fuiſſe obſervatum. Et tanquam re vera eſſent, quæ dicunt, ſerpenti menſtrua non ceſſant libamina proponere, quæ ſint è melle confecta: quæ cum ſemper ſuperioribus temporibus depaſcerentur, tunc illibata manſerant. Id quum ipſa templi Antiſtes indicaſſet, eo magis Athenienſes eoque promptius deſeruerunt, ar-*

cem, tanquam à Deo etiam deſtitutam. Plutarchus eandem Hiſtoriam repetit in Vita Themiſtoclis pag. 116. Et cum hic draco forte mortuus fuerit, aut Diabolus potius ſub illo occultus totali Athenarum ruina & interitu diſparuerit & coli deſierit. *Cæſar Hadrianus Iovis Olympii templum, in quo ipſius quoque ſtatua poſita fuit, Athenis ædificarit, juſſitque in eo* (ut priſtinam religionem reduceret) *draconem allatum ex India collocari*, ſunt verba Dionis Caſſii ex Xiphilino lib. LXIX. pag. 799. Et forſitan *Delphis ejuſmodi* etiam *monſtrum* Dei Apollinis prætorianus miles, & *templi æditimus fuit.* Dionyſius in Deſcriptione Orbis ex præcedentibus ita explicari & intelligi poteſt.

τῷ πάρα, πυθῶνος θυόεν πέδον, ἦχι δράκοντας
δελφύνης ζιπόδεσσι θεοῦ παραχέκλιται ὁλκὸς
ὁλκὸς ἀπειρεσίησιν ἐπηρείσσων φολίδεσσι
νηῷ ἐν ἱμερτῷ.

Apud quem Pythonis niderosum ſolum, ubi Draconis,

Delphynes

Delphynes tripodibns Dei adjacet ſpira
Spira infinitis inhorreſcens ſquamis
Templo in amabili.

Et Æſcylus in Eumen. hinc etiam illuſtratur, nam illa, quæ ſupra vidimus, perſuadent nobis ut credamus, illum his ſubjectis verbis etiam illum anguem indicare, qui Delphis in Apollinis templo & adytis excubias agebat. Ita autem loquitur.

ἔξω, κελεύω, τῶν δ' ἐκ δωμάτων τάχος
χωρεῖτ', ἀπαλλάσσεσθε μαντικῶν μυχῶν.
μὴ καὶ λαβοῦσα πτηνὸν ἀργηστὴν ὄφιν,
χρυσηλάτου θώμιγγος ἐξορμώμενον.

Extra domum jubeo celeriter
Secedite, abite à fatidico antro.
Et non accipiens volatilem ſerpentem album
Auro ducti laquei impetum facientem.

Loquitur autem ibi Apollo Eumenidibns ſive Furiis, illis mandans, ut è templo ſuo quam citiſſime abirent, & avolarent. His etiam adde *A*pollodorum lib. 1. Bibliothecæ idem teſtantem. Huic matriculæ inſeri quoque debet *Serpens* ille

Epidaurius, *cuj* ſuperſtitioſa *antiquitas ſub nomine Æſculapii* faſces ſubmiſit, & *divinum honorem exhibuit:* quemque Romani, cùm graviſſima peſte affligerentur, ex oraculi monitu ut morbi iſtius remedium & averruncum ex Epidauro exquiſita pompa inter lætos civium applauſus & ovationes, exultantemque omnium lætitiam in urbem advexerunt, & in templo collocatum geniculationibus ſubmiſſis, & ſupplicii cultu adorarunt. Audiatur de eo Prudentius in Periſteph. Paſſ. Romani Martyris pag. 182.

Venerem precaris, comprecare & ſimiam,
Placet ſacratus aſpis Æſculapii?
Crocodilus, ibis, & canes cur diſplicent?
Adpone porris religioſas arulas
Venerare acerbum cepe, mordax allium.

Audiatur præterea de illo Pauſanias lib. III. pag. 249. *Cùm enim legati ab Epidauriis publice in Coon inſulam ad Æſculapium miſſi ad hanc agri Laconici oram*

(Epi-

(Epidaurum) *Limeram appuliſſent, ſomniis quibuſdam monitos, ſedem eo in loco ſtatuiſſe memorant. Quin anguem etiam, quem ſecum* Epidauro *abduxerant, elapſum è navi in mare ſe demerſiſſe; quare & viſis per quietem, & eo prodigio adductos ibi conſtitiſſe, & ſibi oppidum communiviſſe.* Adiiciatur his Iulius Obſequens in libello de prodigiis pag. 419. tranſmigrationem hujus ſerpentis Romam egregie his verbis delineans, quum ita loquitur: *Romani ob peſtilentiam reſponſio monente, ad Æſculapium Epidauro accerſendum decem legatos principe Q. Volumnio miſerunt. Qui cùm eo veniſſent, & ſimulachrum ingens mirarentur, anguis è ſedibus ejus elapſus venerabilis non horribilis per mediam urbem cùm admiratione omnium ad navem Romanorum perrexit, & ſe in Volumnii tabernaculo conſpiravit. Legati Deum vehentes Antium profecti ſunt, ubi per mollitiem anguis proximum Æſculapii fanum petiit, & poſt paucos dies ad navim rediit: & cum adverſo Tyberi ſubveheretur, in proximam ſylvam deſiluit, ubi templum ei con-*

ei conſtitutum, & peſtilentia mira celeritate ſedata eſt. Hæc hiſtoria etiam fuſe & eloquenter eſt decantata ab Ovidio lib. xv. Metamorph. pag. 467. Valerio Maximo lib. I. cap. 8. pag. 41. & Sexto *A*urelio Victore de Viris Illuſtribus cap. 22. Meminit etiam Horatuis Serm. I. pag. 148.

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius!

Huic *Æſculapio*, (qui, ut ſupra ſatis ſuperque oſtendimus, ſub ſerpente & dracone colebatur) etiam *victima humana olim ſacrificata, oblata, & objecta eſt*, teſte Suida in Epidauro. *A*n reliqui vero ſupra dicti ſerpentes, ſub quibus Iupiter & Apollo honorabantur, & adorabantur, etiam hominum immolatione fuerint culti & placati, pro certo affirmare non auſim. Veriſimile tamen videtur, cum ipſe Iupiter & Apollo cruento & nefando iſto ſacrificio & honore antiquitus ab Ethnicis affecti legantur, ſicut cap. v. & VIII. libri primi ſuffi-

cienter

cienter probavimus. *Lanuvii*, quod eſt oppidum Latinum & municipium Romanum ad viam Appiam poſitum, *draco Junoni Lanuvinæ ſacer* antiquitus ſedes fixerat, & *religioſe colebatur*: de quo conſule Ælianum de Animal: lib. x. cap. 16. Eruditorum Coryphæum Illuſtriſſimum Joſephum Scaligerum in Notis in Eleg. de morte Druſi. Turnebum, & Clariſſimum longeque doctiſſimum Virum Simonem Abbes Gabbema Friſiæ Hiſtoriographum, cognatum meum dilectiſſimum in notis ad Propertii lib. IV. eleg. 8. & Camerarium Horar. Subciſivar. Centur. II. cap. 9. In nummis etiam, juxta Scaligerum, legitur & invenitur L. PROCILI *Iuno Soſpita, quæ erat tutela Lunuvii, cuſa eſt draconem hunc pedibus calcans.* Pythocles Hiſtoricus in libro III. Italicorum apud Plutarchum in Parallelis pag. 309. ſcribit, quod *Dea Veſta Metellam* Metelli Romanorum Ducis filiam, *morti & immolationi, cui ob Patris crimen devota erat, eripuerit, & detulerit* εἰς λαμούσιον, καὶ ἱερείαν τοῦ σεβομένου παρ᾽ αὐτοῖς δράκοντος

ἀπε.

ἀπέδειξεν: *Lamuſium, & draconis, qui ibi colebatur Antiſtitam fecerit,* Neceſſario hic pro λαμούσιον corrigendum eſt λανούβιον *Lanuvium.* Nam ita Cicero in oratione pro Milone hoc oppidulum vocat juxta fidem Ambroſii Calepini. Ita etiam arte & Marte, ſago & toga, Clariſſimus ſenex Jacobus Palmerius in Exercitationibus in Optimos Græcos *Authores* pag. 295. in Strabonis libro IV. pag. 239. (mei codicis lib. 423.) ſuo periculo pro λαουίνιον legi vult Λανούβιον. Ita autem loquitur Strabo. ὑπέρκειται δ' αὐτῆς τὸ μὲν Λαουίνιον. *Supra eam ſitum eſt Lavinium.* Nam *Lavinium*, inquit, *urbs non fuit in edito, ſed ad maris littus: at Lanuvium fuit ſuper Ariciam in edito. Vide Cluverum in ſua Italia. Salmaſius tamen in ſuis ad Hiſtoriam Auguſtam notis pertendit Lavinium & Lanuvium unum & idem eſſe, ſed non perſuadet.* Differentiam etiam magnam inter duas illas urbes agnoſcit Sigonius in Scholiis ſuis ad Titi Livii librum VIII. Hiſtor. *Huic* autem *draconi*, cùm famelicus eſuriret, *puellæ*, quæ

quæ pro caſtis virginibus habebantur, paſtum & *eſcam præbere tenebantur*, quam ſi ex illarum manibus haud gravate accipere ſerpens ille dignabatur, ſignum erat, quod caſtitatem & virginitatem ſuam intemeratam cuſtodiviſſent, & hinc agricolæ magno gaudio exſultantes fertilem & feracem ſibi ominabantur annum. Quo de dracone & profano ſacro ita Propertnis canit lib. IV. eleg. 8. pag. 824,

Diſce, quid Exquilias hac nocte fugavit aquoſas
Quum vicina novis aura cucurrit agris.
Lanuvium annoſi vetus eſt tutela Draconis
Hic ubi Tartareæ non perit hora moræ.
Qua ſacer abripitur cæco deſcenſus hiatu,
Qua penetrat, (virgo, tale iter omne cave.)
Jejuni ſerpentis honos, quum pabula poſcit
Annua, & ex ima ſibila torquet humo.

Talia

Talia demiſſæ pallent ad Sacra puellæ:
Quum teneræ anguineo creditur ore manus.
Ille ſibi admotas à virgine corripit eſcas.
Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.
Si fuerint caſtæ, redeunt in colla parentum,
Clamantque agricolæ: Fertilis annus erit.

Verba autem hæc Propertii.

Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.
Si fuerint caſtæ, redeunt in colla parentum.

Dicere & inferre videntur, quod è contra *puellæ*, *quibus caſtitas deflorata*, & flos virginitatis delibutus erat, non in colla Parentum & illæſæ exſultanteſque ad ſuos redirent, ſed miſere perirent, & forte aut *ab iſto dracone*, aut *vaſto, cæco & præcepiti illo antri hiatu abſorberentur*, & ita quaſi *victimæ monſtro illi*, ſive *Junoni ſoſpitæ* caſtitatis & pudicitiæ vindici, & impudicitiæ ultrici *immolarentur.* Aliis etiam modis antiquitus & in Ethni-

in Ethniciſmo & Chriſtianiſmo virginitatem alicujus explorabant, de quibus ſuo loco & tempore ex Livio, Prodromo, Heliodoro, Achille Tatio, & Corpore Legum Antiquarum agemus. *Ab* hoc *draconteo Lanuvii ſerpentis* ſpecu & *antro* forſitan *pudendum muliebre* idem Propertius ad hunc horrendum ritum reſpiciens *Lanuvii portas nominavit*. Ita enim canit lib. IV. Eleg. 9.

Contabant ſurdo, nudabant pectora cæco
Lanuvii ad portas hei mihi ſolus eram.

Quibus verbis declarat, quod, licet ad pruriginem meretrices laſcivis cantilenis & nudatis papillis ipſum provocarent, & irritarent, exercendæ tamen Veneri impar fuerit, & virilitas, cum jam opus Venereum aggrederetur, ipſum deſtituerit; adeo ut vir ſine viro & veluti ſolus jaceret. Quodque, cum jam *oſtium* & ſpecum *fœmineum*, ſicut Auſonius ita loquitur in Centone Nuptiali Edyl. XIII. pag. 128. *intrare geſtiret*, præ trepidatione ac formidine non potuerit,

erit, ſed retractus fuerit, noc ſecus *ac ſi ante cæcum hiatum Lanuvii Draconis conſtitiſſet*, cum timeret, ne Cynthia ſua concubina, cui ſoli ſe addixerat, voluptatem hanc (ſicut factum in eadem elegia legimus,) adventu ſuo turbaret, & Juno Dea Nuptiarum Præſes, caſtitatis vindex, & impudicitiæ & perjurii amantium ultrix ulciſceretur hanc injuriam, quam amaſiæ ſuæ Cynthiæ ab illa deficiendo & in aliarum meretricum caſtra transfugiendo intulerat. Verebatur fortaſſe, ne *Juno inter ipſum concubitum ex portis Lanuvii draconem emitteret, qui ipſum ſtrangularet.* Nam, quod ad confirmandam meam opinionem facit (nempe *quod pudendum muliebre* Propertius *Lanuvii portas* vocet *reſpectu Lanuvii antri & draconis*, de quo ſupra) Antiquitas fabulata eſt, *draconem ſive anguem intra ſinum ilio ſive pudendo puellarum adhærere*, & μοχλὸν ὀρφανοῖο παρθενεῶνος, ſicut Nonnus loquitur, *inſidere, ut virginitatem & caſtitatem puellarum adverſus omnem vim virilem & externum inſultum defenderet, & injurias aman-*

as amantium vindicaret. Frequenter hoc apud Nonnum occurrit, nempe Dionyſ. lib. v. & vi. verſ. 158. lib. xiv. & xv. verſ. 8. libr. xxxiii. & libr. xv. rurſus ita.

Ορτιος ἕρπε δράκων ὑποκόλπιος ἰξύϊ γείτων
Δυσμενέος δ' ἤιξε αὐχένος. ἀμφὶ δὲ δειρῇ
Ουραίαις ἑλίκεσσιν ἀνέπλεκε κυκλάδα μίτζην.

Rectus ſerpſit draco intra ſinum (puellæ) *ilio vicinus*
Hoſtilem vero irruit in cervicem, circa collum vero
Poſtremis caudæ tractibus circularem mitram.

Loquitur ibi de dracone caſtitatis puellaris cuſtode, qui ex *Lanuvii antro* ſive *pudendo* prorepens Indo in cervicem irruit, illum præfocaturus, cum vino obrutus puellæ vim inferre vellet. Aliorum autem opinio de hac voce eſt, quod propterea fœminal ſive pudendum muliebre Lanuvium à Propertio vocaretur, quod Medicis ſint peſſi authore Celſo, qui

qui fœminarum naturalibus ſubjiciuntur, ſive lana, ſive aliud aliquid teres ſit digiti forma, quo medicamenta (ut Paulus ait) contineantur. Conſule Rhodiginum Lect. Antiq. lib. IV. cap. 7. & Celeberrimum Virum Johannem Fridericum Gronovium Obſervat. libr. III. cap. 16. Sed meam ſententiam magis eſſe plauſibilem unuſquiſque facile animadvertit.

CAP. XI.

Homines ut victimæ vulpi, leonibus, & cetis devorandi objecti & expoſiti. Adjectiones ad Danielem; Lucianus, & Q. Ennius explicantur & illuſtrantur. Fabulæ de Georgio. Seldeni error. Beſtiariorum, id eſt, illorum, qui in Amphitheatris cum beſtiis pugnabant, ſanguine Jupiter conſperſus & honoratus. Explicantur Tertullianus & Seneca. Illuſtrantur & explicantur Ulpianus, Marcianus Juriſconſultus, & Lucius Pomponius, Dion Caſſius. Paulus Apoſtolus cum beſtiis pugnavit. Explicatur & illuſtratnr I ad Corinth. cap. XV. verſus 34. Eraſmus notatur. Martyres cum beſtiis certarunt, & feris & tauris olim objecti. Epiſtola Eccleſiæ Lugdunenſis illuſtratur; & Euſebius & Mar-

& Martialis explicantur & illuſtrantur. Martialis corrigitur, & cum Cicerone & Aſcanio Pœdiano conciliatur. Ovidius & Euſebius explicantur & illuſtrantur. Rubro colore tauri & elephanti irritantur. Ulpianus & Juſtinianus illuſtrantur. Plutarchus & Author lib. Macbaorum illuminantur. Lipſius notatur. Seneca corrigitur & illuſtratur.

ET non ſolum in cæco, crudeli, & ſuperſtitioſo Ethniciſmo horrendis ſerpentibus & draconibus, ſed etiam *grandi vulpi* agros devaſtanti *humanæ victimæ oblatæ fuerunt.* De quo Apollodorus lib. II. Ἐφθείρε γὰρ τὴν Καδμίαν ἀλώπηξ θηρίον. ὑποστάντος δὲ ὅμως εἱμαρμένον ἦν αὐτὴν μηδέτινα καταλαβεῖν. ἀδικουμένης δὲ τῆς χώρας, ἕνα τῶν ἀστῶν παῖδα δὲ Θηβαῖοι κατὰ μῆνα προετίθεσαν αὐτῇ. *Nam fera vulpes Cadmiam devaſtabat. Hic & ſi recepiſſet, fato tamen cautum erat, eam à nullo unquam mortalium captum iri. Interim dum fines à vulpe diripiuntur. unum ex urbanis puerum ſingulis menſibus ipſi appoſuerunt.* Sed quid dicemus de *Daniele in foveam Leonum* à populo Babyloniæ olim *conjecto*; de quo

Adjectiones ad Danielem cap. xiv. verſ. 30, 31. *Ii autem conjecerunt eum* (Danielem) *in foveam leonum, ubi fuit dies ſex. Erant autem in fovea illa leones ſeptem, quibus dabantur in diem bina corpora, & binæ oves, ſed tunc non erant data eis, ut comederent Danielem.* Leones hi videntur fuiſſe *ſacri*, & à Babyloniis ad modum draconis illius à Daniele interempti *pro Numine culti, quibus Daniel*, & forte quotidie *duo homines ut victimæ offerendi* & devorandi *objiciebantur.* Nam quod hominum ſanguine, carne, & cæde fuerint ſatiati & placati, & exemplum Danielis, & teſtantur verba iſta; *quibus dabantur bina corpora:* Quæ ſi aliorum animalium fuiſſent, ſine dubio dixiſſet Author, ſicut duas illas oves expreſſit. Hominum igitur corpora fuiſſe, eo indicari videtur, quod *ea* (ſcilicet *corpora*) *tunc* (cum Daniel leonibus objiceretur) *non data erant*, ut nempe fame ſtimulati Danielem devorarent, qui duorum iſtorum hominum vices tunc temporis ſuppleverit. Quod vero leones illi ſacri & pro Numinibus adorati

adorati fuerunt, ex eo veriſimile eſt, tam quod illos ut pecudi noxia animalia non ſuſtulerunt & obtruncaverunt, ſed è contra anxiè & hominum & ovium carne ſuſtentaverunt, quam quod & alibi leones pro Deis fuiſſe habitos & ſalutatos, atque publicis eſcis nutritos doceant Authores. Porphyrius lib. IV. ὅθεν καὶ ὁ λέων ὡς θεὸς θρησκεύεται. *Unde apud illos* (Ægyptios) *non minus quam Deus leo religioſe colitur.* Arnobius lib. VI. pag. 116. *Inter Deos videmus veſtros leones torviſſima facie.* Minutius Felix in Octavio pag. 20. *Leonum & canum vultu Deos dicatis.* Tertullianus Apolog. cap. 16. *Illi debebant adorare ſtatim biforme Numen, quia & leonino & canino capite commiſtos.* De *leonibus* his etiam interpretare Lucianum, qui in libello de Dea Syria ſcribit, quod in Ægypto *intra ſepta templi liberi ac Diis conſecrati paſcebantur leones, qui* ἱεροὶ *ſacri & manſueti erant.* Et Horus Apollo refert, *leonem* apud Ægyptios *ſacrum fuiſſe,* ὅθεν μὲν ὑπὲρ τὸν θρόνον τοῦ ὥρου λέοντας ὑπερτιθέασι. *Unde & ſub ſolio Solis leonem*

 pingunt.

pingunt. Hinc veriſimile videtur (quod pro veritate tamen affirmare non audeo) Solem ſub leonibus, qui forte illi ſacri fuerunt, ita à Babyloniis honoratum fuiſſe, quem Babylonii & Aſſyrii præcipue adorarunt, ſicut oſtendimus in lib. I. cap. 5. pag. 68. & 69. Hujus Hiſtoriæ de Daniele meminerunt; Euſebius; D. Gregorius in Hymno; Tertullianus lib. III. Carm. contra Marcionem; Paulinus Nolanus de Temporis ſui conditione.

Ceu quandoq; feræ circum jacuere Prophetam,
Orantiſque pedes linguis mulſere benignis.

Hilarius in Geneſi.

Et puer impaſti, quem non tetigere leones.

Et hæc ad explicationem iſtius prædicti loci Danielis ſufficiant; *Ceto* vero *Virgines Trojanas in Victimam fuiſſe expoſitas, & devoratas* ſcribit Hyginius Fabula LXXIX. his verbis. *Nephtunus & Apollo dicuntur Trojam muro cinxiſſe. His Rex Laomedon vovit, quod regno ſuo pecoris*

coris eo anno natum eſſet, immolaturum. id votum avaritia fefellit: ob eam rem Neptunus cetum miſit, qui Trojam vexaret. Ob quam cauſam Rex ad Apollinem miſit conſultum. Apollo iratus ita reſpondit: ſi Trojanorum virgines ceto religatæ fuiſſent, finem peſtilentiæ futuram; *cum complures conſumptæ eſſent, & Heſione fors exiſſet, & petris religata eſſet, Hercules & Telamon cum Colchos Argonautæ irent, eodem venerunt, & cetum interfecerunt, Heſionemque Patri pactis legibus reddunt.* Meminit ejuſdem hiſtoriæ, ſive fabulæ potius, etiam Apollodorus in Biblioth. lib. II. *Tum Apollo peſtilentiam, ac Neptunus cum inundatione cetum immiſit: quod quicquid mortalium in campis offendit, corripiebat; cum vero ex oraculis, malorum finem tum demum fore diceretur; Cum Laomedon Heſionem filiam ſuam ceto devorandam appoſuerit: tum ille in proximis pelago petris illigatam propoſuit.* Palæphatus de fabuloſis narrationibus idem teſtatur. *De ceto hæc quidem memorantur, quod Trojanos è mari exiens invadebat & ſiquidem*

ci puellas aliquas Trojani obtuliſſent, ab eis recedebat, ſin minus eorum totam regionem devaſtabat. Philoſtratus Junior in Iconibus, etiam ejuſdem meminit. ἢ τὶ μαθὼν, φοβερὸν οὕτω κῆτος ὑφίσαται. *Aut qua de cauſa terribilem adeo cetum ſuſtinet.* (Heſione.) Hyginus in fabula xxx. habet, quod *Hercules cetum occiderit.* (Hercules) *cetum, cui Heſione fuit appoſita, Trojæ occidit.* Idem Johannes Tzetzæ in chil. II. de Hercule ſcribit.

Τὴν Ἡσιόνην ῥύεται τοῦ κήτοις ἐν παρόδῳ.

Heſionem autem liberat à ceto in itinere. Decantata ſatis eſt fabula illa, qua *Cepheus filiam Andromedam* immaniſſimo *marino monſtro devorandam objecit*, cum illud ob præpoſitam Andromedæ formam præ Nereidibus à Neptuno eſſet immiſſum ad devaſtandam Cephei patriam, ſed labore & auxilio Perſei occiſum eſt. Apollodorus lib. II. Ἄμμωνος δὲ χρήσαντος τὴν ἀπαλλαγὴν τῆς συμφορᾶς, ἐὰν ἡ Κασσιεπείας θυγάτηρ Ἀνδρομέδα προτεθῆ τῷ κήτει βορά. *Cepheus autem Ammonis oraculo monitus eſt, tum demum tantæ calamitati modum fore, cum Caſ-*

ſiopia

ſiopea filiam Andromedam ceto devorandam propoſuerit. Meminit & Aratus in Apparent.

> αὐτὸν γὰρ κᾳκεῖνο κυλίνδεται αἰνὸν ἄγαλμα
> Ανδρομέδης, ὑπὸ μητρὶ κεχασμένον, ὄυ σε μάλ' ὀΐω.
>
> *Ibi namque & illud obvolvitur triſte ſimulachrum*
> *Andromedæ ſub matre conſtellatum.*

Antabius Scholaſticis in Florilegio Planudis.

> Κηφεὺς Ανδρομέδην ἠζωγράφ☉ ἄγθετο πέζαις.
>
> *Cepheus Andromedam aut pictor appoſuit petræ.*

Germanicus Cæſar in Arati Phœnomenon de eodem ita. *Fuit Andromedæ pater, qui filiam ſuam ad cetum dicitur expoſuiſſe.* Nonnus Dionyſ. lib. XVIII.

> Περσεὺς κῆτ☉ ἔπεφνεν Ερυθραίῳ παρὰ πόντῳ.
>
> *Perſeus cete occidit Erythræum prope mare.*

Manilius Aſtronom. lib. I. pag. II.

> *Et finitur in Andromeda, quam Perſeos armus*

Excipit

Excipit & conſociat ſibi.

Adde libr. I. pag. 32. Addatur Propertius lib. II. eleg. 21.

Andromede monſtris fuerat devota marinis,
Hæc eadem Perſei nobilis uxor erat.

Q. Ennius in Andromeda, de hac fabula loquens hinc intelligitur. *Nam ubi introducta eſt, puerumque ut laverent locant in clypeo Rurſus prorſus reciprocat fluctus feram.* Et Achilles Tatius libr. III. Καὶ ἔοικε τὸ θέαμα, εἰ μὲν εἰς τὸ κάλλος ἀπείδοις, ἀγάλματι καινῷ. εἰ δὲ εἰς τὰ δεσμὰ καὶ τὸ κῆτος, αὐτοσχεδίῳ τάφῳ. *In illo ſedebat puella eo adſpectu, ut ſi pulchritudinem tantum conſpiciens, admiratione dignam imaginem, ſin vero vincula etiam & cete, rude & inconditum ſepulchrum ſpectandum Tibi propoſitum exiſtimaturus fueris.* Idem etiam teſtatur in ſua Hiſtoria Naturali Plinius lib. IX. cap. 5. *Bulluæ, cui dicebatur expoſita fuiſſe Andromeda, oſſa Romæ apportata ex oppido Iudææ Ioppe oſtendit inter miracula in ædilitate ſua M. Scaurus longitudine coſtarum Indicos elephantes ex-*

tes excedente , ſpinæ craſſitudine ſeſquipedali. Adde Solinum cap. 36. Manilium lib. v. verſ. 21. pag. 105. Philoſtratum in Iconibus lib. 1. & in vita Apollonii lib. 1. cap. 18. Horatium Ode 29. ad Mœcenatem. Chriſtophorum Landinum in Commentar. ad Horatium. Ovidium in Metamorphoſi, alioſque. Et *res de Andromede geſtas* in urbe Joppe contigiſſe ajunt. Ut dicit Strabo tom. 1, pag. 76. lib. 1. Ejuſmodi hiſtoriam Pontificii nobis obtrudunt de *Divo Georgio, qui* in urbe *Ioppa draconem occidiſſet* , & homines à malo , quo illud monſtrum eos affligebat , liberaſſet ; *cum etiam ei virgines devorandas* & conſumendas *devovere antea coacti eſſent.* Hinc ille fortiſſimus *Georgius* eques , armatus , & cum *dracone depingitur* , & nationum , urbium , militum , equitum , armatorum , & civium Patronus habetur. Et in Eccleſia Cretenſium , Corcyræorum & aliorum Græcorum Venetiis nullæ aliæ viſuntur imagines , præter Chriſti crucifixi , Mariæ Virginis , & *Beati Georgii in illius armatura equeſtri ,*

& puella defenſa, & dracone Lybico interfecto, juxta fidem Georgii Fabritii in Commentar. in Poëtas Chriſtianos. Geſta & Martyria deſcribunt Fortunatus lib. 1. Jacobus de Voragine, Petrus de Natalibus, Keſſeus in Vita *P*atrum. *Pa*tricides in Eccleſiaſtica Hiſtoria p. 110. Elmacinus pag. 221. Baronius pag. 275. Defendit eam Hiſtoriam ut veram Bellarminus lib. 1. de Eccleſ. Triumphante cap. 20. in dubium vocant, & ad allegorias trahunt. Petrus de Natalibus. Baronius in notis ad Martyrologium. Illuſtriſſimus Pietro della Valle Itiner. part. IV. cap. 33. pag. 153. qui ipſi fuerunt Pontificii, Georgius Æmilius, & Johannes Stigelius, qui ſuaviſſimis verſibus hanc Hiſtoriam cecinerunt. In Concilio Niceno apocryphos eſt habita, eo quod diſſideret tam ex parte loci, quam ex parte modi: & tam ex parte temporis, quam ex parte judicis, ut ait Natalis Venetus. Illam veluti falſam refutant Raynoldus lib. 1. de Idololat. cap. 5. & Johan. Gerhardus lib. 1. Confeſſ. Catholic. part. II. cap. 16. Attamen & Mahumetani

humetani certe hunc *Divum Georgium colunt*, & eadem de eo nugantur, nam in oppido Joppenſi ſupra nominato in ejus honorem templum eodem in loco exſtruxerunt, & illi dedicarunt, quo Draconem interfeciſſet, teſte Della Valle loco ſupra jam citato. Et *P*erſarum Rex hunc Georgium eundem fuiſſe contendebat, quem *P*erſæ ſub nomine Ali veluti ſummum *P*rophetam ſummopere colunt. Ut ſcribit idem Della Valle part. II. cap. 4. pag. 21. Sed Seldenus libr. 1. de Succeſſ. in *P*ontificatum Hebræorum cap. 2. *Eliam ab ipſis Turcis non vero Georgium* dicit. Sed *Georgium* re vera *apud Mahumedanos in magno honore haberi* & χιτὴρ Ηλίαξ *vocari* Cantacuzenus Apol. 3. cap. teſtatur. *Chederlem* autem *dici*, & *expoſitam virginem vaſti & horrendi draconis cædi*, juxta Turcarum opinionem *ſervaſſe* teſtis eſt Auger. Buſbequius epiſtol. 1. pag. 71. Sed *Gerges* eum vulgo appellari ſcribit Hottingerus Hiſtor. Oriental. lib. 1. cap. 3. pag. 99. adde Commentar. in Alkoran. Sed ſicut hæc de Andromeda & Heſione monſtro

marino expoſitis narrata à pleriſque doctis pro fabulis cenſentur, ita nihil verius eſt, quam quod *iſtorum hominum & damnatorum ſanguis, qui in Amphitheatro & Circo cum feris & beſtiis depugnantes dilaniabantur, à Romanis Iovi fuerit libatus & propinatus.* Docet Tertullianus Apolog. pag. 825. qui ita explicari debet. *Ecce in illa religioſiſſima urbe Æneadarum piorum eſt, Iupiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine, ſed beſtiarii, inquitis.* De his *beſtiariis* inſpice præter alios Ciceronem in Oratione pro P. Sextio pag. 49. *Do, inquit, beſtiarios. Præclara ædilitas, unus leo, ducenti beſtiarii.* Idem in Vatinium. *Milonem dicas gladiatoribus & beſtiariis obſediſſe Rempublicam.* Senecam libr. II. de beneficiis cap. 19. pag. 282. *Leonem in Amphitheatro ſpectavimus, qui unum è beſtiariis agnitum protexit ab impetu beſtiarum.* Rurſus in epiſt. LXX. pag. 508. *Nuper in ludo Beſtiariorum unus è Germanis ſeceſſit.* Eundem hunc dirum ritum innuit idem Seneca lib. III. de Ira cap. 3. pag. 42. *Varia vinculorum*

rum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inſcriptiones frontis, & beſtiarum immanium caveæ: nam fuerunt caveæ in Amphitheatris, unde beſtiæ in damnatos emitterentur. Innuet Ulpianus Iuriſconſultus leg. 8. ff. de Pœnis. *Quicunque in ludum venatorium fuerint damnati, videndum eſt, an ſervi pœna afficiantur, an retineant libertatem.* Rurſus lib. IX. de Officio Proconſulis §. 12. *Servos in metallum, vel in opus metalli, item in ludum venatorium dari ſolere nulla dubitatio eſt, & ſi fuerint dati, ſervi pœna afficiuntur.* Per *ludum venatorium* in duobus iſtis locis, ſicut ex verborum ſenſu & contextu patet, ſpectaculum illud neceſſario intelligitur, in quo ſpectante populo homines damnati, ſervi, & captivi cum beſtiis & feris omnis generis congredi & digladiari tenebantur, donec aut vincerent & feras occiderent, aut ipſi ab illis vincerentur, obtruncarentur & dilaniarentur. Hæc mea ſententia & explicatio de ludo illo Venatorio probatur, ex Gellio lib. v. cap. 14. *In circo maximo venationis ampliſſimæ pugna*

qui fœminarum naturalibus ſubjiciuntur, ſive lana, ſive aliud aliquid teres ſit digiti forma, quo medicamenta (ut Paulus ait) contineantur. Conſule Rhodiginum Lect. Antiq. lib. IV. cap. 7. & Celeberrimum Virum Johannem Fridericum Gronovium Obſervat. libr. III. cap. 16. Sed meam ſententiam magis eſſe plauſibilem unuſquiſque facile animadvertit.

CAP. XI.

Homines ut victima vulpi, leonibus, & cetis devorandi objecti & expoſiti. Adjectiones ad Danielem; Lucianus, & Q. Ennius explicantur & illuſtrantur. Fabula de Georgio. Seldeni error. Beſtiariorum, id eſt, illorum, qui in Amphitheatris cum beſtiis pugnabant, ſanguine Jupiter conſperſus & honoratus. Explicantur Tertullianus & Seneca. Illuſtrantur & explicantur Ulpianus, Marcianus Juriſconſultus, & Lucius Pomponius, Dion Caſſius. Paulus Apoſtolus cum beſtiis pugnavit. Explicatur & illuſtratur I ad Corinth. cap. XV. verſus 34. Eraſmus notatur. Martyres cum beſtiis certarunt, & feris & tauris olim objecti. Epiſtola Eccleſiæ Lugdunenſis illuſtratur; & Euſebius & Mar-

& Martialis explicantur & illuſtrantur. Martialis corrigitur, & cum Cicerone & Aſcanio Pœdiano conciliatur. Ovidius & Euſebius explicantur & illuſtrantur. Rubro colore tauri & elephanti irritantur. Ulpianus & Juſtinianus illuſtrantur. Plutarchus & Author lib. Macbæorum illuminantur. Lipſius notatur. Seneca corrigitur & illuſtratur.

ET non ſolum in cæco, crudeli, & ſuperſtitioſo Ethniciſmo horrendis ſerpentibus & draconibus, ſed etiam *grandi vulpi* agros devaſtanti *humanæ victimæ oblatæ fuerunt.* De quo Apollodorus lib. II. Ἔφθειρε γὰρ τὴν Καδμίαν ἀλώπηξ θηρίον. ὑποστάντος δὲ ὅμως εἱμαρμένον ἦν αὐτὴν μηδένα καταλαβεῖν. ἀδικουμένης δὲ τῆς χώρας, ἕνα τῶν ἀστῶν παῖδα οἱ Θηβαῖοι κατὰ μῆνα προετίθεσαν αὐτῇ. *Nam fera vulpes Cadmiam devaſtabat. Hic & ſi recepiſſet, fato tamen cautum erat, eam à nullo unquam mortalium captum iri. Interim dum fines à vulpe diripiuntur. unum ex urbanis puerum ſingulis menſibus ipſi appoſuerunt.* Sed quid dicemus de *Daniele in foveam Leonum* à populo Babyloniæ olim *conjecto*; de quo

Adjectiones ad Danielem cap. XIV. verſ. 30, 31. *Ii autem conjecerunt eum* (Danielem) *in foveam leonum, ubi fuit dies ſex. Erant autem in fovea illa leones ſeptem, quibus dabantur in diem bina corpora, & binæ oves, ſed tunc non erant data eis, ut comederent Danielem.* Leones hi videntur fuiſſe *ſacri*, & à Babyloniis ad modum draconis illius à Daniele interempti *pro Numine culti, quibus Daniel*, & forte quotidie *duo homines ut victimæ offerendi* & devorandi *objiciebantur*. Nam quod hominum ſanguine, carne, & cæde fuerint ſatiati & placati, & exemplum Danielis, & teſtantur verba iſta; *quibus dabantur bina corpora:* Quæ ſi aliorum animalium fuiſſent, ſine dubio dixiſſet Author, ſicut duas illas oves expreſſit. Hominum igitur corpora fuiſſe, eo indicari videtur, quod *ea* (ſcilicet *corpora*) *tunc* (cum Daniel leonibus objiceretur) *non data erant*, ut nempe fame ſtimulati Danielem devorarent, qui duorum iſtorum hominum vices tunc temporis ſuppleverit. Quod vero leones illi ſacri & pro Numinibus adorati

adorati fuerunt, ex eo veriſimile eſt, tam quod illos ut pecudi noxia animalia non ſuſtulerunt & obtruncaverunt, ſed è contra anxiè & hominum & ovium carne ſuſtentaverunt, quam quod & alibi leones pro Deis fuiſſe habitos & ſalutatos, atque publicis eſcis nutritos doceant Authores. Porphyrius lib. IV. ὅθεν καὶ ὁ λέων ὡς θεὸς θρησκεύεται. *Unde apud illos* (Ægyptios) *non minus quam Deus leo religioſe colitur.* Arnobius lib. VI. pag. 116. *Inter Deos videmus veſtros leones torviſſima facie.* Minutius Felix in Octavio pag. 20. *Leonum & canum vultu Deos dicatis.* Tertullianus Apolog. cap. 16. *Illi debebant adorare ſtatim biforme Numen, quia & leonino & canino capite commiſtos.* De *leonibus* his etiam interpretare Lucianum, qui in libello de Dea Syria ſcribit, quod in Ægypto *intra ſepta templi liberi ac Diis conſecrati paſcebantur leones, qui* ἱεροὶ *ſacri & manſueti erant.* Et Horus Apollo refert, *leonem* apud Ægyptios *ſacrum fuiſſe*, ὅθεν καὶ ὑπὲρ τοῦ θρόνου τοῦ ὥρου λέοντας ὑποτιθέασι. *Unde & ſub ſolio Solis leonem*

pingunt. Hinc veriſimile videtur (quod pro veritate tamen affirmare non audeo) Solem ſub leonibus, qui forte illi ſacri fuerunt, ita à Babyloniis honoratum fuiſſe, quem Babylonii & Aſſyrii præcipue adorarunt, ſicut oſtendimus in lib. I. cap. 5. pag. 68. & 69. Hujus Hiſtoriæ de Daniele meminerunt; Euſebius; D. Gregorius in Hymno; Tertullianus lib. III. Carm. contra Marcionem; Paulinus Nolanus de Temporis ſui conditione.

Ceu quandoq; feræ circum jacuere Prophetam,
Orantiſque pedes linguis mulſere benignis.

Hilarius in Geneſi.

Et puer impaſti, quem non tetigere leones.

Et hæc ad explicationem iſtius prædicti loci Danielis ſufficiant; *Ceto* vero *Virgines Trojanas in Victimam fuiſſe expoſitas, & devoratas* ſcribit Hyginius Fabula LXXIX. his verbis. *Nephtunus & Apollo dicuntur Trojam muro cinxiſſe. His Rex Laomedon vovit, quod regno ſuo pecoris*

coris eo anno natum eſſet, immolaturum. id votum avaritia fefellit: ob eam rem Neptunus cetum miſit, qui Trojam vexaret. Ob quam cauſam Rex ad Apollinem miſit conſultum. Apollo iratus ita reſpondit: ſi Trojanorum virgines ceto religatæ fuiſſent, finem peſtilentiæ futuram; *cum complures conſumptæ eſſent, & Heſione fors exiſſet, & petris religata eſſet, Hercules & Telamon cum Colchos Argonautæ irent, eodem venerunt, & cetum interfecerunt, Heſionemque Patri pactis legibus reddunt.* Meminit ejuſdem hiſtoriæ, ſive fabulæ potius, etiam Apollodorus in Biblioth. lib. II. *Tum Apollo peſtilentiam, ac Neptunus cum inundatione cetum immiſit: quod quicquid mortalium in campis offendit, corripiebat; cum vero ex oraculis, malorum finem tum demum fore diceretur; Cum Laomedon Heſionem filiam ſuam ceto devorandam appoſuerit: tum ille in proximis pelago petris illigatam propoſuit.* Palæphatus de fabuloſis narrationibus idem teſtatur. *De ceto hæc quidem memorantur, quod Trojanos è mari exiens invadebat & ſiquidem*

ei puellas aliquas Trojani obtuliſſent, ab eis recedebat, ſin minus eorum totam regionem devaſtabat. Philoſtratus Junior in Iconibus, etiam ejuſdem meminit. ἢ τί μαθὼν, φοβερὸν οὕτω κῆτος ὑφίσαται. *Aut qua de cauſa terribilem adeo cetum ſuſtinet.* (Heſione.) Hyginus in fabula xxx. habet, quod *Hercules cetum occiderit.* (Hercules) *cetum, cui Heſione fuit appoſita, Trojæ occidit.* Idem Johannes Tzetzæ in chil. II. de Hercule ſcribit.

Τὴν ἡσιόνην ῥύεται τοῦ κήτοις ἐν παρόδῳ.

Heſionem autem liberat à ceto in itinere. Decantata ſatis eſt fabula illa, qua *Cepheus filiam Andromedam* immaniſſimo *marino monſtro devorandam objecit*, cum illud ob præpoſitam Andromedæ formam præ Nereidibus à Neptuno eſſet immiſſum ad devaſtandam Cephei patriam, ſed labore & auxilio Perſei occiſum eſt. Apollodorus lib. II. Ἄμμων δὲ χρήσαντος τὴν ἀπαλλαγὴν τῆς συμφορᾶς, ἐὰν ἡ Κασσιεπείας θυγάτηρ Ἀνδρομέδα προτεθῇ τῷ κήτει βορά. *Cepheus autem Ammonis oraculo monitus eſt, tum demum tantæ calamitati modum fore, cum Caſ-*

ſiopia

ſiopea filiam Andromedam ceto devorandam propoſuerit. Meminit & Aratus in Apparent.

αὖ]τὸν γὰρ κἀκεῖνο κυλίνδεται αἰνὸν ἄγαλμα

Ἀνδρομέδης, ὑπὸ μητρὶ κεκασμένον, ὅυ σε μάλ᾽ οἴω.

Ibi namque & illud obvolvitur triſte ſimulachrum

Andromedæ ſub matre conſtellatum.

Antabius Scholaſticis in Florilegio Planudis.

Κηφεὺς Ἀνδρομέδην ἢ ζωγράφος ἄγχι τέθεικε πέτρης.

Cepheus Andromedam aut pictor appoſuit petræ.

Germanicus Cæſar in Arati Phœnomenon de eodem ita. *Fuit Andromedæ pater, qui filiam ſuam ad cetum dicitur expoſuiſſe.* Nonnus Dionyſ. lib. XVIII.

Περσεὺς κῆτος ἔπεφνεν Ἐρυθραίῳ παρὰ πόντῳ.

Perſeus cete occidit Erythræum prope mare.

Manilius Aſtronom. lib. I. pag. II.

Et finitur in Andromeda, quam Perſeos armus *Excipit*

Excipit & conſociat ſibi.

Adde libr. I. pag. 32. Addatur Propertius lib. II. eleg. 21.

Andromede monſtris fuerat devota marinis,

Hæc eadem Perſei nobilis uxor erat.

Q. Ennius in Andromeda, de hac fabula loquens hinc intelligitur. *Nam ubi introducta eſt, puerumque ut laverent locant in clypeo Rurſus prorſus reciprocat fluctus feram.* Et Achilles Tatius libr. III. Καὶ ἔοικε τὸ θέαμα, εἰ μὲν εἰς τὸ κάλλος ἀπείδοις, ἀγάλματι καινῷ. εἰ δὲ εἰς τὰ δεσμὰ καὶ τὸ κῆτος, αὐτοσχεδίῳ τάφῳ. *In illo ſedebat puella eo adſpectu, ut ſi pulchritudinem tantum conſi[illegible] ſes admiratione dignam imaginem, ſin vero vincula etiam & cete, rude & inconditum ſepulchrum ſpectandum Tibi propoſitum exiſtimaturus fueris.* Idem etiam teſtatur in ſua Hiſtoria Naturali Plinius lib. IX. cap. 5. *Bullua, cui dicebatur expoſita fuiſſe Andromeda, oſſa Romæ apportata ex oppido Iudææ Ioppe oſtendit inter miracula in ædilitate ſua M. Scaurus longitudine caſtarum Indicos elephantes ex-*

tes excedente, ſpinæ craſſitudine ſeſquipedali. Adde Solinum cap. 36. Manilium lib. v. verſ. 21. pag. 105. Philoſtratum in Iconibus lib. 1. & in vita Apollonii lib. 1. cap. 18. Horatium Ode 29. ad Mœcenatem. Chriſtophorum Landinum in Commentar. ad Horatium. Ovidium in Metamorphoſi, alioſque. Et *res de Andromede geſtas* in urbe Joppe contigiſſe ajunt. Ut dicit Strabo tom. 1. pag. 76. lib. 1. Ejuſmodi hiſtoriam Pontificii nobis obtrudunt de *Divo Georgio, qui* in urbe *Ioppa draconem occidiſſet*, & homines à malo, quo illud monſtrum eos affligebat, liberaſſet; *cum etiam ei virgines devorandas* & conſumendas *devovere antea coacti eſſent.* Hinc ille fortiſſimus *Georgius* eques, armatus, & cum *dracone depingitur*, & nationum, urbium, militum, equitum, armatorum, & civium Patronus habetur. Et in Eccleſia Cretenſium, Corcyræorum & aliorum Græcorum Venetiis nullæ aliæ viſuntur imagines, præter Chriſti crucifixi, Mariæ Virginis, & *Beati Georgii in illius armatura equeſtri,*

& puella defenſa, & dracone Lybico interfecto, juxta fidem Georgii Fabritii in Commentar. in Poëtas Chriſtianos. Geſta & Martyria deſcribunt Fortunatus lib. 1. Jacobus de Voragine, Petrus de Natalibus, Keſſeus in Vita Patrum. *Patricides* in Eccleſiaſtica Hiſtoria p. 110. Elmacinus pag. 221. Baronius pag. 275. Defendit eam Hiſtoriam ut veram Bellarminus lib. 1. de Eccleſ. Triumphante cap. 20. in dubium vocant, & ad allegorias trahunt. Petrus de Natalibus. Baronius in notis ad Martyrologium. Illuſtriſſimus Pietro della Valle Itiner. part. IV. cap. 33. pag. 153. qui ipſi fuerunt Pontificii, Georgius Æmilius, & Johannes Stigelius, qui ſuaviſſimis verſibus hanc Hiſtoriam cecinerunt. In Concilio Niceno apocryphos eſt habita, eo quod diffideret tam ex parte loci, quam ex parte modi: & tam ex parte temporis, quam ex parte judicis, ut ait Natalis Venetus. Illam veluti falſam refutant Raynoldus lib. 1. de Idololat. cap. 5. & Johan. Gerhardus lib. 1. Confeſſ. Catholic. part. II. cap. 16. Attamen & Mahumetani

humetani certe hunc *Divum Georgium colunt*, & eadem de eo nugantur, nam in oppido Joppenſi ſupra nominato in e-jus honorem templum eodem in loco ex-ſtruxerunt, & illi dedicarunt, quo Dra-conem interfeciſſet, teſte Della Valle loco ſupra jam citato. Et *P*erſarum Rex hunc Georgium eundem fuiſſe contende-bat, quem *P*erſæ ſub nomine Ali velu-ti ſummum *P*rophetam ſummopere co-lunt. Ut ſcribit idem Della Valle part. II. cap. 4. pag. 21. Sed Seldenus libr. I. de Succeſſ. in *P*ontificatum Hebræo-rum cap. 2. *Eliam ab ipſis Turcis non ve-ro Georgium* dicit. Sed *Georgium* re vera *apud Mahumedanos in magno honore ha-beri* & χειτὴρ Ηλίαξ *vocari* Cantacuzenus Apol. 3. cap. teſtatur. *Chederlem* autem *dici*, & *expoſitam virginem vaſti & hor-rendi draconis cædi*, juxta Turcarum o-pinionem *ſervaſſe* teſtis eſt Auger. Buſ-bequius epiſtol. I. pag. 71. Sed *Gerges* eum vulgo appellari ſcribit Hottingerus Hiſtor. Oriental. lib. I. cap. 3. pag. 99. adde Commentar. in Alkoran. Sed ſicut hæc de Andromeda & Heſione monſtro

 marino

marino expoſitis narrata à pleriſque doctis pro fabulis cenſentur, ita nihil verius eſt, quam quod *iſtorum hominum & damnatorum ſanguis, qui in Amphitheatro & Circo cum feris & beſtiis depugnantes dilaniabantur, à Romanis Iovi fuerit libatus & propinatus.* Docet Tertullianus Apolog. pag. 825. qui ita explicari debet. *Ecce in illa religioſiſſima urbe Æneadarum piorum eſt, Iupiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine, ſed beſtiarii, inquitis.* De his *beſtiariis* inſpice præter alios Ciceronem in Oratione pro P. Sextio pag. 49. *Do, inquit. beſtiarios. Præclara ædilitas, unus leo, ducenti beſtiarii.* Idem in Vatinium. *Milonem dicas gladiatoribus & beſtiariis obſediſſe Rempublicam.* Senecam libr. II. de beneficiis cap. 19. pag. 282. *Leonem in Amphitheatro ſpectavimus, qui unum è beſtiariis agnitum protexit ab impetu beſtiarum.* Rurſus in epiſt. LXX. pag. 508. *Nuper in ludo Beſtiariorum unus è Germanis ſeceſſit.* Eundem hunc dirum ritum innuit idem Seneca lib. III. de Ira cap. 3. pag. 42. *Varia vinculo-*

rum

rum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inſcriptiones frontis, & beſtiarum immanium caveæ: nam fuerunt caveæ in Amphitheatris, unde beſtiæ in damnatos emitterentur. Innuet Ulpianus Iuriſconſultus leg. 8. ff. de Pœnis. *Quicunque in ludum venatorium fuerint damnati, videndum eſt, an ſervi pœna afficiantur, an retineant libertatem.* Rurſus lib. IX. de Officio Proconſulis §. 12. *Servos in metallum, vel in opus metalli, item in ludum venatorium dari ſolere nulla dubitatio eſt, & ſi fuerint dati, ſervi pœna afficiuntur.* Per *ludum venatorium* in duobus iſtis locis, ſicut ex verborum ſenſu & contextu patet, ſpectaculum illud neceſſario intelligitur, in quo ſpectante populo homines damnati, ſervi, & captivi cum beſtiis & feris omnis generis congredi & digladiari tenebantur, donec aut vincerent & feras occiderent, aut ipſi ab illis vincerentur, obtruncarentur & dilaniarentur. Hæc mea ſententia & explicatio de ludo illo Venatorio probatur, ex Gellio lib. V. cap. 14. *In circo maximo venationis ampliſſimæ pugna*

populo dabatur. Multa ibi ſævientes feræ &c. Paulo poſt. *Introductus erat inter complures cæteros ad pugnam beſtiarum Dacus ſervus viri conſularis* &c. Idem ſupplicium etiam Macer lib. II. de officio *Præſid.* Idem ſupplicium & ritum indicat Macer lib. II. de offic. Præſidis. *Itaque hi, in quos animadverti jubetur, quive ad beſtias dantur, confeſtim pœnæ ſervi fiunt.* Et Marcianus lib. II. de publicis indic. §. 3. in Digeſt. lib. XLVIII. tit. XIX. §. 11. & 12. *Capitis pœna eſt beſtiis objici, vel alias ſimiles pœnas pati.* Nam verba *beſtiis objici* ibi non ſignificare videntur ſimplicem objectionem, quà Nero Romanorum Imperator Chriſtianos ferarum pellibus inſutos canibus laniandos expoſuit, authore Tacito lib. XV. Annal. p. 364. & Oroſio lib. VII. cap. 7. Sed verba illa prædicta Marciani indicare videntur, quod illi capitis rei & *ad beſtias condemnati in Amphitheatro publice cum feris ad mortem uſque ferrum gerere & concertare tenerentur.* Adſtruitur hoc ex Panegyrico Conſtantino Auguſto Conſtantii filio dicto, qui priora hæc loca egregie illuſtrat, cum eo, quo diximus,

dixirnus, ſenſu verba illa *beſtiis objicere* ponat. Ita autem beſtiariorum & hujus ritus olim in Gentiliſmo obſervati meminit. *Tantam captivorum multitudinem beſtiis objici, & ingrati & perfidi non minus doloris ex ludibrio ſui, quam ex ipſa morte patiantur. Inde eſt, quod cum exitum differe liceat, perire feſtinant ſeſe lethalibus vulneribus & mortibus offerunt.* Et Eumenius in Panegyri Conſtantino dicta. *Puberes (ex Bructeris) qui in manus venerunt, ad pœnas ſpectaculo dati, ſævientes beſtias multitudine ſua fatigaverunt.* Eundem ritum etiam Lucius Pomponius antiquus Scriptor innuit, cujus verba ex ſuperiobus explicantur & illuſtrantur. *Verum illi valent, qui luctantur cum leonibus, & te objectes fruſtulatim paſſerinum prandium ſaturarum, non fruſtulatim, nec ruminatim dari.* Ita etiam *Glabrio* quidam *Beſtiarius* fuit, de quo Dion Hiſt. Rom. lib. LXVII. pag. 767. *Glabrionem quoque, qui cum Trojano Magiſtratum geſſerat, accuſatum præter cætera ſuperioris criminis (quod in mores Iudæorum tranſierat) & quod cum beſtiis pugnaviſſet,*

viſſet, interfici juſſit; cui præſertim propter invidiam infenſus erat. Nam cum eum Conſulem in Albanum vocaſſet ad Iuvenalia, coegiſſetque immanem leonem expugnare; Glabrio non ſolum à leone læſus non eſt, ſed etiam eum egregie confecit. Johannes Gyſius in Martyrolog. Belg. fol. 13. exiſtimat, hunc Chriſtianum fuiſſe, & per *Iudæos* ſupra in Dione *Chriſtianos* intelligi vult, qui Judæi vocabantur, quod originem ſuam ex Judæa habuerant, & plurimi ex eis etiam antea Iudæi fuerant. Nota etiam eſt illa Hiſtoria de ſervo Androdo, qui cum à Domino aufugiſſet, & diu in ſylvis cum leone familiariter & amice converſatus fuiſſet, cui ſtirpem ingentem ex veſtigio pedis extraxerat, poſtea agnitus & *ad beſtias condemnatus eſt.* Sed leo, cum quo in diſerto vixerat, tunc etiam forte fortuna captus in Amphitheatro morabatur, & ſitientibus faucibus humano ſanguini & lanienæ inhiabat, qui priorem amicum agnoſcens & beneficii accepti memor ab irruentibus feris reliquis protegebat, vide de ea Hiſtoria
Appio-

Appionem *P*olyhiſtorem lib. v. Ægypt. & A. *G*ellium lib. v. Noct. Atticar. pag. 125. Imo *innumeri ex Chriſtianorum martyribus beſtiarii*, & ſævientibus ferarum unguibus & faucibus à *G*entilibus olim objecti *fuerunt*, *ut* ita *Iovi ut victimæ* per beſtiarum dentes dilaniati *immolarentur*, eumque effuſo ſuo ſanguine propitiarent. Ita de ſe ipſo Apoſtolus *P*aulus 1 ad Corinth. cap. xv. verſ. 32. teſtatur; quod *ſecundum hominem adverſus beſtias Epheſi pugnaverit*. Hoc etiam de eodem *P*aulo Irenæus lib. v. de Hæreſ. & Damaſus Eccleſiaſticus *P*oëta bis verſibus docet

Verbera, vincla, famem, lapides, rabiemque ferarum,
Carceris illuviem, virgas, tormenta, cathenas.

Nam ſuperiora illa verba indicare videntur, quod *Apoſtolus Paulus re vera ut beſtiarius Epheſi ad beſtias fuerit condemnatus*: licet & eorum opinioni admodum refragari nolim, qui in loco citato Apoſtoli per ἐθηριομάχησα interpretantur, quod cum hominibus ſævis, feris, & fero-

& ferocibus ipſi res fuerit. Sed audi ſummum Heroem Danielem Heinſium in Exercitationibus Sacris cap. XIV. pag. 414. ita loquentem. *Quæ ſint ϑηρία feræ, non magis dubito, quam beſtiarum nunquam fuiſſe Apoſtolum credere audeo. Qui aliter ſentiunt, non meminerunt, quare Cretenſes etiam ab Apoſtolo, verbis Poëtæ, κακὰ ϑηρία dicantur.* Quare B. Hieronymum audire hic malo, quam Eraſmum: qui ad Iobi v. *Beſtiæ appellantur, mores habentes ſimiles beſtiarum, contra quas pugnaſſe ſe Epheſi dicit Apoſtolus.* Quos non male Epiſtiſtolarum, qui Ignatio adſcribuntur, [illegible] ϑρωπομόρφους dixit, quod tautum forma hominem referrent. Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης ϑηριομαχῶ, οὐχ' ὑπὸ ἀλόγων ϑηρίων βιβρωσκόμενος &c. ἀλλ' ὑπὸ ἀνθρωπομόρφων. *A Syria Romam uſque cum beſtiis pugnavi, non earum, quæ ratione carent, ſed quæ formam habent hominis, morſibus petitus.* Attamen de *Martyribus Chriſtianis* olim in Gentiliſmo à Tyrannis *ad hanc in Amphitheatro lanienam condemnatis, beſtiarum crudelitati objectis,*

ctis, & cum feris digladiari coactis, luculentum teſtimonium perhibet Exordium Legis Salicæ; & Epiſtola Lugdunenſis & Viennenſis Eccleſiæ de Martyribus in Gallia ad Aſiæ & Phrygiæ Eccleſias. *Maturus igitur & Sanctus, & Blandina, & Attalus, ducti ſunt ad beſtias ad populare & publicum ethnicæ inhumanitatis ſpectaculum, data per noſtros hujuſmodi* beſtialis pugnæ *conſtituta die. Et Maturus quidem & Sanctus rurſus in Amphitheatro omnis generis ſunt ſuppliciis ſubjecti* &c. *tandem cæſi ſunt, poſteaquam toto illo die loco varietatis, quæ* in monomachiis *exhiberi ſolet, ſpectaculum fuerant huic mundo.* Voces hæ *pugna & monomachia* ſatis oſtendunt, quod *Martyres hi* non ſimpliciter beſtiis projecti, ſed *cum illis decertare coacti fuerint.* Hanc digladiationem etiam per vocem *certamen* innuere videtur Euſebius libr. VIII. cap. 7. pag. 95. *Quorum Martyrum innumera verbera, inque verberibus vere admirandorum pietatis athletarum conſtantiam, ac ſubitum poſt verbera* cum beſtiis ἀνθρωποβόροις hominivoris certamen,

men, *& in eo certamine pardalum, variorum urſorum, ſuum agreſtium*, boumque igne & ferro *aduſtorum* impetus, *& admirabilem fortium athletarum in ſingulis beſtiis ferendis tolerantiam quis videndo non obſtupeſceret? quibus omnibus, cum fierent, etiam adfuimus. Non audebant enim hominivoræ beſtiæ admodum prolixo tempore ad corpora piorum accedere & appropinquare, ſed in alios, qui extrinſecus ipſas incitabant, ferebantur*, &c. *Rurſus vidiſſes etiam alios (erant enim omnes numero quinque) feroci tauro objectos, qui alios quidem extrinſecus accedentes cornibus in aera projectos diſcerpſit, & ſemimortuos colligendos reliquit, ad ſolos vero ſanctos Martyres furore ac trucibus minis haudquaquam accedere poterat: ſed quamvis pedibus terram ſpargeret, ac cornua hac illac ventilaret, deinde* ferro ignito irritatus *furorem ac minas ſpiraret, retro tamen per Divinam providentiam arcebatur.* Ex his ſupra adductis verbis apparet; quod *tauri igne & ferro ignito ad Martyrum iſtorum lanienam irritabantur*, quem ignem & ferrum

ferrum ignitum inſtigatores illi, ſicut Euſebius vocat, non tam eorum corporum carni impremebant, quam circa oculos vibrabant, aut potius, ut exiſtimo, faces & ſarmenta accenſa boum iſtorum cornibus imponebant & alligabant; quę ſarmenta & faces Euſebius ſupra *per ignem*; & Martialis infra citatus *per flammas* expreſſerit: nam ita Hannibal Pœnorum Dux cum à Fabio Maximo Dictatore & Romano exercitu cum copiis ſuis undique circumſeſſus eſſet, adeo ut tandem ad extremam inopiam, famem, & deditionem redigeretur, *ſarmentis circa boum cornua deligatis incenſiſque per noctem in adverſos montes egit armenta*; ut Quintilianus loquitur Inſtitut. libr. 1. cap. 17. quibus flammis & ignibus cum tauri furentes & irritati huc & illuc palarentur, Romanum exercitum ingens metus invaſit, adeo ut viis & cuſtodiis laxatis Hannibal ſine noxa cum exercitu evaſerit. Vide præterea de hoc ſtratagemate Frontinum, Livium, Plutarchum, in Fabio Maximo, Alioſque. Quicquid de hac re ſit, hoc certum eſt, quod

tauri

tauri Romæ in arena flammis ad furorem ſtimulabantur. Docet Martialis Epigr. libr. I.

Qui modo per totam flammis ſtimulatus arenam
Suſtulerat raptas taurus in aſtra pilas.

Clariſſimus Lipſius in notis ad Senecæ lib. III. cap. 30. de ira *per pilas intelligit rubras veſtes hominum formam referentes.* Has vero pilas dicebant vel ab illo taurorum repercuſſu, quaſi pilis ludentium, vel quod priſci laneas hominum effigies pilas nominabant; teſte Feſto. Cicero autem in Corneliana *homines fœneos* appellat, *in medium ad tentandum periculum projectos.* Sed Aſconius Pœdianus ad hæc Ciceronis verba pag. 127. dicit, quod *ſimulachra effigieſque hominum ex fœno fieri ſolebant, quibus objectis ad ſpectaculum præbendum tauri irritarentur.* Hinc explicare etiam potes Martialem.

Iactat ut impoſitas taurus ad aſtra pilas.

Martialis hic innuit, quod hæ pilæ taurorum capitibus *impoſitæ* ſive infixæ erant; Pœdianus illas tauris fuiſſe *objectas*,

Cicero

Cicero vero *projectas* ſcribunt: quomodo igitur cum his Martialis conciliabitur? niſi in illo pro *impoſitas* cum Lipſio *oppoſitas* corrigere malimus, dicere etiam poſſumus, quod & tauris *projici*, & eorum *capitibus imponi* ſolerent. *Hæ pilæ in gloſſis dicuntur* ταυροκαθάπται. Sed ſi è fæno hæ pilæ fuerint confectæ (ſicut Cicero & Pœdianus affirmant) quomodo rubræ eſſe poterant? quia, ut Lipſius exiſtimat, fænum illud rubro panno erat obductum. Cui ego reluctari nolo. Ita igitur interpretare & explica Ovidium in Metamorph. qui has pilas *rubeas veſtes* expreſſe nominat, quia ſicut diximus veriſimile eſt, quod rubeis veſtibus veſtitæ fuerint.

Haud ſecus exarſit, circo quam tauris aperto
Cum ſua terribili petit irritamina cornu,
Puniceas veſtes: eluſaque vulnera ſentit.

Hinc multa luce adjuvatur Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. v. cap. 1. pag. 54. ita loquens. *Martyr Blandina exultans, quaſi*

quaſi ad nuptiale convivium vocata, & non beſtiis projecta properavit, & poſt flagella, poſt beſtias, poſt ſartaginem tandem reti incluſa tauro objicitur, *& cum ſatis ab ea beſtia eſſet cornibus ventilata* ἐτύθει ϗ αὐτὴ ita *caſa & immolata eſt.* Quibus ex verbis cum illis, qua ſupra diximus, collatis colligi poteſt, veriſimile eſſe, quod *Blandina pilarum vices ſuſtinuerit*, & *rete illud rubei coloris*, imo nihil aliud fuerit, quam quod Ovidius *veſtes puniceas* vocat, quibus fœnum & homines inſuebant, ut majori ſpectantium voluptate homines ut pilæ rotarentur. *Hunc* autem *rubrum colorem & ignem*, ſicut in Euſebio ſupra vidimus, *taurorum* iſtorum *oculis in Amphitheatro objectare* conſueverunt, ut *in furorem acti condemnatos martyres eo citius & ſavius invaderent, & in cornua tollentes in aſtra projicerent & rotarent*; nam *taurus rubicundo colore*, qualem etiam ignis & ferrum ignitum emittit, maxime irritatur. Teſtatur Seneca libr. III. de ira cap. 30. *Taurum color rubicundus excitat; urſos leoneſque mappa proritat.* Plutarchus

tarchus in Conjug. Præceptis pag. 144. *Qui ad elephantos accedunt* λαμπρὰν ἐσθῆτα *ſplendidum: qui ad tauros* φοινικίδας *puniceum veſtitum non uſurpant, quod his coloribus aninimalia iſta in rabiem vertuntur.* Ulpianus Juris Conſultus in L. Furti. §. cum eo de furtis. *Cum eo qui pannum rubrum oſtendit fugavitque pecus, ut in fures incideret, ſiquidem dolo malo fecit, furti actio eſt.* Priora docent, quod *per pecus* ibi *tauri & boves intelligi debeant.* Hinc explicatur & illuſtratur Juſtinianus in Inſtitut. lib. IV. de obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur. Tit. primo. Quomodo fiat furtum, &c. *Interdum quoque furti tenetur, qui ipſe furtum non fecit, qualis eſt is, cujus ope & conſilio furtum factum eſt, in quo numero eſt, qui tibi nummos excuſſit, ut alius eos raperet aut tibi obſtiterit, ut alius rem tuam exciperet, aut oves tuas vel boves fugaverit, ut alius acciperet.* Nam, ut ex Ulpiano diſcimus, *per fugationem boum* etiam *illa intelligitur, quæ rubro colore fiebat.* Doctiſſimus Medicus Levinus Lemnius in Similitud. & Parabol. Bi-

blicis cap. 35. ex Hiſtoria Machabæorum probat, *quod & elephas rubro colore irritetur*: forſitan ex illis verbis, quæ occurrunt libr. I. Machab. cap. 6. verſ. 34. *Quumque elephantibus oſtendiſſent ſanguinem uvæ & mororum, ut inſtituerent eos ad prælium.* Quid de hac Doctiſſimi Viri opinione dicturi erimus, dubito. Certe Plutarchus in Connub. Præceptis affirmat, quod *elephanti refugiant* λαμπρὰν ἐσθῆτα *candidam veſtem*, juxta interpretationem Lipſii in notis ad Senecam de ira lib. III. cap. 30. An dicemus igitur belluas illas & candido & rubicundo colore irritari? An potius ſuſtinebimus, Lipſium voces illas Græcas male per *candidam veſtem* vertiſſe, & in Plutarcho præponendam expoſitionem Xilandri λαμπρὰν ἐσθῆτα *ſplendidam veſtem* interpretantis? cum λαμπρὸς propriè denotat *ſplendidum quid, lucidum, & fulgidum* ex Homero Iliad. β. & λάμπω *ſplendeo, luceo, fulgeo*, juxta Ariſtotelem de mundo; unde vox illa ab Ariſtophane *ad ignem* trahitur; & λάμπας *lampas, fax, funale* deſcendit apud

pud Athenæum libr. XIV. Imo & inde Homerus λαμπρὸν φάος ἠελίοιο *ſplendidum Solis lumen* dixit; & Mathæus in Euangelio cap. XVII. ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ἥλιος; *ſplenduit facies ejus ut Sol*; adeo ut Plutarchus per λαμπρὰν ἐσθῆτα *igneum & ſplendidum veſtitum* indicare videatur, qui magnum & flammeum ſplendorum à ſe emittit; unde Levinum Lemnium erroris accuſare non audeo nec debeo; nam & Geſnerus ſcribit, quod cum elephanti vulnerati proprium ſuum ſanguinem conſpiciant, ita efferentur & exaſperentur, ut Rectorum vocibus non amplius obedientes nonnunquam lymphato & concitato curſu retro fugerint, & proprias ſuas copias diſſipaverint & obtriverint; licet leve admodum vulnus accepiſſent; ſicut ſatis ex Hiſtoriis liquet. Nec uſquam apud ullum Authorem me legiſſe memini, quod elephantis candida veſte timor & furor incutiatur & immittatur, ſicut Lipſius in Plutarcho interpretatur, & opinari videtur. Præterea, & genuina Plutarchi interpretatio, & verba

Authoris libri Machabæorum à partibus Levini Lemnii ſtare videntur; imo inſuper Franciſcus Valeſius de Sacra *Philoſophia* cap. 82. ſcribens; *pugnaces feras intuitu rerum rubrarum irritari.* Ubi *per feras elephantos poſſe intelligi* veriſimile eſt, cum bos & taurus non inter feras numerantur: cui adſtipulari videtur Seneca lib. II. de ira cap. 12. *Sic itaque ira metuitur, quomodo umbra ab infantibus, à feris rubens pinna.* Ad quod Lipſius: *Rubens pinna formido dicta*: & recte hoc: nam ſicut apud Valerium *Pierium* libr. VII. Hieroglyph. legi, *cervus prætenta penna purpurea pavorem* olim *denotabat*; quod ænigma originem ſuam ſine dubio inde traxit, quod cervus animal pavidum ſit, & tauri rubro colore perterrefacti exaſperentur. Quid? ſi corrigamus in Seneca *rubens pila?* nam, ut ex Martiale, Aſconio Pœdiano, & Cicerone ſupra demonſtravimus, tauri rubenti pila (de qua ſupra) in Amphitheatro & Circo percellebantur & ita irritabantur, ut ſpectaculum & voluptatem populo præberent. Hos

tan-

tauros forte *Seneca* & *Valeſius* in locis ſupra adductis etiam *per feras* intelligunt, qui cum rubro colore ita irritati & in furorem converſi ſæviant, ferarum naturam induiſſe videntur, & ita tam bene cum grano ſalis feræ dici poſſunt, quam apes, pavones, & columbæ, *quarum natura fera habetur* à Juriſconſultis. Vide Harmenopulum Promptuar. Juris Civilis libr. II. tit. I. De animantibus pag. 128. L. Naturalem 5. §. Apium 2. eod. §. apium. Inſtitut. eod. D. L. §. Pavonum inſtitut. facit. L. 3. §. aves 15. de acquir. Poſſeſſ. Facit & elegantiſſima. L. in laqueum 55. de acquirend. rerum Domin. Sed hæc ad explicationem & illuſtrationem Euſebii, aliorumque ſupra citatorum Authorum ſufficiant. Jam ad Chriſtianos noſtros *Martyres* redeamus, qui *beſtiis & feris objecti*, ſicut ex Tertulliano oſtendimus, *Iovi immolati ſunt. Ita periit Ignatius* Antiochiæ Epiſcopus juxta Irenæum, Authorem Epiſtolæ ad Philippenſes, quæ *P*olycarpo adſcribitur: Euſebium Hiſtor. Eccleſiaſt. libr. III. cap. 32. & 33. pag. 38. Johannem

Rhetorem, ex Evagrio lib. I. cap. 18. Hiſtor. Eccleſ. pag. 550. *aliique quam plurimi Chriſtiani*, de quibus inſpicienda ſunt Martyrolog. Juſtinus Martyr. in colloq. cum Tryphone. Euſebius lib. IV. cap. 15. Henricus de Erfordia. Onuphrius. Vicentius in Speculo Hiſtor. Henricus Bullingerus in Homil. in Daniel. XXXI. fol. 68. Aliique. Imo aliquando *beſtiæ & feræ inſtigabantur in Martyres crucibus affixos*; teſte Euſebio lib. V. cap. I. Hiſtor. Eccleſ. pag. 54. Jam reliqui *homines immolandi modi*, nempe *Expoſitio*, *Submerſio*, *Suſpenſio*, *& Iugulatio* à nobis breviter percenſeri debent.

Cap. XII.

Olim fœminæ paſſim abortus procurabant, & fœtum occidebant & abjiciebant. Explicatur Digeſt. libr. XLVIII. L. 38. Exponebant infantes Græci, Romanii, & alii. Modi varii exponendi. Collocabant in platea & concha marmorea. Wandelbertus & Harmenopulus illuſtrantur. Exponebantur cum variis ornamentis. In cantharis. Terentius illuſtratur.

tur. Donati error. In arcula, alveo, σκάφη apud Zonaram & Plutarchum. Moſes fuit expoſitus in vaſculo de papyro, Fiſcella. Conjiciebant infantes in aquam. Apud Ægyptios de Moſe. Germani in Rhenum conjiciebant, & ita Deis immolabant infantes. Claudianus, Legis Friſion. titulus V. Halicarnaſſeus, & Juvenalis explicantur.

JAm tempus poſtulat, ut *quartum Victimas Humanas immolandi Modum,* nempe *Submerſionem* annotemus, qua olim in Gentiliſmo *homines per aquas Deis* ſive *Diabolo* immolabantur. Sed cum antiquitus multi *infantes aquis expoſiti* & *per Submerſionem* crudeliter necati, & ita *Dæmonibus conſecrati & oblati fuerint*, neceſſario antiquum *infantes abjiciendi & exponendi ritum* præmittere debemus. Olim igitur ſceleratis & crudelibus fœminis, tam Matronis, quam præſertim triobolaribus & ſummænianis meretricibus, & in Gentiliſmo & in Chriſtianiſmo nihil antiquitus & familiarius fuit, quam ut *immaturos fœtus in utero ſuo* conceptos *exſtinguerent*, & eliderent, atque ita in propria viſcera ſceleſte ſævirent. Teſtatur illud Minucius

 Felix

Felix in Octavio pag. 90. *Vos enim video procreatos filios nunc feris & avibus exponere, nunc adſtrangulatos miſero mortis genere elidere. Sunt quæ in ipſis viſceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis exſtringuant.* Rationem & cauſam tam abominabilis facinoris Seneca demonſtrat in Conſol. ad Helviam cap. 16. pag. 86. *Nunquam te fæcunditatis tuæ, quaſi exprobraret ætatem, puduit: nunquam more aliarum, quibus omnis commendatio ex forma petitur, tumeſcentem uterum abſcondiſti, quaſi indecens onus, nec intra viſcera tua conceptas ſpes liberorum eliſiſti.* Ejuſdem ſceleris olim à male feriatis mulierculis perpetrati luculenti teſtes ſunt Juvenalis Satyr. 6. *P*aulus J. C. Sententiar. libr. v. titul. 23. Julius *P*ollux libr. II. cap. 2. lib. IV. cap. 25. Leges capitales Karoli Quinti Imperatoris cap. 133. Suidas, Harpocration, & Heſychius in voce ἀμβλωθρίδιον. *P*hocius Nomocanone cap. 10. titul. 13. Hieronymus tom. I. epiſt. 22. cap. 5. pag. 85. Ambroſius Hexæmer. libr. v. cap. 18. Martinus Bracaren-

Bracarenſis Epiſcopus in Excerpt. Capitul. Auguſtinus ſerm. de tempore Cxi. & tom. vii. lib. i. ad Valerium de nuptiis & concupiſc. cap. 15. Joſephus lib. ii. contra Appionem pag. 559. Tertullianus Apolog. cap. ix. Burchardus Decret. lib. iii. cap. 200. lib. xix. de Pœnitent. pag. 277. Lactantius lib. vi. cap. 20. Lindenbrogius ad Ammianum Not. libr. xvi. pag. 55. Pœnitentiale Romanum Antonii Auguſtini titul. i. de homicidio cap. 32. Athenagoras in Apologia pro Chriſtianis pag. 43. Clemens Apoſtolic. Conſtitut. lib. vii. cap. 3. pag. 110. Concilium Ilerdenſe cap. 2. Concilium Wormacienſe cap. 35. Concilium Bracarenſe cap. 78. Concilium Ancyranum cap. 20. Digeſtor. libr. xlviii. tit. 19. leg. 38. §. 5. *Qui abortionis aut amatorium poculum dant*, &c. *quo mulier aut homo perierit: ſummo ſupplicio adficiuntur.* Nugantur & delirant ſuaviter illi, qui ex hoc loco concludere volunt, *fœminas non eſſe homines.* Nam textus ipſe declarat, quod *mulier refeватur ad poculum abortionis*, ex quo mori po-

ri poteſt, *homo* vero *ad poculum amatorium*, quo *homo*, id eſt, *& vir & mulier necari poſſunt*, ſicut Evagrius libr. v. cap. 3. Paulus Æmilius lib. VIII. fol. 178. exempla hujus rei exhibent. Si igitur ſolummodo *vir*, aut ſolum *fœmina*, poſuiſſet, non bene legis mentem & ſenſum expreſſiſſet, cum uterque & *mas* & *fœmina*, ut vidimus, *ex poculo amatorio mori poſſunt*. Si autem dixiſſet *Vir aut mulier*, idem peccatum commiſiſſet. Igitur ſi bene mentem ſuam declaret, ita ſcripſiſſe *debebat*, *quo abortionis & poculo amatorio ſi vir & fœmina & mulier perierint*, adeo ut *vir* & *fœmina* referrentur *ad poculum amatorium*, *poculum* vero *abortionis* tantum *mulierem ſpectaret*, quia virum illud interficere nequit. Sed hæc poſitio & dubia & abſona etiam eſſet, igitur melius fore Legiſlator exiſtimavit, ſi poſuiſſet, *quo homo aut mulier*. Dici etiam poteſt, quod per hominem hic embryo intelligatur qui, dum in utero eſt, neſcitur, utrum mas an fœmina ſit, & propterea apte per vocem hominis, qui & marem & fœmi-

nam

nam denotat, exprimitur; Atque hæc obiter de ſenſu iſtius legis. Inſulę Formoſæ mulieres hodie etiamnum probroſum & propudioſum ducunt, ſi primos tres aut quatuor fætus in utero conceptos enitantur, quapropter hos omnes in utero ſuffocant, ut hoc infanticidio idolis ſuis placerent, ſicut teſtatur Seger de Rechteren in deſcript. Inſulæ Formoſæ p. 65. Et non tantum propudioſæ hæ *fœminæ* fætus ſuos ante lucem viſam per abortum miſere trucidarunt, ſed in lucem jam editos *infantes* crudeliſſime *ſtrangularunt*, teſte Lactantio lib. v. cap. 9. pag. 278. *Natos ex ſe pueros aut ſtrangulant, aut exponunt.* Imo aut *feris & avibus dilaniandos & differendos expoſuerunt*, ſicut *Habis canibus & ſuis devorandus objectus eſt*, juxta Juſtinum lib. XLIV. aut *ſubmergendos* & *ſuffocandos in aquas conjecerunt*, quibus tamen nonnunquam homine mitiores aquæ & humaniores feræ pepercerint. Ita *Cyrus expoſitus à cane educatus* fuiſſe legitur apud Juſtinum lib. I. Hiſtor. pag. 17. *Habis* Curetum Regis filius & *Telephus à cerva* juxta Juſti-

num lib. XLIV. pag. 292. Hyginum fabul. XIX. Apollodorum lib. III. pag. 104. *Iupiter & Ægiſthus* Thyeſtis filius *à capra* ex Hygino fol. 59. *Æſculapius, & fratres Phylacides atque Philander à capella*; *Paris* Priami filius, *& Atalanta* Iaſi Nata *ab urſa* apud Apollodorum libr. III. pag. 104. & 224. *Lycaſtus & Parraſius à lupa*, ut ſcribit Zopyrus Byzantius lib. III. Hiſtor. & Plutarchus in *Parall.* pag. 314. ſicut etiam *Romulus & Remus* juxta fidem Libanii Sophiſtæ Orat. III. Ovidii Faſtor. lib. II. pag. 46. Adde de his *Pauſaniam* lib. IV. Dionem lib. I. *Plutarchum* in Romulo. Titum Livium lib. I. Alioſque. *Hippothous Alopes & Neptuni filius*, *Harpalice* Harpalici Regis Amymneorum gnata *ab equa* juxta Hyginum fol. 42. & 49. Fabular. *Æolus & Boetus à vacca.* Idem. Conſuetudo hæc *liberos ſuos & infantes exponendi*, & ita *Diabolo immolandi* admodum uſitata fuit apud *Græcos*. Videantur Lucianus in Catap. pag. 60. Diodorus Siculus lib. V. cap. 6. Seneca in Oedipo. Nec

Italiæ

Italiæ populis hoc ſcelus inuſitatum fuit; vide Dionyſium Halicarnaſſeum libr. 1. cap. 81. pag. 64. *Thebani hoc* tanquam impium & ab humanitate alienum poſtea *ſuſtulerunt*, ut patet ex Æliano libr. 11. cap. 7. Νόμος οὗτος Θηβαικὸς ὀρθῶς ἅμα καὶ φιλανθρώπως κείμενος ἐν τοῖς μάλιστα ὅτι οὐκ ἔξεστιν ἀνδρὶ Θηβαίῳ ἐκθεῖναι παιδίον. *Lex hæc Thebana recta ſimul, & humana poſita in his maxime, ne cui Thebano viro liceat exponere infantem.* Nec *Romanis* dirus hic mos olim infrequens fuit, qui apud illos per leges licitus erat, ut apparet ex Latrone apud Senecam Rhetorem libr. v. controverſ. 33. lib. iv. controverſ. 26. lib. ix. controverſ. 3. Sed poſtea hæc conſuetudo mutata eſſe videtur. Nam Romani *lata lege vetuerunt exponi partus*. Sicut affirmant T. Livius lib. 1. Decad. 1. Cod. Theodoſius lib. v. tit. 7. niſi *forte monſtroſi forent*; Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 11. Sed nihilominus in omnia ſcelera effuſæ fœminæ ſancitis legibus non ſunt retractæ, ſed ad poſteriora etiam tempora hoc abominabile ſcelus tranſmi-

ſerunt, ſicut infra ex Wandelberto Diacono videbimus. Hinc ſeveriſſimæ illæ natę leges expoſitionem hanc prohibentes Codic. Theodoſ. L. 2. de expoſitis Dom. Wowerius ex L. 2. & 3. Codicis Iuſtinian. de infant. expoſ. Leg. IV. Digeſt. de agnoſc. & alend. liberis. Novella CLIII. Iuſtiniani Imperatoris. Harmenopulus Promptuar. libr. VI. tit. VI. §. 15. pag. 252. Concilium Arelatenſe II. cap. 32. Cocilium Vaſenſe cap. 9. & 10. Scholiaſtes Græcus in Epitome S. Canonum pag. 68. Leges Capitales Caroli Quinti Imperat. cap. 132. Valentinianus & Valens Auguſt. hoc *infanticidium ſuſtuliſſe videntur* ex Leg. I. Cod. de infant. expoſ. & anno MDLVII. *hoc ſcelus in Gallia ſub pœna capitis interdictum eſt*; teſte Thuano lib. XIX. Hiſt. *Varii* autem *exponendi* erant *Modi.* Quæ enim non penitus humanam naturam exuiſſent, & ferinam induiſſent, temporibus poſterioribus *infantes collocare* & *exponere conſueverunt* aut *ante templum*, aut *in concha marmorea*; aut *in platea publica.* De *expoſitione ante*

templum

templum. Formul. Solenn. formula CXXXVIII. in Corp. Leg. Antiq. *Nos quoque in Dei nomine matricularii ſancti illius, dum matutinis horis ad oſtia ipſius Eccleſiæ obſervanda conveniſſemus, ibi infantulum, ſanguinolentum, periculo mortis imminente, pannis involutum invenimus.* Hinc intelligatur Synodi Vaſenſis Canon. 9. *De expoſitis, quia conclamatur, ab omnibus querela proceſſit, eos non miſericordiæ jam ſed canibus exponi, quos colligere columniarum metu (quamvis inflexa præceptis miſericordiæ mens humana detractet) id ſervandum viſum eſt, ut ſecundum ſtatuta fideliſſimorum piiſſimorumque Auguſtorum & Principium quiſquis expoſitum colligit, Eccleſiam conteſtetur, conteſtationem colligat, nihilominus de altario Dominico die miniſter annunciet, ut Eccleſia ſciat expoſitum eſſe collectum, ut intra dies decem ab expoſitionis die recipiat. Si quis probaverit, ſe agnoviſſe, collectori pro ipſorum decem dierum miſericordia, prout maluerit, aut præſens retribuat, aut in perpetuum cum Dei gratia ſi voluerit poſſideat.*

ſideat. Si quis expoſitorum hoc ordine collectorum repetitor vel calumniator exſtiterit, homicida habendus. De *expoſitione infantium in concha marmorea* audiatur & hinc intelligatur, & explicetur Wandelbertus Diaconus in Vita B. Goaris. *Moris tunc Trevirorum erat, ut cum caſu qualibet fœmina infantem perperiſſet, cujus nollet ſciri parentem, aut certe, quem præ inopia rei familiaris nequaquam ſufficeret, artum parvulum in quadam marmorea concha, quæ ad hoc ipſum ſtatuta erat, exponeret, ut in ea cum expoſitus infans reperiretur, exiſteret aliquis, qui eum provocatus miſeratione ſuſciperet & enutriret. Si quando igitur id contigiſſet, cuſtodes vel matricularii Eccleſiæ puerum accipientes quærebant in populo, ſi quis forte eum ſuſcipere nutriendum, & pro ſuo deinceps habere vellet. Ubi vero ad eam rem offerret ſeſe aliquis, infans qui eſſet expoſitus Epiſcopo deferebatur, & ejus privilegio authoritas nutriendi habendique parvuli, ei, qui à matriculariis ſuſceperat, firmabatur.* Adde Concilium Arelatenſe II. c. 32. *Concha illa marmorea* forte

rea forte *in ipſius templi pariete & muro fuit collocata* : nam Thuani temporibus in Gallia publica ædificia expoſitorum educationi deſtinata , publicis ſumptibus exſtructa & lautis reditibus dotata inveniebantur. Horum *ad januam in muro alveolus* ſive *concha exſtructa erat* , quæ circumgyrari poterat : in hunc alveolum ſpurios & miſeros infantes infeliciores matres deponebant , & exponebant , quem deinde introrſum circumrotantes appenſum foribus tintinnabulum pulſabant , in ſignum adventus novi hoſpitis & infantis , atque ita abibant , ſicut docet Nobiliſſimus Thuanus Hiſtor. libr. XIX. Ejuſmodi ædificium fuit olim *Athenis* juxta Suidam & hodie etiam ſtat & viſitur. *Mantuæ* , *Neapoli* , ſicut teſtantur Alphonſus Karranza in tractatu de partu cap. IV. Num. 133. Pontanus Tom IV. libr. I. de Liberal. cap. 19. Andr. Molfeſius ad Conſuitud. Neapolitan. tom. I. part. V. quæſt. 3. Num. 25. & diffuſæ lectionis Vir Daniel Jongtys in Theatr. Zelot. libr. II. part. IV. ſect. 4. pag. 785. 786. Ex hac

de expo-

de expoſitione conſuetudine lux ſubminiſtratur & accenditur Harmenopulo lib. vi. Promptuar. Jur. Civil. titul. 6. §. 25. pag. 542. Φονεύει τις τὸ τικτόμενον, οὐ μόνον ὁ πνίγων, ἀλλὰ καὶ ὁ ῥίπτων, καὶ ὁ μὴ τρέφων, καὶ ὁ ἐν δημοσίοις τόποις ἐκτιθέμενος ἐπ' ἐλεημοσύνῃ ἣν οὐκ ἔχει. *Necat partum non ſolum, qui præfocat, ſed & qui abjicit, aut alimoniam denegat, aut etiam publicis locis exponit miſericordiæ cauſa, quam ipſe non habuit.* Per τοῖς δημοσίοις τόποις *publica loca* Hermenopulum *expoſitionem* illam *in* aut *ante templum* & *in platea* indicare velle arbitror. Et cum illa infantium abjectio, ſicut ex Hermenopulo patet, pro homicidio fuerit habitus, non immerito in illam acriter invehuntur & perſtringunt. Philo de ſpecial. legibus pag. 543. Auguſtinus de Nuptiis & Concupliſcent. ad Valerium lib. I. cap. 15. Athenagoras in Apolog. pro Chriſtian. pag. 43. Juſtinus Apolog. II. pro Chriſtian. p. 54. Theodoretus Orat. IX. leg. pag. 131. Sed prioribus temporibus, quæ ἐν λαμπρᾷ τύχῃ nec genere obſcuro natæ erant, in liberis

in liberis abjiciendis magnum quoque faſtum exercebant ; Nam *infantes* una *cum rebus* pretioſiſſimis *exponebantur.* Ut docent Terentius Heaut. act. IV. ſcen. I. Ezechiel Tragicus Act. I. Heliodorus lib. IV, Æthiop. Quæ æque ac alia ſigna infantibus appoſita (unde cum adoluiſſent , forte fortuna Parentibus aut amicis innoteſcerent) vocabantur *συμβολία* ; Parthenius in Eroticis cap. 3. pag. 359. *γνωρίσματα* à Pauſania in Atticis ſive lib. I. Longo Paſtoral. lib. I. Parthenio in Eroticis cap. I. ex Nicæneto in lyrco , & Apollonio Rhodio in Cauno pag. 357. *monumenta* apud Donatum & Terentium Eunuch. Act. IV. ſcen. 6. *Ornamenta varia illis infantibus appendebant* , quæ χλιδὴν vocat Euripides in Jon. *στέμμαθ' ἱερὰ ſacras coronas imponebant* ; Idem in eadem Com. & *σπαργάνοις faſciis* , *involucris* involvebant , ſicuti eas ita nominant Heliodorus Æthiop. lib. II. Euripides in Jon. & Longus Paſtoral. libr. I. aliquando *ὅρμος λίθων cumulus lapidum pretioſorum* addebatur ; Heliodorus Æthiopic. lib.

lib. II. præcipue ſi lautioris erant fortunæ; & *μίτζα διάχρυσ⊙ mitra auro diſtincta*; ὑποδήματα ἐπίχρυσα *calcei inaurati*, aut περισκελίδες χρυσαῖ; *Periſcelides aureæ*: Longus Paſtoral. libr. I. pag. Nonnunquam *faſciam de ſerico filo textam & literis inſcriptam*, *quibus agnoſcerentur*, adjungebant. Teſte Euripide in Jone & *annulum* δακτύλιον Heliodorus libr. IV. aut ζώνην *zonam ſi* puellæ exponerentur: Parthenius Erotic. cap. I. aut ξίφον *enſem*; Pauſanias in Atticis, Plutarchus in Theſeo, ξιφίδιον ἐλεφαντόκωπον *gladiolum eburneo capulo*; Longus Paſtoral. libr. I. cum abjecti mares eſſent, aut *ſecuriculam auream litteratam, & matris nomine notatam*: Plautus Rudens Act. IV. ſcen. 2: Hæc *crepundia &* γνώρισματα ut plurimum *in ciſtula & vidulo indibantur*; Plautus Rudens Act. IV. ſcen. 4. Terentius Eunuch. Act. IV. ſcen. 4. Exponebant autem infantes hos vel *in cantharis*, unde lux affunditur Terentio in Andria Act. II. ſcen. 4.

Verum vidi cantharum

Suffar-

Suffarcinatum.
Hic *Ælius Donatus* juxta meam & Dempſteri opinionem hallucinatur, dum pro cantharo putat legendum *Cantharam* & de anu quadam intelligit. Melius Eugraphius vetus Grammaticus: *Cantharam ſuffarcinatam* dixit, quaſi *corbem ſupponendo puero repletum.* Scholiaſtes Ariſtophanis idem teſtatur, qui in βατράχ. *cantharum* illum vocat ὄςρακον quod Nannius libr. I. σύμμικτον vertit *vas fictile.* Deponebant etiam exponendos *in marmoream concham*, teſte Wandelberto Diacono in vita B. Goaris, aut, ſi ditiores eſſent *in arculam coronis involutam*; Euripides in Ion. aut εἰς τι κοῖλον *in alveum*, ut loquitur Heliodorus libr. II. Æthiop. Iohannes Zonaras tom. II. Annalium nominat τὸ σκάφιον *alveum*, in quo Romulus & Remus exponebantur, & in flumen conjiciebantur. παρὰ τὸν μέγαν ποταμὸν, ἐν σκάφῃ τινὶ κειμένων, ἣ ἔτι σώζεται χαλκοῖς ὑποζώμασι γραμμάτων ἀμυδρῶν ἐγκεχαραγμένων. *Cum juxta magnum flumen, in alveo,* (Romulus & Remus) *jacerent, qui adhuc*

huc exſtaret, æreis laminis devinctus, obſcuris literis inciſis. Plutarchus in Romulo pag. 19. eandem hiſtoriam deſcribens τὴν Σκάφην *vocat*; cum quo conſentit Dionyſ. Halicarnaſſeus Antiquit. Roman. lib. 1. cap. 80. pag. 63. quam Titus Livius in Hiſtoria expoſitionis Romuli & Remi explicat *alveum* libr. 1. p. 4. *Tenet fama, cum fluitantem alveum, quo expoſiti erant pueri, tenuis in ſicco aqua deſtituiſſet.* Sic Moſes *in vaſculo de papyro facto* ac *bitumine illito exponebatur*, & Nilo imponebatur, ut loquitur Freculphus Tom. 1. Chronic. libr. 11. cap. 8. à matre ἀμφιθεῖσα κοσμὸν *ornamentis circumdatus* juxta Ezechielem Poëtam Tragicum apud Euſebium. Hoc vas *fiſcellam* vocat, quiſquis ille fuit, qui Glycam latinitate donavit, Annal. part. ſecunda pagina 206. & Rabini etiam *fiſcellam ſcirpi* interpretantur Maſſechet Suta: *bitumine intus, & pice extus obductam*, juxta R. Samuelem Bar Nechmani, R. Eleazarem, Mare Suff. Obſervavimus igitur ex præcedentibus quod infantes non tantum in terra, in aut ante tem-

te templum, & *in arboribus excavatis* juxta Euſtathium in Homeri Iliad. x. *exponebantur*, ſed *in aquam* etiam *conjiciebantur*, nempe vel in *mare* vel in *flumina*; adeo ut certo vitæ diſcrimini exponerentur, unde *exponere* idem eſt ac *necare* apud Paulum Iuriſconſultum L. IV. ff. de Agnoſc. lib. hinc & lumen petitur Hermenopulo *Prompt.* Iuris Civilis lib. VI. tit. 6. §. 15. Φονεύει τὶς τὸ τικτόμενον, οὐ μόνον ὁ πνίγων, ἀλλὰ καὶ ὁ ῥίπτων. *Necat partum non ſolum qui præfocat, ſed & qui abjicit.* Ita, ſicut nos inſtruit Sacra Scriptura, *Moſes* Propheta recens natus *in flumen Nilum immiſſus & expoſitus eſt.* Idem R. Eleazar. R. Samuel bar Nachmani. R. Iochanan. R. Simeon ben Iachai. R. Iuda. R. Nehemia. R. Ioſe. R. Hanina, affirmant. Et non ſolum Moſes, ſed etiam reliquorum *Iſraëlitarum filii* recens nati mandato *Pharaonis Nilo devovebantur.* Sic enim Ezekiel Exagoge de expoſitione Moſis canit.

ἔπειτα κηρύσσει πᾶν Ἑβραίων γένει
τ' ἀρσενικὰ ῥίπτειν ποταμὸν ἐς βαθύῤῥοον.

Deinde

Deinde juſſit ut Hebræorum gens,
Maſculos jaceret in flumen profundum.

Raſi cum Thanchuma & Thalmudicis opinantur, quod *Pharao Ægyptiis* æque ac Iſraëlitis *præceperit, ut filios ſuos in flumen projicerent*, qua in ſententia etiam eſt R. Eleazar. Quod ſi ita ſit, licet Sacra Biblia id negare videantur, veriſimile videtur (quod etiam de ſolis Iſraëlitarum filiolis affirmari poteſt) *illos expoſitos infantes* & ita abjectos *Nilo fuiſſe ut victimas immolatos*, nam Nilum pro maximo Deo Ægyptii habebant, & colebant, ſicut cum Deo in opere noſtro de *fluminibus, montibus, & fontibus ſacris* probabimus. *Aquas* huic *infantium expoſitioni* & diabolicæ victimationi & *immolationi* fuiſſe antiquitus *deſtinatas* inſuper docent Conſtantinus Manaſſes in Annalibus pag. 42. & Otto Friſingenſis Chronicorum lib. II. cap. Ovidius Faſtor. lib. III. Livius libr. 1. Strabo Amaſianus lib. V. Geograph. pagina 252. hoc teſtantur *de Romulo* & *Remo* Juſtinus lib. XLIV. de Habide Gargoris Regis nepote, & cum flumina in Ethniciſmo ſacra

rio, ſacra habebantur, & pro Dris colebantur, ſine dubio omnes illi infantes, qui in fluvios conjiciebantur, & ita exponebantur, Diabolo ut victimæ conſecrabantur. De expoſitione infantum in aqua ita etiam ſcribit Warnefridus libr. 1. cap. 15. de geſtis Longobardorum. *His temporibus quædam meretrix uno partu ſeptem puerulos enixa belluis omnibus mater crudelior in piſcinam projecit necandos. Hoc ſi cui impoſſibile videtur, relegat hiſtorias veterum, & inveniet non ſolum ſeptem infantulos ſed etiam novem unam mulierem ſimul peperiſſe, & hoc certum eſt maxime apud Ægyptios fieri.* Et attende jam quæſo quid Majores noſtri *Germani* circa *infantes* recens natos egerint, & quomodo illos, omni naturam effectu poſtpoſito, crudeliter *Deis* ſuis *immolaverint*, & citatiſſimo & rapidiſſimo fluvio *Rheno* abripiendos & miſerè *ſubmergendos* cruenta ſuperſtitione *expoſuerint* & commiſerint. Nam *Prolem* natam & *clypeo impoſitam* ad Rhenum ferentes *flumini committebant*. Si undis abriperetur, nothum ſenſebant:

ſi innataret, vere ſuam. Claudianus in Ruffinum ita explicetur & intelligatur.

Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

Hanc conſuetudinem obſervarunt, & meminerunt Julianus in epiſtola ad Maximum. Galenus de ſanitate tuenda; & alibi Nazianzenus. Nonnius in Dionyſiacis ab hac cauſa *Rhenum* ἐλεγχιγάμον *veluti conjugii judicem vindicemque* agnominat: *& vidi*, inquit Lipſius, *qui Rheni etymon hinc petendum adſeveraret, quaſi purgatoris. Purus quidem ſermone noſtro reyn dicitur.* Veriſimile etiam eſt eo quoque modo fuiſſe necatos illos infantes, quorum meminerunt Leges Friſiorum tit. v. paragrapho 1. & 2. *Leudem ſuam Regi componat, qui fanum effregit, & infans ab utero ſublatus & enecatus à matre.* Sibrandus Siccama Friſiæ noſtræ decus ita ad hoc commentatur. *Videtur illud crimen apud Germanos nondum Chriſtiana fide imbutos non infrequens fuiſſe. Equidem ſuſpicor non ſimpliciter necaſſe*, ſed potius Diis ſuis immolaſſe, *cum dicat lex de* infante ab

utero

utero ſublato, *id eſt, ut ego interpretor, adhuc à matre rubente, quique materna ubera nondum ſuxerit.* Nam ex vita Divi Ludgeri conſtat, *gentiles ejuſmodi infantes, Diis obtuliſſe, antequam lac ſugerent, vel manſum ederent.* Hæc autem verba habes in Vita Ludgeri cap. 6. *Memorata Liaffburg cum nata eſſet habebat aviam gentilem, matrem videlicet Patris ſui, abrenunciantem omnino fidei Catholicæ, quæ non nominanda in furorem converſa, eo quod prænominata conjux filias tantum genuiſſet, & filium non haberet, miſit lictores, qui raperent eandem filiam tunc natam de ſinu matris: quia ſic mos erat paganorum, ut filium aut filiam necare voluiſſent, abſque cibo terreno necarentur.* Deinde cap. 7. *In hac igitur colluctatione mirabili, juxta miſericordis Domini diſpoſitionem, ſupervenit vicina mulier, & miſericordia mota eripit puellam, de manu præfati mancipii, concurritque cum ea ad domum, & claudens poſt ſe oſtium, pervenit ad cubiculum, in quo erat mel, & miſit ex melle illo in os juvenculæ, quæ ſtatim ſorbuit illud. Venerunt*

interea prædicti carnifices juſſa Dominæ ſuæ expleturi: dominabatur enim illa furibunda in tota domo filii ſui. Mulier autem, quæ infantem rapuerat, occurrit lictoribus, *dixitque mel comediſſe puellam, & ſimul oſtendit eis illam labia ſua lingentem, & propter hoc illicitum erat juxta morem gentilium illam necare.* Nec in hac nefaria crudelitate & ſuperſtitione *Athenienſes* à Germanis multum diſcreparunt, quibus etiam mos & religio erat *ſpurios ut victimas* projicere & necare.* Johannes Tzetza Hiſtor. Chil. XIII. id docet.

> εἰς κυνόσαργες. τόπος δ' Ἀθήναις τοῦτο
> οὗ καὶ τοῖς νόθοις ἔῤῥιπτον τοῖς χρόνοις τοῖς προτέροις.
> *Cynoſarges, locus autem Athenis hic*
> *Quo & ſpurios projiciebant temporibus priſcis.*

Et *Latii incolæ* ab hac Diabolica inſania non abhorruerunt, utpote qui *infantes ex inceſtuoſo & illegitimo concubitu*, pręſertim *ex Virgine Veſtali* devirginata prognatos

prognatos *in flumen abjicere*, conſueverunt. Hoc in Romuli & Remi partu & hiſtoria indicare videtur Dionyſ. Halicarnaſſeus Antiquitat. libr. I. cap. 79. pag. 63. *Eandem* (quam Amulius) *&* *ipſi Iudices dixerunt ſententiam, ut juxta legem mater* (Romuli & Remi Ilia) *ob violatam pudicitiam virgis cæſa necaretur, proles vero abjiceretur in fluvium.* Præterea etiam exponendi *infantes in cloacas conjiciebantur*; Vetus Scholiaſtes Juvenalis hoc adſtruit ad Satyr. VI. verſ. 600. & ipſe Satyricus his verbis.

Tranſeo ſuppoſitos & gaudia, votaque, ſæpe
Ad ſpurcos decepta lacus.

Eodem piaculo & ſcelere proh dolor! *moniales in Papatu* ſe aliquando contaminarunt, ne incontinentiam ſuam proderent & proſtituerent, cum ſe virorum libidini proſtituiſſent, & vitiatæ atque adeo impraegnatæ fuiſſent. Nam cum Rex Angliæ Hendricus Octavus curioſam inquiſitionem per omnia regni ſui monaſteria inſtituiſſet, multorum cænobiorum *latrinas infantium capitibus op-*

pletas reperit teſte Johanne Baleo in præfatione de vita & geſtis Pontificum. Et Gregorio Papæ inſpectante ex *quodam vivario ſex millia capitum infantium*, eodem modo necatorum, *extracta ſunt*, ſicut Huldricus Epiſcopus Auſburgenſis teſtatur in literis, quas ea de re ad Nicolaum I. Romanum Pontificem circa annum DCCCLXV. miſit; adde Jovium Pontanum in libro de immanitate, Olivierum Maile Mennonem Bacelum utroſque Pontificios idem hoc ſcelus ſacris illis virginibus adſcribentes, & citatos ab Illuſtriſſimo & Erudiſſitimo Philippo Marnixio de St. Aldegonde in Alvear. parte II. cap. 17. pag. 140. Adde his Hludovicum Epiſcopum Auguſteum in epiſt. de Cleri Cælibatu. *Gregorius Papa cum die quodam in vivarium ſuum propter piſces miſiſſet, & allata inde plus quam ſex millia infantium capita videret, ultima mox ductus pœnitentia ingemuit.* Ejuſdem ſceleris moniales & ſacras virgines in Papatu reas agit Additamentum Ludovici Imperatoris IV. titul. 102. in Corpore legum Antiquarum. *Monaſteriales*

riales ſive ſeculares male conceptas ſobo-les, quas in peccatis genuerunt, maxima ex parte occidunt.

CAP. XIII.

Partus debiles & monſtroſi necati & Diabolo immolati per ſubmerſionem. Seneca Philoſophus & Rhetor illuminantur. Lucianus correctus & illuſtratus. Hermaphroditi ſubmerſi & immolati. An dentur ejuſmodi homines? Etiam ſani per ſubmerſionem immolabantur. De ponte in Tiberim Victimæ Humanæ præcipitabantur à Latinis. Prudentius & Varro explicantur. Septentrionales populi etiam ſubmergebant homines, ſicut Germani imbelles & corpore infames. Tacitus à correctione Lipſii vindicatur, & illuſtratur. Aimoinus, Lex Friſionum, & Arbiter illuſtrantur. Submerſio Victimarum Humanarum apud Japonnenſes.

EOdem etiam modo & eadem crudelitate *fœtus* & *infantes debiles*, membris capti, portentoſi, & *monſtroſi* ſine ullo reverentiæ reſpectu palam *per ſubmerſionem* ſæpiſſime, aliquando per *combuſtionem* olim ab Ethnicis abjici, necari & ita *Diabolo quaſi* *immo-*

immolari conſueverunt, ut his *victimis humanis* Deorum iram, cœli minas, & *inſtantia mala à ſeſe depellerent*, nam ejuſmodi partus nihil aliud, quam calamitatum Iliades portendere opinabantur. Sic *Indi Candaridis incolæ infantes, quibus forma contigerat noverca, necare ſolebant*, de quibus Strabo libr. xv. pag. 435. *Oneſicritus author eſt, puerum poſt duos menſes, quam natus eſſet, publice judicari, utrum legitimam formam habeat & vita dignam, nec ne. Eumque cum ab eo judicatus fuerit, qui rei praeſt, vel vivere vel interimi*. Hoc ipſum crudele homicidium ut in ejuſmodi fœtus perpetrarent, cives ſuos docuerunt, adhortati ſunt, & juſſerunt, Plato de Republ. lib. IV. pag. 461. Ariſtoteles lib. VIII. Politicor. cap. 16. Lycurgus etiam *in Spartana Republica iſtos infantes*, qui monſtroſa ſua forma, & diſtortis membris magna mala & vitiorum ſcaturigines ominabantur, *in aquas conjici* mandaverat, juxta Plutarchum in ejus vita, & Arniſæum cap. III. ſect. 7. citatum à Daniele Jongtys in Theatro Zelotyp. part.

part. I. libr. IV. cap. 4. ſect. I. p. 636. *Indi Sophitæ eodem ſcelere ſe contaminarunt*, teſte Diodoro Siculo libr. XVII. Ita etiam *Romani monſtroſos & debiles fœtus aquis piatricibus obruebant, & obtruncabant.* Docet Seneca de Ira cap. XV. lib. I. *Rabidos effligimus canes, trucem, & immanſuetum bovem cædimus, & morbidis pecoribus, ne gregem polluant, ferrum demittimus, portentoſos fœtus exſtinguimus, liberos quoque ſi debiles monſtroſique editi ſunt mergimus.* Hinc diſces, quod ejuſmodi ſubmerſionem quoque innuit Seneca Rhetor controv. lib. V. controv. 33. pag. 244. *Naſcuntur*, inquit, *quidam ſtatim aliqua parte corporis mutilati, infirmi, & in nullam ſpem idonei: quos parentes ſui projiciunt magis, quam exponunt: aliqui etiam vernulas, atque omnes infauſto editos, aut corpore invalidos abjiciunt. Nam nunquam ſine Deorum indignatione & comminatione portentoſos fœtus in hanc lucem prodire ominabantur, quos abjicere, & in ipſis natalibus elidere Reipublicæ intererat.* Vox iſta *abjicere* etiam fidem facere

 videtur,

videtur, quod his prædictis verbis *ejuſmodi fœtus in aquam eſſe conjectos* indicare velit. Bello domeſtico inter Cæſarem & Pompejum jam exardeſcente, cum, ut Lucanus loquitur lib. 1. de bello Civili pag. 28. & 29.

Monſtroſique hominum partus, numeroque modoque
Membrorum

horrendas illas hominum lanienas; *calamitates*, & vaſtationes mox cum bello in Romanum imperium *irrupturas minarentur*, & ominarentur, tunc Romanis Magnatibus, ut ruinas has per prodigia intentatas declinarent.

Placuit Tuſcos de more vetuſto
Acciri vates: quorum qui maximus ævo
Aruns incoluit deſertæ mænia Lunæ,
Fulminis edoctus motus venaſque calentes
Fibrarum, & motus errantis in aere pennæ.
Monſtra jubet primum, quæ nullo ſemine diſcors
Protulerat natura, rapi, ſterilique nefandos

Ex

Ex utero fœtus infauſtis urere flammis. Sed licet properem, tamen illa Lucani verba, *quæ nulla ſemine diſcors* &c. me morantur. Nam aliquod monſtrum ſine ſemine produci, aut *animal ſine ſemine utriuſque ſexus naſci poſſe falſiſſimum* eſt, quamvis paracelſus hominem per Chymiam ſe producere poſſe glorietur in Paramiro, & quidam ſcribant & credant, ex *terra putreſcenti per Nili inundationem* imprægnata & fœcundata non tantum *volatilia*, *aquatilia*, & *terreſtria*, ſed etiam *homines procreari*; Vide Diodorum Siculum libr. 1. cap. 1. & 7. Iuſtinum Martyrem in Paræneſi. Plinium libr. IX. cap. 58. Eubſebium lib. VII. de Præparat. Euang. cap. 17. Iuſtinum lib. II. cap. 1. & 6. cum notis Bernecceri. Salmuthum ad Pancir. nove repert. tit. X. pag. 212. Gryphiandrum de inſulis cap. VIII. §. 60. Quibus ulterius hi provehuntur, qui ex *omni putri materia hominem procreari poſſe* ſtatuant, quales ſunt Cæſalpinus; Cardanus, quem Julius Scaliger refellit Exercitat. CXCIII. Simile quid ſomniaſſe viden-

tur Avicenna lib. VI. Natural. Empedocles, & Parmenides apud Plutarchum de placitis lib: V. c. 7. Æque abſurdum & rationi contrarium eſt, fœminam ex imaginatione, vel pruritu, vel calore nativo concipere poſſe, etiamſi abſurda hæc ſententia habeat ſuos patronos Thomam Quod lib. 6. Artic. 18. Navar. Conſilior. lit. IV. conſ. 2. Molinam tom. III. de Juſtitia & Iure tractat. III. diſputat. 104. Valeſium notatum à Laurentio lib. I[illegible] Anatom. cap. 4. Quæſt. 4. alioſque, de quibus vide Delrionem in Magic. Diſquiſit. Sennertum in libro Chym. Thomam Fienum in tractatu de viribus Imaginat. Canonhierum in Apophoriſm. Hippocrat. pag. 427. reprehendentem Averroem. An igitur hic intelligit *partus monſtroſos per Diabolum incubum proſatos?* Sed ad hoc, ſi verum eſſet, ſemen requiritur, quod tunc utero muliebri infunderet aliunde allatum. Vide Delrionem lib. II. Diſquiſit. Magicar. quæſt. 15. & Paulam Burgenſem poſſibilitatem ejuſmodi concubitus adſtruentem; licet Clariſſimus Chriſtianus Scho-

Schotanus illud ullo modo fieri poſſe per-
neget in Bibliotheca Sacra part. 11. pag.
77. Modum, quo hæc conceptio fieri
poſſet, docet Rivetus Exercitat. 1. in
Geneſin, ſed præcipue Fort. Lycetus
lib. 11. de monſtris cap. 37. p. 231.
qui oſtendit Diabolum hoc ſemine aliun-
de adducto operari poſſe, De ea re va-
rias hiſtorias & exempla proferunt Ca-
merarius lib. 1. Medit. Hiſtor. cap. 70.
Serrarius in Tobiæ vi. quæſt. 2. 6. Binſ-
felſius de confeſſione. Maleficarum con-
cluſ. 5. p. 212. Tannetus ad 22. queſt.
96. Art. 2. aliique. Sed tamen hic fætus
ſine ſemine muliebri confici non poſſe extra
omne dubium eſt; igitur *nullum mon-
ſtrum* vel *animal absque ſemine gigni poſſe*
infallibile eſt. Quid jam igitur de Luca-
no dicemus? forſitan & ille cum nonnul-
lis veteribus Philoſophis in ea hæreſi fuit,
fæminam tantum paſſive, non vero acti-
ve, ut in Scholis loqui amant, ad ani-
malis & *hominis generationem concurrere*,
adeoque *ſemen virile ſolummodo fætus
cauſam eſſe formalem & principalem*, i-
gitur ſecundum ejus opinionem *mon-*

ſtrum tale per Diaboli incubi operationes productum ſine ſemine (nempe virili) *natum fuiſſe* dici potèſt, quoniam dæmon, cum ſit ſpiritus, ſemine deſtituitur. Unde etiam Merlinus ille Anglus, de quo alibi, dæmonii alicujus incubi opera progenitus *absque patre natus dicebatur*; vide Galfredum Monumetenſem Hiſt. lib. VI. cap. 17. & Strozzium. Et *ejuſmodi monſtroſos partus Diabolicos* Lucanum hic innuere probari poſſet, tum quod dicat, quos *diſcors natura* (interpretare *Diabolica* & *humana*) *ſine ſemine protulerit*, tum quod *hi fœtus Diabolici* ſacrificio & *combuſtioni*, ſive *holocauſto*, ad expiandum urbem Romæ, deſtinarentur, ſicut etiam ex Aruſpicum oraculo ſupra dictus Merlinus, *qui ſine patre creatus eſſe* dicebatur, eandem ob cauſam *immolandus foret*. Sed quid ſi in Lucano corrigamus, *dubio quæ ſemine diſcors protulerat natura*; adeo ut intelligat *monſtra ex homine & bruto* diſcordi maxime natura *proſeminata*, quorum exempla proferunt Caſtanneda Luſitanus, Saxo Grammaticus, Olaus Magnus, Johan-

Johannes de Barras, Nierenbergius lib. v. cap. 6. Delrio lib. 11. quæſt. 14. Licet alii hoc poſſe fieri negent. Vide ea de re differentem Fortunium Lycetum lib. 11. de monſtris capp. 68. 73. 71 & 72. Sic *monſtra dubio ſemine producta*, talia etiam appellare poſſumus, quæ habent *caput caninum*, de quo faſcic. Tempor. anno CMXIV. *corpus caudatum*, quali præditos eſſe incolas in ſulæ Inzignanin author P. Martyr in deſcript. Novi orbis quem à mendacio vindicare conatur Nierembergenſis cap. 4. *caudam piſcinam* uſque ad coxendices ſurſum extenſam; quale monſtrum ſub Mauritio circa annum DLXXVIII editum oſtendit Zonaras tom. III. Annal. *formam ſerpentis*, *elephanti*, *hippocentauri*, de quibus Plinius lib. VII. cap. 3. Natural. Hiſtor. Iulius Obſequens de prodigiis cap. 218. *canis aut porci*; Delrio lib. II. quæſt. 10. *Dubio ſemine prolata* etiam cum grano ſalis nuncupari queunt *ejuſmodi monſtra*, quæ aut horrent *forma felis*, quale exhibet Lycetus lib. II. de monſtris cap. 53. aut *vermium villoſorum*; cujuſ-

cujuſmodi monialem Gandavenſem ex diabolico concubitu enixam eſſe aſſirmat Delrio lib. II. Diſquiſit. Magicar. uno verbo innumera alia mixtæ figuræ aliaque monſtra, de quibus conſulendi Obſequens, Plinius, Lycoſthenes de prodigiis, Boiſtæus Launæus Simon Goulartius, Arnoldus Sorbinus Theologus, Swingerus, Cornelius Gemma lib. I. c. 6. Coſmocrit. Iac. Rueff. lib. V. cap. 3. de concept. & generat. hominis; Ianſonius Doccomenſis Friſ. tom. II. Mercurii Gallobellici lib. VII. Thom. Thomaius in horto mundi. Iac. Fincelius de miraculis noſtri temporis. Luſitanus Centur. I. curat. 51. Gilber. Cognatus. Weinrig Comm. de monſtris p. 220. Lanfrancus tract. III. doct. 2. cap. 3. Chirurgiæ Majoris. Theodoricus lib. III. cap. 27. Chirurgiæ. Wernerus Rolevinck de Laet Weſtphalus in Faſcic. Temp. fol. 70. Iohannes Schenkius lib. I. Obſervat. Petrus Lampagnonus lib. II. Prodig. aliique. Omnia autem hujuſmodi monſtra ſive dubio ſemine prognata erant, ſive nullo ſemine creata ab antiquis credebantur, ſi inve-

ſi inventa eſſent, olim in Gentiliſmo *modo holocauſti comburi* & flammis reſoluta in cineres redigi aut *ſubmergi*, aut alio modo *tolli de medio conſueverunt*, ne, ſi illis veluti infauſtis & ſiniſtris prodigiis parcærent, Deorum iram contraherent, & ingentes ſibi accerſerent calamitates. Vide de hoc Halicarnaſſeum libro & loco ante citato, Danæum in Æthica Chriſt. Nicephorum lib. XVIII. 35. & Lucanum in loco jam explicato, qui forſitan per *fœtus nefandos* præter monſtra ſupra nominata intelliget *hermaphroditos* ſive *androgynos*. &c. Quippe præcipue dirum & *nefaſtum omen* & prodigium *erat*, quando *androgynus*, ſive *hermaphroditus naſceretur*, quare inventus ilicet ut piacularis *victima* à *Romanis mergebatur*. Nam M. Meſſala & C. Livio Coſſ. *in Umbria ſemimas duodecim fere annorum natus, aruſpicumque juſſu necatus*. Sic. L. Metello & Q. Fabio Maximo Conſulibus *Lunæ natus hermaphroditus & præcepto aruſpicum in mare deportatus*; P. Africano & C. Fulvio Coſſ. *in agro Florentino in flumen dejectus*

jectus periit. C Domitio & G Fannio Coſs. *in foro Veſſano natus, in mare delatus eſt.* L. Aurelio & L. Cæclio Coſs. *in agro Romano annorum octo inventus, & in mare deportatus.* Cn. Cornelio Lentula. P. Licinio Coſs. *in urbe Roma inventus, & in mare deportatus eſt.* P. Craſſo & Q. Scævola Coſs. *natus.* & C. Claudio & M. Perpenna Coſſ. *Arretii duo androgyni ſunt*; ſicut apud Julium Obſequentem in omnibus fere capitibus deſcriptum invenies. Idem & T. Livius probat in hoc cum Obſequente conſpirans lib. XXVII. pag. 530. *Nunciatum eſt & Simieſſæ natum ambiguo inter marem ac fœminam ſexu infantem, quos Androgynos vulgus, ut pleraque faciliore ad duplicanda verba Græco ſermone appellat, & lacte pluiſſe, & cum elephanti capite puerum natum. Ea prodigia hoſtiis majoribus procurata, & ſupplicatio circa omnia pulvinaria, & obſecratio in unum diem indicta, & decretum, ut C. Hoſtilius Prætor ludos Apollinis, ſicut his annis voti factique erant, voveret faceretq́ʒ.* & pagin. 547. *Simieſſæ biennio ante incertus*

certus mas an fœmina eſſet, natus erat. Id vero Aruſpices & Hetruria acciti fœdum in turpe prodigium dicere: extorrem agro Romano procul terræ contactu alto mergendum, vivum in arcam condere, provectumque in mare projicere. Sunt qui dubitant, imo negant veros dari hermaphroditos, qua opinione & me quoque Præceptoris mei venerandi Celeberrimi & Clariſſimi Anatomici Henrici Eyſſonii apud Groninganos Profeſſoris Medicinæ longi doctiſſimi argumentis & afflatum fuiſſe haud inficias eo, ſed cum experientia tot Doctorum ſcriptis celebrata contrarium clamet, lubens opinionis meæ Palinodiam cano. Nam Androgynos, & dubii duplicifque ſexus homines aliquando dari & naſci. Præter Livium & Obſequentem ſupra adductos plurimi alii Authores Claſſici demonſtrant. Plinius lib. VII. Natural. Hiſtor. cap. 4. apud A. Gellium Noct. Atticar. libr. IX. cap. 4. pag. 183. *Gignuntur homines utriuſque ſexus, quos hermaphroditos vocamus, olim androgynos vocatos, & in prodigiis habitos, nunc*

vero

vero in delitiis. Lucianus Dialog. Meretric. pagin. 402. & 401. dicens, οἷοι πολλοὶ εἶναι λέγονται, *quales multi hermaphroditi leguntur eſſe*, ἔχοντες ἀμφότερα, *utrumque membrum habentes.* Euſebius in vita Conſtantini libr. IV. cap. 25. *Cum vero apud Ægyptios & Alexandriæ patrio more fluvius quidam ab hominibus mulierofis coleretur, ad hos etiam lex perlata eſt, ut omnis hæc* Androgynorum gens *tanquam liceret vel oculis intueri impura hac luxuria ægrotantes.* Illud etiam teſtatur Divus Auguſtinus libr. XVI. de civitate Dei cap. 8. *Androgyni, quos etiam hermaphroditos nuncupant, quamvis admodum rari ſint, difficile eſt tamen, ut temporibus deſint.* Addatur Philoſtratus de vitis Sophiſtarum, qui in Phavorino affirmat *quod ille Hermaphroditus natus ſit*, Sic etiam Martialis Epigramm. libr. VI. pag. 161.

An Dea fœmineum jam negligit Hermaphroditum?

Idem libr. XIV. Epigramm. pag. 389. in *androgynum marmoreum* luſit. Ovid. Metam. lib. IV. pag. 108.

Ambiguus

Ambiguus fuerit modo vir, modo fœmina Scython.

Ovidius Metam. lib. IV. pag. 112.

Quiſquis in hos fontes venerit, exeat inde
Semivir.

Et Auſonius Epigramm. XCVIII. ortum & originem horum hermaphroditorum indicat.

Mercurio genitore ſatus, genitrice Cythere
Nominis ut mixti, ſic corporis Hermaphroditus,
Concretus ſexu, ſed non perfectus, utroque:
Ambiguæ Veneris, neutro potiundus amori.

Cum quo conſentit Lucianus tom. IV. in Philopat. pag. 480. *Nam Mars quadrangulo adſpectu Solem adſpiciet, & Saturnus ex diametro eundem? Nam Venus cum Mercurio congreditur, & hermaphroditos procreabunt, quibus vos delectamini?* Plurima illorum exempla ulterius habes apud Callimachum, apud Plinium lib. VII. cap. 2. pag. 109. *Pau*ſaniam

ſaniam VII. pagin. 504. Hieronymum Montæum libr. I. cap. 6. de Medicina. Theor. Ambroſium *P*aræum lib. XXIV. cap. 7. Raphaëlem Volateranum libr. XXIV. Commentar. Antonium Cholot. Baptiſtam Fulgoſium de exemplis cap. 6. Guaguinum libr. X. Annal. Marcell. Donatum libr. VI. cap. 2. Hiſtor. Johann. Jovium *P*ontanum. Culmannum. Ariſtotelem libr. IV. cap. 4. de Generat. Animal. *P*linium lib. VII. cap. 3. Natural. Hiſtor. & cap. 2. & lib. XI. cap. 49. Dalechampium ad lib. VII. cap. 3. *P*linii. Lycoſthenem lib. de *P*rodigiis pag. 125. & 136. Haly Rhodaham ad libr. III. Techn. Galeni teſt. 38. Columbum lib. XV. Anatom. *P*aulum Aginetam lib. VI. cap. 69. Iohannem Bauhinum de Obſervat. *P*ropr. Iacobum Rueff. libr. V. cap. 3. de conceptu & generat. homin. Boſcium Theſi 53. ad 58. Concord. Medic. & *P*hiſic. de human. conceptu Iohannem Schenckium Obſervat. Medic. lib. IV Obſervat. 3. pag. 6. Authorem Rerum geſtarum Guſtavi Adolphi Sueciæ Regis. Horum *Hermaphroditorum qua-*

tuor

tuor dari ſpecies ſcribit Leonides. Et ſicut Hermaphroditi olim in Romana Republica ſubmergebantur, ut eorum morte & ſacrificio Numinis ira expiaretur, ita etiam illos, *qui ex fœminis in mares, & ex maribus in fœminas fuerunt mutati eadem de cauſa & eundem in finem in inſulam deſertam deportare conſueverant.* Docet Plinius libr. VII. Natural. Hiſtor. cap. 4. apud Agellium libr. IX. cap. IV. pag. 182. *Ex fœminis mutari in mares non eſt fabuloſum. Invenimus in Annalibus Q. Licinio, & C. Caſſio Longino Conſulibus, Caſini puerum factum ex virgine, ſub parentibus, juſſuque Aruſpicum deportatum in inſulam deſertam.* Et quod hoc aliquando contingit, experientia docuit; Nam Licinius Mutianus prodidit, *viſum eſſe à ſe Argis Ariſcontem (cui nomen Areſcuſæ fuiſſet) nupſiſſe eitam, mox barbam & virilitatem provenisse, uxoremque duxiſſe. Ejuſdem ſortis & puerum à ſe viſum Smyrnæ. Ipſe,* inquit Plinius loco ſupra citato, *in Africa *vidi mutatum in marem die nuptiarum L. Coſſitium civem Tiſdritanum, vivebatque*

vebatque cum proderem hæc. De *Tireſia vate* idem Ovidius affirmat lib. III. Metamorph. pag. 81.

Deque viro factus (mirabile) fœmina, ſeptem
Egerat autumnos.

Empedocles Agrigentinus *Pythagoricæ* Philoſophiæ aſſecla ita etiam loquitur.

Et puer ipſe fui, nec non quandoque puella.

Auſonius vero Beneventi puerum quempiam repente virginem factam his verbis refert.

Nec ſatis antiquum, quod Campano in Benevento
Unus epheborum virgo repente fuit.

Plurima exempla hujuſmodi transformationis invenire & legere potes apud *Phlegontem* Trallianum Adriatii libertum in lib. de mirabil. & longęvis. *Plinium* libr. VII. cap. 4. Natural. Hiſtor. Livium lib. IV. D. Auguſtinum de Conjugiis veteris ac novæ legis. Albertum Magnum de Animal. libr. XVIII. tract. 2. cap. 3. Georgium Bertinum Medicinæ ſuæ libr. IV. cap. 20. Amatum Luſitanum

tanum Centur. II. Obſervat. Medicar. Curat. 39. Iulium Alexandr. lib. XXII. cap. 14. Salubrium. Ambroſium Pareum lib.XXIV.cap.5. Chirurg:Fulgoſium lib. I. cap.6. Raphaëlem Volaterranum lib. XXIV. Comment. Urbanorum. Marcellum Donatum Hiſtor. Medicin. Mirab. lib. VI. cap. 2. Iovium Pontanum libr. X. de rebus Cœleſtibus. Antonium Colotium apud Marcellum Donatum Hiſt. Mirab. lib. VI. cap. 2. Alanum Copum Dialog. I. cap. 8. Gaudentium Merulam lib. I. Memorabil. cap. 3. Chronicon Euſebii Hieronymum Montuum lib. I. cap. 6. Iohannem Culmannum in Obſervat: Propriis. Philoſtratum lib. I. & Johannem Scenckium Obſervat. Medicinal. lib. IV. Obſervat. 5. p. 7.8.9.10. quorum omnium verba hic ex ſcribere & exhibere noluj, ne nimis prolixus viderer, & quia non ita ad materiam noſtram, ſcopum & inſtitutum pertinent. Cauſas vero & modum hujuſmodi mutationum require apud Galeottum Narnienſem cap. 18. de Doctrina Promiſcua. Cardan:lib. VIII. cap.43. de varietate. Wierum lib. IV. cap.

24. de PræſtigiisDæmon. Edit. 6. Gem. Friſium lib. I. cap. 7. Coſmoc. Marcellum Donatum Hiſtor. Mirabil. lib. VI. cap. 2. Adde Anatomen Conſtantii Vorol. lib. IV. cap. 4. p. 98. & 99. Poſterioribus etiam temporibus Romanorum Veterum veſtigia inſiſtens *Lutherus*, *partum Diabolicum* & *monſtroſum aquis ſuffocari mandavit*. De quo ita Honſdorf: in Theatro ad præceptum Secundum pag. 142. *Fuit quoque monſtrum tale Deſſoviæ, quod Martinus Lutherus & vidit & contrectavit, cum jam duodecim eſſet annorum, omnibus lineamentis humanam prolē repræſentans. Unicus hujus labor erat cibo ſe diffarcire, & quidem tanto, quantum vel quatuor robuſti trituratores non abſumerent, cibos ingerendo & excernendo erat fœdum admodum & immundum. Si attrectaretur, turpiter plorabat, rurſus, ſi quid turbaretur in ædibus, riſum & cachinnos tollebat: Qua de cauſa Principem Anhaltinum tum temporis monebat Lutherus, ut Diabolicum iſtum fœtum in præterfluentem amnem Moldaviam projiceret. Sed nec Princeps Anhaltinus, nec Elector Prin-*

ceps

ceps Saxoniæ, qui tum Deſſoviæ morabatur, Lutheri probabant conſilium. Rurſus ergo monuit Lutherus, ut in Chriſtianorum Eccleſia aſſiduis precibus rogetur Deus, ut partum iſtum Satanicum auferre dignetur. Quod cum quotidie fieret, ſequenti ſtatim anno partus ille exſtinctus eſt. Et non ſolum tenellos infantes mutilos, & monſtroſos partus atque androgynos necabant & in aquis ſuffocabant, ſed etiam *ſanos*, vegetos, perfectos, & homines in ætatis flore veluti *victimas dæmonibus oblatas* expiatricibus *aquis obruerunt* & contumularunt. Ita *Latini* olim *hominem Saturno* devotum & *immolandum de ponte in* fluentum *Tyberim præcipitare conſueverunt.* De quo ritu Lactantius lib. 1. de falſa religione. p. 56. cap. 21. *Saturnus in Latio eodem genere ſacrificii cultus eſt: non quidem ut homo ad aram immolaretur, ſed uti in Tyberim de ponte Milvio mitteretur. quod ex reſponſo quodam factitatum, Varro author eſt; cujus reſponſi ultimus verſus eſt talis.* ϗ κεφαλὰς κρονίδῃ ϗ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα. *Quod quia videtur ambiguum & fax illi,*

& homo jaci ſolet. Adde Ovidium Faſtor. lib. v. pag. 111. & 112.

Fama vetus tunc cum Saturnia terra vocata eſt
Talia fatidici dicta fuiſſe ſenis.
Falcifero libata ſeni duo corpora gentes
Mittere, quæ Tuſcis excipiantur aquis.
Pars putat, ut ferrent juvenes ſuffragia ſoli
Pontibus in firmos præcipitaſſe ſenes.

Patres ſenio confectos *à filiis* ita *immolatos* fuiſſe teſtatur Prudentius lib. II. cont. Symm. pap. 349; qui ab Ovidio illuſtratus ita explicari debet.

Precipitet Scythica juvenis pietate victum
Votivo de ponte Patrem: ſic mos fuit olim.

Hoc deteſtandum *hominum ſacrificium* & ſacrum *Hercules*, cum in Italiam veniſſet, *abrogaſſe fertur*, & juſſiſſe, ut hominis *vice imagines ex ſcirpo* factæ à Sacerdotibus ex ponte in Tyberis præcipitarentur undas. Teſtis ejus Ovidius loco dicto.

Donec

Donec in hæc venit Tirynthius arva, quotannis
Triſtia Leucadio ſacra peracta Deo.
Illum ſtramineos in aquam miſiſſe Quirites,
Herculis exemplo corpora falſa jaci.

Lactantius lib. 1. de falſa religione cap. 21. pag. 56. *Verum id genus ſacrificii ab Hercule, cum ex Hiſpania rediret, dicitur eſſe ſublatum, ritu tamen permanente, ut pro veris hominibus imagines jacerentur ex ſcirpo.* Sed *Argeos* ea ſimulachra dici, & à Sacerdotibus in aquam mitti ſolere docet Varro. lib. VI. de LL. *Argei ex ſcirpeis virgultis: ſimulachra ſunt hominum triginta, ea quotannis è ponte ſublicio à Sacerdotibus publice jaci ſolent in Tyberim.* Hoc vero opus *Virginum* forſitan *Veſtalium* (quæ etiam per Sacerdotes intelligi poſſunt) *fuiſſe*, & Idibus Maii menſis factitari ſolere admonet Ovidius rurſus.

Tunc quoque priſcorum virgo ſimulachra virorum
Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet.

Victimas etiam *humanas per ſubmerſionem*

Carthaginenſes immolarunt. Nam etiam *Imilcar* Carthaginenſium Dux *Diis ſupplicationes ritu Patrio inſtituens, puerum Saturno immolavit, & τῷ ποσειδῶνι πλῆθος ἱερέων καταποντίσας Neptuno turbam Sacerdotum in mare demergit*, cum ſæviſſima peſtis exercitum affligeret, poſtquam Hannibal in obſidione Agrigenti ſepulchra demolitus violaſſet, & ita Deorum iram provocaſſet, ſicut commemorat Diodorus Siculus lib. XIII. Biblioth. pag. 207. Vidimus quoque in capite XV. pag. 237. 238. 239. libri primi, quod homines ex navibus tempeſtate exorta periclitantibus in mare ut victimæ fuerint præcipitati, & ita ſubmerſi, ad quod caput Lectorem remitto, ne hic eadem repetens per eandem lineam reciprocare ſerram videar. *Septentrionales* etiam populi *humanas victimas* Deis ſuis *per ſubmerſionem immolare conſueverunt*, ſed augurandi, divinandi, & futura prædicendi gratia. Deſcribit ritum Olaus Magnus lib. III. cap. 7. *Omni nono menſe ſolemniorem venerationem ipſis impendentes, novem dies ſacri-*

ficiis

ficiis rite ac religioſe abſolvendis tribuerunt, ſingulisque diebus novem animantium genera immolabant: quibus etiam humanas hoſtias adjungebant. At poſt novendium per ſummam totius regni Danorum celebritatem templum Upſaliæ frequentiſſimo incolarum acceſſu viſitabatur, ibique novendialibus feriis & præſcripto ſacrificiorum numero Diis libamenta ad aram mactabantur. Homo *autem, quem ſors immolandum obtulerat,* in fontem, *qui ad locum ſacrificiorum ſcaturiebat,* vivus immergebatur: *qui ſi facile efflaret animam, fauſtum renunciavere ſacerdotes votum, moxque inde ereptum, in vicinum nemus, quod ſacrum credebant, ſuſpendentes, inter Deos tranſlatum affirmabant.* Cum Olao de horrendis his victimis conſpirat Arngrimus Crymogeæ lib. 1. cap. 7. referente Olao Wormio. p. 7. lib. 1. Moniment. Dan. cap. 3. *Lararium quodlibet pro ratione hujus terræ, magnifice extructum erat. Singula ad hæc lararia Fanum in cacelli morem ſibi adjunctum habebant. Hic locus ſacratiſſimus eſt.* etc: *Ad victimas ut plurimum*

quadrupedes deſtinabantur in ſacrificantium epulas convertendæ. Quamvis interim (dolendum) comperiam cæcos ethnicos victimis humanis etiam uſos loco prædicto: ubi pro lararii foribus puteus profundiſſimus, in quem victimæ humanæ demergebantur: *qui puteus à ſacrificio Blotfelda dictus eſt.* Hactenus Arngrimus. Adde Krantzium in Præfatione libri primi Sueciæ. *Fons ſcaturivit ad locum ſacrificiorum; Sacrificaturi hominem hic immerſere vivum, ſi facile mergeretur fauſtum renunciavere votum.* In hoc ſacrificandi & *ſubmergendi Victimas Humanas Modo* Septentrionales veterum *Germanorum* veſtigia preſſerunt, *qui imbelles & corpore infames in paludibus ut Victimas ſubmergebant.* Docet Tacitus in Germania p. 637. *Proditores & tranſfugas arboribus ſuſpendunt. Ignavos, & imbelles, & corpore infames cæno ac palude, injecta inſuper crate, mergunt.* Clariſſimus Lipſius pro *corpore* hic *torpore infames* corrigit, cum, ut loquitur, innoxia Germanorum gens illi vitio nempe Sodomiæ & mutis peccatis non fuerit obnoxia, licet

Athe-

Athenæus, Ariſtoteles, & Strabo hanc infamiam illis impingant, quam Diodorus Siculus etiam Cimbris, Gallis, & Gallogræcis attribuit in Bibliotheca lib. v. pag. 309. Sed non eſt, quod Clariſſimus Lipſius *torpore infames* corrigat. Cum libris *corpore infames* retinere, & per eos, ſi Germanos à fædo hoc crimine liberare velimus, *hermaphroditos explicare* poſſumus, cùm illi maxime corpore infames credantur, & à Romanis, ut ſupra monuimus, veluti piaculares victimæ in undas deportati legantur. Quæ ſententia eo etiam confirmari poteſt, quod *imbelles* & corpore infames ſimul conjunguntur, qui imbelles & debiles etiam à Romanis ſubmerſioni fuerunt devoti. Et ſi pro *corpore torpore infames* eſſet corrigendum, hæc duo vocabula *torpore infames* eſſent ſuperflua; nam antea Tacitus *ignavos* præmiſit, qui quid ſunt quam *torpore infames?* Et hujuſmodi tautologia à ſtylo Taciti aliena eſt, ut qui ubique brevitatem affectat. Hos autem *proditores, tranſfugas, corpore infames, ignavos & imbelles Dijs ut*

Victimas immolatos fuiſſe Aimoinus de geſtis Francorum lib: 1. cap: 7. Luculenter teſtatur. *Supplicia eorum, qui in furto, aut in latrocinio, aut aliqua noxa ſunt comprehenſi gratiora Dijs immortalibus eſſe arbitrantur, ſed cum ejus generis copia defecit, etiam ad Innocentium ſupplicia deſcendunt.* Quæ duo loca multam ſibi invicem lucem commodant. Nam Aimoinus indicat, quod ſupra dicti *infames* & *ſcelerati in ſacrificium* ſunt *immolati*; Tacitus vero nobis perſuadet, ut credamus Aimoinum per *ſupplicia ſuſpenſionem* vel *ſubmerſionem* denotare. Ex Taciti verbis colligere poſſumus, *per ſubmerſionem* fortaſſe etiam *à Friſijs ſacrilegos Deis immalatos fuiſſe*; de quibus Leg: Friſionum de Honore Templor: tit: XI. paragr: 1. *Qui fanum effregerit, & ibi aliquid de ſacris tulerit, ducitur ad mare, & in ſabulo quod acceſſus maris operire ſolet finduntur aures ejus & caſtratur, & immolatur Dijs, quorum templa violarit.* Quod titulus hic *ſabulum* acceſſu maris inundari ſolitum nuncupat, fortaſſis Tacitus *per cænum* & *paludem* exprimit,

primit, cum ſabulum illud nihil aliud ſit, quam cænum & palus; unde conſtaret, *per immolationem* hanc in lege Friſior: re vera *ſubmerſionem* intelligi. Sic apud populos *Rendiginos*, *Aviones*, *Anglos*, *Varinos*, *Eudoſes*, *Suardones*, *&* *Nuithones* Numen & Dea nomine *Torra ſervorum immolatione & ſubmerſione culta eſt*, de quo Tacitus de Morib: German. *Niſi quod in commune Herthum, id eſt, Torram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Eſt in inſula Oceani Caſtum nemus, dicatum in eo vehiculum veſte contectum, attingere uni Sacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali Deam intelligit, vectamque bubus feminis cùm multa veneratione proſequitur. Læti tunc dies, feſta loca, quæcunque adventu hoſpitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma ſumunt, clauſum omne ferrum: pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem Sacerdos ſatiatam converſatione mortalium Deam templo reddat, mox vehiculum & veſtes, & ſi credere velis, Numen ipſum ſecreto lacu abluitur.* Servi miniſtrant,

niſtrant, quos ſtatim idem lacus haurit. *Arcanus hinc terror, ſanctaque ignorantia, quid ſit illud, quod tantum perituri vident.* Sed *Amycus* Bebricii regni moderator *captivos* hoſpites *Neptuno* conſecratos *in mare præcipites dare* conſuevit. Ita Valerius Flaccus Argonaut: lib: IV.

Proxima Bebricii panduntur litora regni
Pingue ſolum, & duris regio non invida tauris
Rex Amycus.

Mox

Sic undique in omnes
Proſpiciunt curſantque vias, qui corpora regi
Capta trahant, ea Neptuno trux ipſe Parenti
Sacrifici pro rupe jugi, media æquora ſupra
Torquet agens: ſin forma viris præſtantior adſit.
Tum legere arma jubet, ſumtisque occurrere contra
Cæſtibus. hæc miſeri ſors eſt æquiſſima leti.

Alii eti-

Alii etiam populi *hominem illum*, qui ut piacularis victima urbem expiaret, & à peſte liberaret, *in cineres combuſtum in mare ſpargebant*, teſte Tzetza Chil: v. cap. 23. Petronium Arbitrum in Satyra p. 149. per vocem *proiiciebatur*, ejuſmodi *devolutionem in mare* intelligere ex præcedentibus, & præſertim Valerii Flacci verbis, auguror; nam ita de Maſſiliæ in colis, quam mare radens alluit, ſermonem habet. *Maſſilienſes quoties peſtilentia laborabant* (homo immolandus Deis pro urbis ſalute) *circumducebatur per totam civitatem cum exſecrationibus, ut in ipſum reciderent mala civitatis, & ſic proiiciebatur.* Per *circumductionem* illam ipſa *luſtratio* indicatur, nam, cum olim urbem vel agrum *luſtrarent*, victimam circumducebant, & ipſi luſtratores circumibant, unde *circuire*, *circumferre* pro *luſtrare*, & vice verſa ponitur. Hæc ad explicationem Petronii ſatis ſunto. Hæc mea de loco iſto Petronii & Maſſilienſibus opinio (nempe quod humanam illam victimam ex monte, rupe, vel alio aliquo loco in mare deturbave-

 rint,

rint) confirmatur etiam ex Strabone qui *Lucadios* eodem modo *homines per ſubmerſionem Deis obtuliſſe* ſcribit in lib: x. Geograph: pag: 18. *Lucadiis vero mos erat patrius, ut in Apollinis ſacrificio ſontem quotannis aliquem avertendæ Deorum iræ gratia de montis ſpecula deiicerent, ei autem applicitis pennis, quibus levari poſſet, ſaltus ipſe perinde ac volatus efficeretur, multosque circumſtantes cadentem prius excipere naviculis, & pro viribus conſervatum extra patrios fines emittere ſuperſtitem.* Ita *Japanenſes ſe* etiamnum hodie voluntaria *ſubmerſione Diabolo*, & idolis nomine *Conon*, *Amida*, & *Xaca* hoc modo *immolant.* Secundo aut tertio ante ſubmerſionem die in templi porticu familiariter cum dæmonio aliquo, ſive ut illi putant, cum Deo Conone colloquuntur, & ſtatuto tempore ſe ad littus conferunt, comitantibus Bonſis ſive *Sacerdotibus*, quos æreis pelvibus magnum ſtrepitum edentes devoti illi geſtiendo, ſaltando, & canendo inſequuntur; deinde quidam ſe ex præcipitio in aquas immittunt, quidam naves ad hoc præparatas

ratas ingredientes ſubmerguntur. Sed quando ipſi Bonſi huic ſacrificio & idolis ſuis Amidæ aut Xacæ deſtinantur, hoc modo fit. Aliquot ante immolationem ſeptimanas, ſe inedia, vigiliis, & voluntariis verberibus conficiunt; alto de ſuggeſtu de mundi vanitatibus, & rerum mundanarum inconſtantia & viciſſitudinibus in magna hominum frequentia verba habent. Interim eleëmoſynas & ſtipem oſtiatim corradere, populoque alta voce publica in platea inculcare non negligunt, quod Deos ſuos inviſere propoſuerint, qui illos ad hoc laudabile propoſitum inſtigat & adhortatur; Statuta jam hora imminente locum ſubmerſioni deſtinatum petentes, cum ſociis illos comitantibus poculum unum & alterum potus inebriantis haurientes, & pretioſiſſimas veſtes induentes acutas falces corporibus adſtringunt, & ita inſtructi navigia variis figuris & imaginibus inaurata & exſculpta ingrediuntur, & poſtquam magni ponderis lapidibus colla, brachia, latera, & pedes onerarunt, ſe id aquas læti demittunt, vel una cum

navigio

navigio ad hoc perforato & inclinato ſuffocantur. Hi devoti poſt mortem tanquám Dei ab omnibus adorantur & honorantur, navigia vero, ex quibus deſilierunt, proximi conſanguinei comburunt, ut quæ ſanctiora habentur, quam ut ullo hominum tactu inquinarentur. Arnoldus Montanus legat: Holland: ad Iapann: Imperat: pag: 71, 88, & 390. Ludovicus Frojus, & Caſparus Villela in epiſt: Iapann: de his videantur. Atque hæc ad *quartum victimas humanas Deis mactandi modum*, nempe *ſubmerſionem* ſufficiant.

CAP. XIV.

Germani per ſuſpendium homines Deis immolabant. Tacitus & Aimoinus illuſtrantur. Diodorus Siculus illuminatur Galli & Septentrionales populi etiam per Suſpenſionem homines immolabant. Strabo explicatur. Illuſtrantur Claudianus & Tacitus. Leg: Longobard: lib: 1, tit: 36. & Bonifacius tentantur. Scythæ victimas humanas ſuſpendebant. Nicetas illuſtratur. Thulæ incolæ homines ſuſpendio Deis immolabant, & in vepreta proiiciebant. 2, Samuelis cap: 21. prolixe

prolixe illuſtratur & explicatur. Idola ex ſanguine humano apud Americanos. Africani has victimas contundunt. Apud Peguanos plauſtrorum rotis obtriti immolantur. Quidam alii immolationis modi per jugulationem & mactationem. Explicantur & illuſtrantur Orpheus & Nonnus, Herodotus & Strabo.

Q*Vintus victimarum humanarum* immolandarum *modus per ſuſpendium fiebat.* Nam antiqui *Germani proditores* & *tranſfugas arboribus ſuſpendebant*, teſte Tacito in German: p. 637. Hos vero *proditores* & *tranſfugas per ſuſpenſionem eam Deis immolatos* fuiſſe colligere licet ex Aimoino lib: 1. cap: 7. de geſt: Francor: *Supplicia eorum, qui in furto, aut in latrocinio, aut aliqua noxâ ſunt comprehenſi gratiora Diis immortalibus eſſe arbitrabantur.* Idem probat Diodorus Siculus lib: v. Biblioth: pag: 309. qui priora illuſtrat, & à prioribus illuſtratur Authoribus Aimoino & Tacito. τοὶς γὰρ κακούργοις κατὰ πέντα ἐτηρίδα φυλάξαντες, ἀνασκολοπίζουσι τοῖς Θεοῖς. *Maleficos per quinquennium detentos palis in honorem Deorum ſuffigunt.* Intelligimus i-

mus igitur ex Tacito & Aimoino, quod Diodorus Siculus per *maleficos* intelligat proditores, tranſfugas, latrones & fures, & id genus alios facinoroſos. Diodorus vero Siculus nos docet, quod illi, quorum meminerunt Aimoinus & Tacitus, non ſimpliciter ſuſpenſi, ſed per ſuſpendium revera Diis immolati fuerint, quamvis Tacitus de hoc taceat; & quod Aimoinus per *ſupplicium* ejuſmodi ſuſpenſionem & crucifixionem denotat. Sic etiam Strabo & Beroaldus teſtantur, quod *victimæ illæ humanæ* & homines, qui ſanguinem & vitam ſuam profano huic ſacrificio & alienæ crudelitati commodabant, non ſolum à Gallis comburebantur, ſed etiam & *ſagittis conficiebantur*, & *intra ſacras ædes patibulo ſuffixi ſuſpendio immolabantur & necabantur*. Nam ſic loquitur Beroaldus in Lucanum. *Hinc Teutati pro victimis homines immolant, adminiſtrisque ad ea ſacrificia Dryidibus utuntur. Alii immani magnitudine ſimulachra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent. Quibus ſuccenſis circumventi homines flamma exani-*

exanimantur. Quoſdam ſagittis confi-gunt, & intra ſacras ædes patibulo ſuffi-gunt. Hæc partim ex Cæſare de bello Gallico, partim ex Strabone excerpſit. Ita enim de his Gallorum ſacrificiis ſcri-bit Strabo lib: IV. Geograph: pag: 360. *Quoſdam enim ſagittis configebant, & intra ſacras ædes patibulo ſuffigebant.* Per *ſacras ædes* hic aut *fana* & *templa* intelli-guntur, quæ Germanos & Gallos etiam habuiſſe infra probabimus, aut ipſi *luci*, qui apud Gallos, Germanos, ali-oſque templorum vices explerunt & ſu-ſtituerunt, ſicut etiam alibi indicamus. Nam in *illis lucis* priſca formidine ſacris, & huic lanienæ & ſacrificio devotis, *ex ramis & arboribus homines eos, Deis conſe-cratos, ſuſpendere etiam conſueverunt.* Do-cet Claudianus lib: I. de Laudibus Stili-conis, qui ita explicari debet.

Ut procul Hercyniæ per vaſta ſilentia ſylvæ
Venari tuto liceat, lucosque vetuſta
Relligione cruces.

Hinc illuſtrari & luce haud exigua adju-vari poteſt noſter Tacitus Annal: lib: I.

pag: 37. *Simul truncis arborum antefixa ora. Lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas Tribunos ac Primores Ordinum Centuriones mactaverant.* Agit autem de militibus in clade Variana à Germanis aut cæſis, aut captis, quorum nobiliores fortaſſe juxta feram eorum conſuetudinem barbaris aris admoti per ferrum Deis immolati fuerunt, obſcurum autem ſine nomine vulgus & minus illuſtres truncis arborum affixi crucifixionis & ſuſpenſionis ſacrificio Germanorum iram expiarunt. Tacitus hic forte *truncum* vocat, quod Strabo *patibulum*, Diodorus Siculus *palum*; Sed dici etiam poteſt, quod *Germani* & *Galli victimas illas humanas* & *in Sacris ædibus patibulo* ſive *palo ſuffixerint*, prout Strabo & Diodorus Siculus indicant, & quod etiam *in lucis illos homines ex arboribus ſuſpenderint*, uti ex Tacito & Claudiano colligere poſſumus. Nam & *Septentrionales populi*, *cum hominem* in fonte ſubmerſiſſent, & ita *Diabolo immolaſſent*, *inde ereptum in vicinum nemus*, *quod ſacrum credebant*, etiam *ſuſpendebant*, ſicut loquitur

quitur Olaus Magnus lib: III. cap: 7. Non abſurdum eſſet, ſi verbis Taciti, Diodori Siculi & Aimoini inductus & perſuaſus dixiſſem, *illum* etiam *ſervum & facinoroſum per ſuſpendium Deis fuiſſe immolatum*, de quo Leg: Longobardorum lib: I. titul: 36. §. I. ita *Si ſervus Regis mortui fecerit, ita decernimus, ut componat ipſam perſonam, ſicut appretiata fuerit, & ſervus ille ſuper foſſam ipſius mortuj appendatur.* Et veriſimile eſt, *illum, qui puellam vi compreſſerat* & vitiaverat *eidem ſacrificii generi* deſtinatum fuiſſe; cujus meminit Bonifacius in Epiſtola ad Ethobaldum his verbis. *Illi ſuper foſſam ſepultæ* (puellæ) *corruptorem ſuſpendunt*, qui nempe virgini vim intuliſſet, & vitiaſſet illam. Nam Aimoinus, Diodorus Siculus, & Tacitus ſupra nos docent, quod *omnes malefici & facinoroſi olim in Germania per ſuſpenſionem* ſive *crucifixionem Deis ſuis immolati & necati fuerint.* Eodem etiam modo *Scythæ captivos ſuos per ſuſpendium idolis ſuis* ſive *Diabolo conſecraſſe & interemiſſe* leguntur in Niceta Choniate in Annalibus ſu-

bus ſuis, de imperio Imperatoris Balduini, ubi ſic loquitur & ſcribit. σκῦθαι τὲ γὰρ τὰ ἐν πόσιν ἰωθιόντες ἔκειρον καὶ τινὰς τῶν κάλλει αἰχμαλώτων μετὰ μαστίγωσιν τοῖς ἑαυτῶν ἐπέθυσαν, δαίμοσιν ἀναρτήσαντες. *Nam & Scythæ obvia quæque vaſtabant, & aliquot forma excellentes captivos, poſt flagra ſuſpenſos, ſuis Dæmonibus immolabant, & necabant.* Sed quorſum *flagris* ante mortem miſeros *captivos proſcindere?* Exiſtimo *divinandi gratia* hoc eſſe factum. Nam ita de *Gallis* Strabo Geographicor: lib: IV. p. 360. verba facit. *Nam hominem divinationi deſtinatum in tergo ferientes ex ipſo impatientiæ afflictandique modo faticinium capiebant.* Sed *Thulæ incolæ victimas illas humanas*, aliquando *patibulo affigebant*, aliquando vero *in vepreta proiiciebant*, & ita lenta & artificioſa morte occidebant. Procopius Hiſtor: Gothicor: lib: II. illud his verbis teſtatur. *His crebra piamina ſacraque faciunt. Hoſtiarum potiſſimum homo habetur, quem primum bello ceperint, eum Marti immolant, ſummo apud ipſos Deo: nec cultro utique jugulum*

gulum aperire , ſed & patibulo affigere , aut in ſentes proiicere , aut alio cruciatu devotum iterficere fas creditur. Et quid dicimus de quibuſdam *Americæ populis* , qui *captivorum* idolis ſuis immolatorum trunca *corpora* arborum *ramis affigunt?* ſicut docet Martyr de novo orbe Decade VI. cap: 6. pag: 451. Hic neceſſario annectere debeo Hiſtoriam memorabilem , quam hoc modo in Secundo Samuelis libro cap: XXI. à verſu 1 ad 10 legimus. *Fuerat autem* fames *temporibus Davidis* tribus annis continuis ; *deinde requiſivit* David *faciem Jehovæ :* cui dixit Iehova propter Schaulem & domum illius ſanguinariam eſt , eo quod morte affecit Gibbonitas. *Itaque Rex accerſitis Gibbonitis allocutus eſt eos : Gibbonitæ autem non è filiis Iſraelis erant , ſed è reſiduo Emoræj , quibus etſi filii Iſraelis juramento caverant ,tamen quæſiverat Saul percutere eos, affectus zelo pro filiis Iſraelis & Iehudæ. Et dixit David Gibbonitis* , quid faciam vobis ? & quanam re expiabo , ut benedicant poſſeſſioni Iehovæ ? *Cuj dixerunt Gibbonitæ , non agitur mihi de argento aut*

de auro

de auro cum Schaule, & cum familia ejus, neque agitur nobis de ullo morte affliciendo in Iſraele: quibus dixit; id quod vos dicetis, facturus ſum vobis. Tum dixerunt Regi, viri illius, qui abſumpſit nos, *& qui cogitavit contra nos, per quem exterminati ſumus ne conſiſteremus in ullo termino Iſraelis*, ex illius *ergo* filiis dentur nobis ſeptem homines, quos ſuſpendamus Iehovę apud Gibham Schaulis, *ô electe Iehovæ: buibus dixit Rex, ego daturus ſum. Sed clementia uſus eſt Rex erga Mephiboſchetum filium Iehonathanis filii Schaulis, propter juramentum Iehovæ, quod fuerat inter ipſos, inter Davidem & Iehonathanem filium Schaulis. Et accepit Rex duos filios Ritzpæ filiæ Ajæ, quos pepererat Schauli, Armonin & Mephiboſchetum; & quinque filios ſororis Micalæ filiæ Schaulis, quos pepererat Hadrieli filio Barzillai Mecholano: Tradiditque eos in manum Gibbonitarum*, qui ſuſpenderunt eos in monte coram Iehova; *ſic ceciderunt hi ſeptem ſimul: ſunt* autem affecti morte ipſis primis diebus meſſis *in principio meſſis hordeaceæ.* Apparet nobis ex his ſuperioribus

rioribus verbis, quod, cum terra Iudææ triennali fame affligeretur, Deus per Urim & Thummim à Davide conſultus hanc annonæ caritatem & calamitatem in Saulem refuderit, ob injurias violato juramento Gibhonitis ab illo illatas. Gibhonitæ igitur à Davide interrogati, quomodo crimen hoc Saulis circa illos commiſſum expiandum, & fames profliganda eſſet, poſtularunt *ut ſeptem è ſtirpe Saulis Iehovæ in ſacrificium per ſuſpendium immolarentur*, quo ira & indignatio ejus miteſceret. Quapropter *hi ſeptem homines conceſſi & in principio meſſis hordaceæ ſuſpenſi per totam meſſem ad dies uſque pluviarum* (ſecundum opinionem Davidis Kimchi) *pependerunt*, ut fame remiſſa felicior & formoſior annus exſurgeret. Deus autem ita placatus, non confeſtim, ut Ioſephus vult, ſed poſt aliquod tempus, ſicut Celeberrimus Vir Chriſtianus Schotanus opinatur, illis cælum ſecundum & pluvias indulſit. *Certum* igitur eſt, quod hi *ſeptem viri* ex progenie Sualis tanquam *victimæ piaculares Deo ſunt immolati, & coram Iehova*

ſuſpenſi. Sed hujus immolationis & ſuſpendii cauſam non in Deum nec in Davidem, ſed Gabaonitas Iudæi remittunt, quos propterea barbaræ crudelitatis traducunt, quam textus ſignificaret dicendo, eos non fuiſſe ex filiis Iſraelis, id eſt gentilis feritatis. Unde noluit David, ut cum populo Iſrael coaleſcerent. Hoc enim Gibhonitæ cum gentilibus commune habuerunt, qui agrorum ſterilitate & famis calamitate preſſi homines Deis ſuis immolare conſueverunt, ut cælum iratum, ſed his victimis humanis placatum, fertilem & feracem annum reduceret, ſicut prolixe in partis prioris capite decimo quarto à pag: 210. ad 223. ſatis ſuperque probavimus. Unde conſtat dirum hunc ritum temporibus Davidis jam in Gentiliſmo viguiſſe & obtinuiſſe. *S*alianus autem exiſtimat, filios novem è ſtirpe *S*aul ſuperfuiſſe, ſed duobus parcitum ob Davidis cum Ionathane fœdus & juramentum, fœminei enim ſexus non haberi rationem. *S*ed R. *S*aadias fabulatur, ut ſeptem illi ex tota gente & ſtirpe à Davide eligerentur, omnes ante arcam tran-

tranſiiſſe, ſed quos illa tetigiſſet, numero ſeptem Iehovæ eſſe ſuſpenſos. Sed gratiam hanc à Davide fuiſſe factam filio Ionathan, quod tranſeundi neceſſitatem illi non impoſuerit, aut quod Deum precatus ſit, ne tangeretur. Pependiſſe corpora ſupputant Iudæi à decimo ſexto Niſan, uſque ad decimum ſeptimum menſis Marcheſuan, vel juxta R. Salomonem, ad menſem Thiſri donec è cælo pluvia ſuper eos effunderetur. Nam cum meſſis pluviam non haberet, uſque ad dies pluvios gratiamDei propitiati experiri eos oportuit. E ſiccitate enim annonæ caritas terram invaſerat, & ſiccitatis finis, Deum hac ſeptem ex familia Saul hominum ſuſpenſione eſſe placatum, indicabat. Atque hæc de quinto Victimas Humanas immolandi modo, nempe *Suſpenſione*, ſatis ſunto. Iam *Sextum* & *reliquos modos pertractandos ſuſcipiemus*; quibus *homines jugulatione*, *corporum contuſione*, *obtritione*, & *conculcatione*, *cordis & ventris tranſfixione & decollatione in Ethniciſmo Deis ſuis & Diabolo immolabantur.* Nam ſicut Diabolus in ex-

carnificandis hominibus inveniendiſque lanienis Procuſte ingenioſior & crudelior eſt, ita eo Authore *Gnoſtici & Sabii* tenellos *infantes vivos in mortario piſtillo contundere*, & ita *de illis cum farina & aromatibus commixtis panem & maſſam conficere* non dubitarunt, ſicut in capite xxi. libri prioris docuimus, ad quod lectorem remittimus. Hos ad unguem ferè æmulati fuerunt *Tenuſtitani* populi *in America*, de quibus Martyr de Novo orbe decade v. cap: 4. pap: 350. 351. *Poſt habito Vuichila Bichichi Deorum ipſorum maximi ſimulacro marmoreo, quod Rhodio non invidet coloſſo, quando quis pietate motus erga numen aliquod, dicare illi ſimulacrum inſtituit, ex omni genere ſeminum eſui aptorum, eam concervare ſtudet congeriem, quæ ad imaginis à ſe meditatæ proceritatem ſufficiat, ſeminibus illis contuſis & in farinam redactis: tot pueros puellaſque, vel mancipia tot coram farina pinſenda dilacerans, donec tantum ſanguinis exhauriatur, quantum loco tepentis aquæ ſufficiat ad maſſam componendam, qua ſuum fingit idolum imaginarius.* Apud quem-

quemdam etiam *Africæ* populum *ſervis*, huic cruento *ſacrificio* addictis & devotis, *digiti* manuum & pedum *amputantur*, & omnia *oſſa* velut in mortario in parva fruſtula *comminuuntur*, atque pinſuntur, ſicut Dapperus in deſcript: Africæ pag: 369. teſtatur. Alio autem modo *humanæ victimæ Peguanorum pereunt*, nam cum feſtum quoddam celebrant, quidam ad hoc lautè & delicatè omnibus exquiſitiſſimis epulis curati, plauſtri orbibus corpora ſua ſubiiciunt, quo Peguanorum idolum nomine Corcovita maxima cum pompa & hominum confluxu à bobus vario florum genere ornatis per urbem trahitur; qui homines ita rotarum pondere & circumagitatione *proteruntur*, *lacerantur*, & occiduntur. In *Iapannia* Sacerdotes nomine Icoxi Bondii quotannis in honorem idoli ſui nomine Amida feſtum celebrant, ad quod tanta hominum frequentia & multitudo undique confluit, ut quidam ingenti concurſu ſuffocentur. *Alii vero ultro ſe populi frequentia collidi* & elidi, *& plauſtrorum rotis, hominumque & equorum pedibus obteri &*

conculcari patiuntur, & ita *magno animi exſultatione Diabolo immolantur*, qui poſtero die à Bonſis exquiſitis laudibus ut Sancti celebrantur, ſicut teſtatur Arnoldus Montanus in Deſcriptione *Legationis* Hollandorum ad Iapanniæ Imperatorem pag: 267. Prædicto autem in regno Pegu *virgines* ſe precibus & jejuniis devoventes in templis aluntur, & tanto in honore apud omnes habentur, ut ſi quando etiam parentes eas inviſant, non ſecus ac Deas adorent: Ex his annuatim quædam eligitur, quæ pretioſis ſuis veſtibus ſpoliata, & multo ſuffitu una cum Diaboli ſimulacro honorata & adorata *ſtrangulatur* & mactatur à Sacerdotibus, qui virginis quidem *cor* corpore evulſum *in idoli* ſui *faciem conjiciunt*, poſtea *in cineres igne; comburunt, cineribuſque aqua commixtis Deum ſuum conſpergunt*. Corpus vero in quibuſdam locis comburitur, in quibuſdam à Sacerdotibus comeditur. Teſte Vincentio le Blanck lib: 11. cap: 23. *Albani* circa Caucaſum habitantes etiam *cor transfigendo* homines immolare conſueverunt; ſicut teſtatur doctiſſimus

vir L.

vir L. Cæl: Rhodiginus Antiquar: Lect: lib: XVIII. cap: 27. pag: 1018. *Sacerdos* (lunæ apud Albanos qui ad Caucaſum ſunt) *poſt regem primas habet. Sacris præeſt ſervus. Sacræ item regioni ſervorum plerique Numinis afflatu vaticinantur. Præcipuum ex iis in errantem ſylvis ſacræ pervinctum catena ſacerdos annuis epulis ſumptuoſius ſaginat, mox ad immolationem producit, qui ad id muneris deſtinatus haſta ſacra per latus cor tranſfigit, tum ex labantis modo concipitur vaticinium.* Per *cordis tranſfoſſionem latrones* quoque dira & cruenta hæc ſacra peregerunt, ut docet Achilles Tatius lib: III. Amor: Clitophontis & Leucippes. Τῶν δὲ νεανίσκων ἕτερος ἀνακλίνας αὐτὴν ὑπτίαν, ἔδησεν ἐκ πασσάλων ἐπὶ τῆς γῆς ἐρηρεισμένων, οἷδε ποιοῦσιν οἱ χοροπλάσαι τὸν Μαρσύαν ἐκ τοῦ φυτοῦ δεδεμένον. εἶτα λαβὼν ξίφος, βάπτει κατὰ τῆς καρδίας. καὶ διελκύσας τὸ ξίφος εἰς τὴν κάτω γαστέρα ῥήγνυσιν, τὰ σπλάγχνα δὲ εὐθὺς ἐξεπήδησαν, ἃ ταῖς χερσὶν ἐξελκύσαντες ἐπιτιθέασι τῷ βωμῷ. καὶ ἐπεὶ ὠπτήθη, κατα πμόντες ἅπαντες εἰς μοίρας ἔφαγον. *Tum adoleſcens alter ex eis- qui ad-*

qui adduxerant eam, reclinans paxillis terræ infixis ſupinam alligavit, quo maxime modo figuli Marſyam arbori alligatum effingunt, gladiumque juxta cor infixum ad ima ventris uſque traxit, ſic ut viſcera omnia ſtatim exſiluerint. Quæ illi manibus corripientes aræ impoſuerunt, colla-que diſſecuerunt, ac inter ſe partiti omnes devorarunt. De *Americanis* idem docet Martyr in deſcript: Novi Orbis Decad: IV. cap: 4. p. 351. *Non aperto jugulo victimas mactant, ſed gladio per coſtulas cordi viciniores tracto, à vivis & ſuam ærumnoſam ſortem inſpectantibus, cor e-rutum litatur: ſanguine cordi proximo Deorum labra limunt, cor autem ipſum comburunt, ita placatum iri Deorum iram arbitrantur.* Et rurſus idem Martyr decade quinta pag: 432. cap: 10. *Illum ut rapiare ſolent bello captos hoſtes, capillis arreptum trahit ad immolandum, ſtratum videbatur primo per coſtulas cultro, qua cor jacet aperire: mox eruto corde, ſanguinem cordi proximum manibus ambabus emungere fingebat: eoque enſem & ſcutum irrorando madefaciebat. Cor autem ipſum accenſo cum*

ſo cum duobus confricatis lignis ad id miniſtrerium aptis igne (virgineum recenter excuſſum oportet eſſe ignem) comburit: cujus fumum gratum eſſe arbitrantur ſuis bellorum fautoribus Diis : corpus reliquum ſecant membratim , ventre cum popa integro relicto , ne ſordes labantur. In *Salamine* in homine immolando *victimæ venter* & *ſtomachus haſta tranſmittebatur*; teſte Prophyrio lib: 11. de non necand: animal: ad epuland: *In Salamine verò menſe Cronide ſecundum Cyprios Aprodiſio appellato ,* ἐθύετο ἄνθρωπος *ſacrificabatur victimâ humana Agraulo filiæ Cecropis & Agraulidis Nymphæ , qui mos invaluit uſque ad Diomedis tempora : poſtea migravit ab Agraulo ad Diomedem , quando templa Minervæ Agrauli & Diomedis uno vallo ſunt comprehenſa : qui autem immolabatur à duobus impuberibus deductus ter aram currendo circuibat , poſtea* ὁ Ἱερεὺς αὐτὸν λόγχῃ ἔπαιεν κατὰ τοῦ στομάχου *à ſacrificulo per medium ventrem haſta feriebatur , atque ita ſuper ſtructum rogum injectus , totus cremabatur. veterem hunc Sacrorum ritum Diphilus Rex*

 Cyprio-

Cypriorum evertit. Verum enim vero *Getæ homines immolationi* deſtinatos *in præfixa jacula coniiciebant.* Modum hujus mactationis deſcribit. Herodotus in Melpomene lib: IV. pag: 249. ex interpretatione Laurentii Vallæ. *Immortales autem agunt hoc modo,* (Getæ Traciæ populi.) *Mori ſe non putant, ſed eum, qui defunctus eſt, meare ad Zamolxin dæmonem, quem nonnulli eorum opinantur eundem eſſe Gebeleiza. Ad hunc mittunt aſſidue cum navi quinque remigum nuntium quempiam, ex ſe ipſis ſorte delectum, præcipientes ea, quibus ſemper indigent. eumque ita mittunt: Quibuſdam eorum datur negotium, ut tria jacula teneant: aliis, ut comprehenſis ejus, qui ad Zamolxin mittitur, manibus pedibuſque, hominem agitantes in ſublime jactent ad jacula. Qui ſi impræſentiarum extinguitur, propitium ſibi Deum arbitrantur: ſin minus ipſum nuntium inſimulant, aſſeverantes malum illum eſſe virum. Hoc inſimulato alium mittunt, dantes ad huc vivendi mandata.* Anna Xingacan bellicoſiſſima Angolæ regina in Africa hoc modo homines ad

nes ad ſacrificium deſtinatos ante paucos annos decollare conſuevit. Regina, inſtante ſacrificii tempore, viri veſtibus induebatur, ejuſque humerus acinace, cingulum ſecuri, manus vero arcu & ſagittis armabatur. Ita ornata in loco ad mactationem præparato agili & lymphato ſaltu diu circumſaltabat, nolis & tympanis interea ſonitu ſuo eam ad furorem & cædem inſtigantibus. Cum jam celeri illa circumcurſatione ſatis efferata videbatur, avis penna per perforatarum narium foramina traſmiſſa, prima magno furore homini immolando manu correpto ſecuri caput amputabat, tantum ſanguinis effluentis, quantum ei poſſibile eſſet, ingurgitans. Ejus exemplum fortiſſimi Præfecti ſecuti reliquas humanas victimas eodem modo inter horrendos muſicorum inſtrumentorum ſtrepitus Deis ſuis immolabant; ut ita proſperum in bello ſucceſſum à Diabolo emendicarent: ſicut teſtatur Dapperus in Deſcriptione Africæ in Angola. Sed audi Cimbrorum cerimonias *in immolandis victimis humanis* obſervatas; eas docet Strabo lib. VII.

de moribus Cimbrorum. *Eorum uxoribus in militandi ſocietate conjunctis conſequentes nonnullæ divinationis peritæ Sacerdotes adhærebant, quibus canus capillus erat, alba veſtis lintea, è carbaſo ſubter tunicam fibulis annexa, aheneis incinctæ zonis, pedes nudæ, captivis per caſtra ſtrictis occurrebant enſibus, quos ad terram ſternentes*, ad æreum protrahebant craterem, *deinde eos in ſublime tollendo, jugulum ferro aperiebant, &* profluente *tum* ſanguine in craterem *eventum belli vaticinabantur. Aliæ diſſecto ventre ex inteſtinis victoriam interpretabantur. Inter præliandum vero pelles ad carrucarum velamina extenſas, crebris pulſabant ictibus, ingens ſtrepitus cum horrore edebatur.* Hinc *hoſtias* humanas *immolandi ritum ſuper cratere Cimbri à Scythis accepiſſe videntur, qui intra vas quoddam homines etiam jugularunt.* Teſtatur Herodotus lib: 111. pag: 238. *Marti vero ſic priſco ritu apud quoſque tale exſtruitur templum: Sarmentorum faſces aggeruntur trium in longum latumque ſtadiorum, minoris tamen ſublimitatis. Deſuper quadrata pla-*

ea planities efficitur: tria latera prærupta ſunt, quartum acclive, per quod aſcendatur. Eo quotannis comportant centum quinquaginta plauſtra ſarmentorum. Nam ſemper propter cæli tempeſtatem illa marceſcunt. Sub hac congerie ferreus acinacis, qui ſingulis vetuſtus eſt, ſtatuitur. Idque eſt Martis ſimulachrum, cuj annuas hoſtias offerunt, cum aliorum pecorum, tum equorum, & plus huic acinaci, quam cæteris Diis. Ex captivis centeſimum quemque immolant, *non eodem quo pecora modo, ſed diverſo. Nam ubi eorum capitibus vinum libaverunt,* ipſos intra quoddam vas jugulant: *de hinc eiſdem in congeriem ſarmentorum ſublatis, acinacem cruore perfundunt.* Ex his duobus ſupradictis locis explicatur Orpheus in Argonauticis, qui hunc ritum admodum antiquum fuiſſe oſtendit.

τόξοφόροις τε σκύθας, Ἄρεος πιςοὺς θεράποντας·
ταύροις τ' ἀνδροφόνοις, οἳ ἀμειδέα θύσθλα φέροισι
μουνυχίη, βροτέῳ δ' ἐπιδεύεται αἵματι κρητήρ.

Belligeroſque Scythas, devotaque pectora Marti
Funeſtos tauros crudelia ſacra ferentes
Divæ Hecatæ, humano complent cratera cruore.

Hinc etiam diſcimus quod Nonnus Dionyſiac: lib: XIII. per θεσμα λεβήτων *eadem ſacra, & hoſtiarum ſuper cratere jugulationem* innuat.

Κούρη δ᾽ ὀφὲ μολοῦσα μετάρσιος ἐς χθόνα ταύρων
φρικτὰ καὶ κοξείνων ἐδιδάσκετο θεσμὰ λεβήτων
ἀνέρα δαιζεύουσα. καὶ ἀνδροφόνῳ παρὰ βωμῷ.

Puella (Iphigenia) *vero ſors pergens ſublimis in terram Taurorum*
Horribilia male hoſpitalium docebatur Sacra lebetum,
Hominem mactans & homicidam ad aram.

Sic *Auxiliares Ægyptiorum Græci & Cares* priuſquam confligerunt, *Phanis filios* ſuper craterem *obtruncaverunt*, & *immolarunt, eorumque cruorem cum vino commixtum hauſerunt*; teſte Herodoto lib: III.

lib. III. pag: 161. Vides igitur hic quod hæc ſupra citata loca Strabonis, Herodoti, Orphei, Nonni & rurſus Herodoti valde ſe mutuo illuſtrant, & ſimul collata indicant, *Victimas Humanas à Cimbris & Scythis, atque Græcis ſuper cratere* (*quem* Herodotus *vas &* Nonnus *lebetem vocat*) *jugulatos et immolatos fuiſſe.* Chriſtiani vero in inſula S. Thomæ habitantes homines ad dirum hoc ſacrificium deſtinatos ſequenti modo immolare in uſu habuerunt. *S*ervum emebant (ſi non ſponte ſe quis ad hoc inhumanum ſacrificium obtuliſſet,) quem puris & recentibus veſtibus induebant, quibuſdam herbis & radicibus mundabant, potumque ex innocentis ſanguine confectum propinabant, atque ita ad Divi Thomæ ſepulchrum magna cum pompa deducebant: ubi cum pranſus eſſet, ipſum interrogabant, an non gaudio exſultaret, quod inter conſortes Magni ſui Ozymæ recenſeretur? ad quod cum imo reſpondiſſet, candida veſte amictum magno cum plauſu, tibiarum & tympanorum cantu per totam urbem comitabantur,

tur, præcedentibus Sacerdotibus, & pileum ex floribus conſertum & cruce exornatum geſtantibus. Interim populus effuſus genu flexo ipſum orabat & ſupplicabat, ut ejus in cælo apud Deum recordaretur. Poſt hæc tandem à Sacerdotibus jugulabatur; ex fide Vincentij le Blanck part: 1. cap: 12. Hoc autem modo alii populi, ni fallor, *Mexicani*, horrenda hæc ſacra adminiſtrare conſueverunt, Magno pretio ſervum triginta annos natum, formoſum, valentem, & ſucculentum emebant, quem tribus continuis diebus ſummo mane in palude aqua abluentes candido veſtimento ornabant, & triginta dies cuſtoditum publice populo viſendum exhibebant, ut ita oſtenderent innocentem pro populi peccatis immolatum iri. Interea temporis variis muneribus cumulabatur precantium, ut cauſam ſuam apud Deum ageret: interim potu ad ſatietatem hoſtia illa publica obruebatur, dum quidam tibiis & tintinnabulis lugubrem & funebrem concentum flebiliter edebant. Cum triginta illi præfiniti dies præterlapſi eſſent, decem Sacerdotes ca-

nis venerabiles, & candido amictu conſpicui ipſum accedebant, mortem intra decimum diem futuram annunciantes: quo temporis ſpatio elapſo, *ipſum* cerevilia quadam extra mentem raptum, & inſanum factum *in lapide extendebant, ventrem diſſecabant, cor è vitalibus eruebant*; quod fragantibus herbis combuſtum in holocauſtum Diobolo offerebant; cujus ſtatuæ genas ſanguine immolati etiam inficiebant, quem ita interemptum de gradibus templi in plateam proturbabant. Hunc autem immolandi modum *Americanis* ſolennem ita narrat *P.* Martyr: de Novo Orbe Decade VI. cap: 6. pag: 451. In templorum conſpectu variæ ſunt erectæ in campo ex crudis lateribus & bitumine quodam terreo baſes pulpiorum more, octo conſtant gradibus, alicubi duodecim, & quindecim alibi ſummi verticis ſpatium varium pro deſignati myſterii qualitate, virorum decem capax eſt unum, in cujus medio ſpatio lapis eminet marmoreus, humanæ ſtaturæ jacentis longitudinem ac latitudinem æquans: miſerarum eſt ara victimarum in

fauſtus

fauſtus lapis. Statuto ad immolandum die, populi corona ſpectante, regulus pulpitum conſcendit aliud in proſpectu carnificinam inſpecturus. Sacrificulus audientibus cunctis, ex lapide illo eminenti ſtans præconis officio fungitur, & cultro lapideo acuto, quem manu geſtat, vibrato mactandas eſſe victimas edicit. Poſtea ſuper eo lapide reſupinam diſtendunt hoſtiam, & per coſtulas evulſo corde aperiunt, & humano ejus ſanguine labra barbaſque liniunt, ſed ſi victima ſit hoſtis bello captus, præco ſacrificulus gladium manu tenens, & cantibus quibuſdam triſtibus circumdans, ſuper lapide ſtratam ter luſtrat, mox aperit, de hinc in fruſta ſecat, ſectam edendam dividit.

Cap. XV.

Immolabant victimas humanas in aris. Ingentes lapidum moles. Error Pickardi. Illuſtrantur Tacitus, Euripides, Pauſanias, & Procopius. Significatio vocis Asbeſti. Error Alberti Magni. Mactabant homines in aris Germani, Carthaginienſes, Scythæ, Aſſyrii, Ægyptii, Æthiopes, Græci, Iberi, Ceraſtæ. Libanius Sophiſta illuſtratur;

ſtratur; Cariſius; & Cyrillus. Urebantur ad immolationem enſe & haſta. Qualitas Sacerdotis harum Victimarum. Femina alba. Druidæ. Beatus Rhenanus notatur. Seneca, Plinius, & Suetonius illuſtrantur & conciliantur. Lucanus & Plutarchus illuminantur. Xilandri error. Lactantius corrigitur & illuſtratur.

JAm ad ſeptimam totius operis partem progreſſi, videbimus ulterius ceremonias & ritus, quibus olim in Ethniciſmo homines Deis ſuis & Diabolo immolabantur & mactabantur. In aris ingentium lapidum mole conſtructis Septentrionales populi, Germani, Friſii, aliique has exſecrandas victimas humanas immolaſſe feruntur. De his ita diſſerit Olaus Wormius Monument: Danicor: lib: 1. cap: 3. Ararum ſtructura apud nos varia eſt. Maxima ex parte congeſta ex terra conſtant tumulo, in cujus ſummitate tria ingentia ſaxa, quartum illudque majus, latius, ac planius ſuſtinent, fulciunt, ac ſuſtentant, ut inſtar menſæ tribus fulcris innixæ emineat. Sub hac mole cavitas viſitur, in quibuſdam vaſta ſatis, in aliis terra & lapidibus repleta, quæ ſangui-

ſanguini victimarum recipiendo deputata creditur. Rarum eſt, ſi hic ignibus excutiendis aptos ſilices non invenias. Alio enim quam ex ſilicibus excuſſo, victimis cremandis adhibere nefas duxerunt. Et Ubbo Emmius lib: 1. Hiſtor: Friſ: pag: 21. *Commemoratione dignum videtur, notatum quoque ob aliis, quod in regione hac ingentis molis ſaxa complura, quæ nulla vectatione, nulla vi hominum illac deportari potuiſſe ob magnitudinem credas, congeſta inveniantur, quorum ea diſpoſitio eſt, ut aras referre videantur. Nam jacentibus nonnullis, alia aliis impoſita ſunt plana, relictumque foramen anguſtum, per quod reptare homo poſſit. Fabula fert, paganos quondam humanis hoſtiis litare ſolitos, ea per foramina mactandos homines tranſire coegiſſe, et ſtercore aliiſque immunditiis, conjectu vulgi fædatos in tranſitu, conſtitutoſque ad aras immolaſſe: eum ritum ad Bonifacii Epiſcopi Ultrajectini tempora duraſſe. Quam ob cauſam etiam nunc turpe nomen foraminibus illis apud incolas reſtare putatur.* Horum lapidum moles hodie ad huc viſuntur pluri-

mæ in

mæ in agro Monaſterienſi, comitatu Tec-lenburgenſi, comitatu Benthemenſi, & Drenthia, haud procul pagis Roide & Borchert vocatis, quos ipſe præſens inſpexi & admiratus ſum; quidam enim per circum ferentiam quadraginta pedes, quidam triginta ſex, alii triginta, alii viginti quinque & viginti pedes ſunt magni; imo apud Hummeling in agro Monaſterienſi quidam lapis alteri incumbens invenitur, qui tam immenſæ eſt magnitudinis, ut centum oves à pulvia tutæ & intactæ ſub eo deliteſcere poſſent. Errat autem reverendus Vir D. Picardus, cum in Deſcr: Drentiæ cap: v. pag: 26. ſtatuit, hos *lapides non fuiſſe aras hominum immolationi deſtinatas*, propter hanc rationem quod ad Germanorum ſacrificia ignis requirebatur; propterea eos à Gigantibus fuiſſe congeſtos exiſtimat. Sed ſicut ſupra ex wormio audivimus, ignis ille ex ipſis lapidibus, qui circumjacebant, eliciebatur, & aliunde petitus inutilis ad hæc ſacrificia habebatur. quia, ut exiſtimo, ignis ille virgineus & recentet excuſſus eſſe debebat, ſicut etiam Americani juxta quoſ-
dam

dam Septentrionalium coloni non alio quam ejuſmodi puro igne ad holocauſta hominumque ſacrificia utebantur, ſicut in capite ſuperiori vidimus ex Martyre de orbe novo decade v. cap: 10. pag: 432. Sic etiam in *Iſlandia Occidentali*, provincia Thornes-Thing *circum* fuiſſe ex Eyrbyggia docet Arrigrimus, *in quo homines immolare conſueverunt. Erat in medio circus, in quem homines Diis immolandi colligebantur, qui ad ſaxum prægrande ibidem poſitum alliſi necabantur.* Veriſimile etiam eſt, ejuſmodi aras lapidumque congeſtorum moles Tacitum intelligere & innuere Annal: lib: 1. his verbis. *Lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas Tribunos et primorum ordinum Centuriones mactaverant.* Nam per vocem *barbaræ*, Germanorum aras omnino & longe à Romanorum & Græcorum altaribus diſcrepaſſe diverſaſque fuiſſe indicatur, cum Græci & Latini barbarum vocarunt, quidquid cum eorum moribus & ritibus non congruebat, atque adeo inuſitatum & inſuetum erat, ſicut ſi tempus & occaſio concederent, ex plurimis

Autho-

Authoribus Claſſicis demonſtrare poſſem. Vide ſaltem de ſignificatione vocis barbari Clariſſimũ Virum *P*aulum Voetium in Notis ad Herodianum à pag: 20. ad 30. Ejuſmodi enormis & ſtupendæ magnitudinis lapides hodie etiamnum in Braſilia in America reperiuntur, ſed an etiam hi lapides hominum immolationi inſervierint dubium & obſcurum eſt: De his Clariſſimus Caſparus Barlæus de rebus geſtis Illuſtriſſimi Comitis Naſſoviæ Mauritii in Braſilia pag: 220. ubi iter Heremanni ad interiora Braſiliæ eleganter depingitur; *Trajecti torrentes, viſi lacus, campi, ſylvæ, arundineta; lapides inuſitatæ molis alios pyramides dixiſſes, alios mauſoléa, ea forma, ut manu fabricata jurares.* Iterum pagina 217. *Itaque devitatis montium acclivibus inceſſere per planiora, ubi duo lapides molares exactæ rotunditatis et ſtupendæ magnitudinis viſi, ſuperficie vix media lapidis pars attingi extremis digitis ab erecto poſſet; alter alteri ſuperincumbebat, major minori: è centro miro ſpectaculo frutex ſe attollebat Karawata: quo fini hos congeſſerunt Barbari,*

bari, in tanta harum rerum ignorantia non facile dixerim. Vides hic eoſdem fere lapides depictos, alterum alteri incumbentem, quales agro Monaſterienſi viſuntur, de quibus ſupra. Et licet quidam eruditi negent & inficientur, hos in Drentia, Germania & Dania lapides abominabilium iſtarum ararum partes expleviſſe, attamen ex Euripide (qui hinc illuſtratur) colligi poſſe videtur, *apud Scythas* hujuſmodi *ſaxa altaris loco fuiſſe*, in quibus humanas hoſtias mactare conſueverunt. Euripides Iphigen: in Tauris.

τάφος δ' ποῖος δέξεταί μ', ὅταν θάνω
πῦρ ἱερὸν ἔνδον, χάσμα τ' εὐρωπὸν πέτρας.

Quale vero ſepulchrum accipiet me mortuum
(Oreſtem mactandum Dianæ Tauricæ)
Sacer ignis intus, & tenebroſus hiatus ſaxi.

Nam quod *per ſaxum* Euripides aram innuat, *inde probari poteſt*, quod hoc ſaxum *ſepulchrum* τάφον vocat; Sed Euripides in Aulide expreſſe aram in qua Iphigenia immolaretur, ſepulchrum etiam ejus

ejus nuncupat; ſicut infra videre licet. Sepulchrum autem vocat Euripides, quia in illa ara ſive ſaxo homo immolatus comburebatur. Vox etiam ſepulchri mihi perſuadet, ut credam *tenebroſum illum hiatum ſaxi* fuiſſe locum ſive ſepulchrum immolatæ & combuſtæ victimæ cineribus recipiendis deſtinatum, licet Olaus Wormius loco in capitis principiis allegato ſcribat, quod apud *S*eptentrionales populos *vaſta illa cavitas*, (ſive quod idem eſt, *tenebroſus hiatus*, qui ſub ſaxorum iſtorum & ararum mole hodie ibi locorum adhuc viſitur) *ſanguini victimarum recipiendo deputata creditur.* Cui opinioni & ipſe admodum reluctari nolim; Et cum juxta Iornandem *S*cythia tanquam officina & vagina fuerit, ex qua plurimæ gentes prodierunt, & in alias terras ſuas colonias duxerunt, fortaſſe in his lapidum molibus & altaribus exſtruendis, & ſanguine humano Deis ſuis litato imbuendis eorum coloni, Germani, Dani, Friſii, & ſecundum quoſdam etiam Braſiliani & *A*mericæ incolæ conditores & parentes ſu-

 os imi-

os imitati fuerunt; cum lapides illi Septentrionalium, Friſiorum, Braſilianorum & Scytharum eandem fere formam habuerunt, ut ſupra vidimus. Et quod Euripides, de Scythis loquens, vocat *tenebroſum hiatum ſaxi*, illud Wormius his verbis ſupra citatis exprimere videtur. *Sub hac mole cavitas viſitur in quibuſdam vaſta ſatis.* Et per *ſacrum ignem* Euripidem indicare exiſtimo *ignem illum, qui ex ipſis lapidibus excuti et provenire, et virgineus eſſe, debebat apud Septentrionis et Americæ populos,* ſicut ſupra ex Olao Wormio lib: 1. cap: 3. & Matyre decad: v. cap: 10. pag: 432. probavimus. Veriſimile etiam videtur (licet pro certo affirmare non auſim) quod lapides illi nomine *Aſbeſti* antiquis temporibus noti, noſtro vero mundo & ætati penitus ignoti fuerint illi lapides, in quibus tanquam in aris, & quorum igne inde elicito Victimæ illæ Humanæ in holocauſtum olim ab Ethnicis combuſtæ & immolatæ fuerunt. De hoc autem lapide ita Plinius libro xxxvi. Natural: Hiſtor: cap: 10. pag: 674. *Aſbeſtos in Arcadia montibus naſcitur*

ſcitur coloris ferrei. Conjectura hæc & opinio (ſi illam ex profeſſo defendere vellem) confirmari poſſet quatuor præcipue argumentis. *Primo :* tam ex eo, quod hic lapis aſbeſtus hactenus ignotus fuerit, qualis ſit juxta Celeberrimum Virum Giſbertum Voetium tom: 1. Diſputat: Selectar: de Creatione pag: 669. quam quod hoc vocabulum *aſbeſtus* proprie *denotat inexſtinctum*, quod exſtingui nequit, ut ἄσβεςη φλὸξ. Homer. Il. 11. Item *quod non eſt reſtinctum aqua :* Galen. & Dioſcor. Metaphorice κλέος ἄσβεςον *gloria inexſtincta*, & γέλων ἄσβεςος *riſus inexſtinctus* apud Homer: juxta Iohannem Scapulam in Lexico. quam ſignificationem inextincti inde forſitan lapides hi aſbeſti ſortiti ſunt, quod in illis & illorum igne elicito Victimæ Humanæ continuo comburebantur. *Secundo ;* quod lapides illi, qui antiquitus victimis humanis immolandis inſerviiſſent, & quos mihi videre contigit, colorem ferreum exprimunt, ſicut hoc colore lapis aſbeſtus à Plinio deſcribitur. Hinc mihi etiam veriſimile videtur Pauſaniam

quoque ejuſmodi lapides innuere lib: x. pag: 717. *Ad præruptas proximi torrentis ripas ſaxa jacent, magnitudine nihilo minore, quam ut plauſtrum onerare queant ſingula. Color illis non terreni luti, ſed qualis in ſabulo rivorum et torrentium cernitur. Tertio*; quia Procopius lib. II. Gothic: ſcribit, *lapidem illum, quem ſua ætas aſbeſtum nominabat, ab antiquitate Titanum lapidem fuiſſe vocatum.* Et ſupra vidimus, quod quidam opinati fuerint, ſupra dictos illos prægrandes lapides, qui paſſim in noſtris oris & alibi magna cum admiratione viſuntur, à gigantibus eſſe congeſtos, qui gigantes & titanes eoſdem homines denotaverunt, ſicut contra contrarium ſuſtinentes defendimus in tractatu noſtro peculiari de gigantibus, quem adire potes. *Quarto* denique, quod in Germania & Septentrionalibus plagis homines Marti præcipue immolati fuerint, qui Mars à Germanis, teſte Arngrimo, *A*s etiam vocabatur; de quo fuſe diſſeruimus in lib: pri: cap: VII. pag: 92. 93. 94. & 95. Hæ victimæ humanæ juxta quorundam, quos ſupra adduximus, opinio-

opinionem in lapidibus illis ingentibus, dequibus ſupra, in holocauſtum etiam Marti ſive *As* combuſti fuerunt, unde ab As illo & immolatione ei facta ſaxa illa nomen aſbeſti forte adepta fuerunt. Nam dici poteſt, quod vox illa aſbeſtus componatur ex *As*, quod Martem ſignificat, & βάϑος ſive βυϑὸς profunditas. Nam ſub lapidibus illis ſive aris hominum ſacrificio olim deſtinatus alibi vaſta profunditas, cavitas, ſive profundus hiatus adhuc viſitur, ſicut ſupra ex Olao Wormio lib. 1. cap: 3. edocti ſumus. *Ab* hoc As Marte forte etiam nomen traxit arx in ripa Rheni ſita, nomine Aſciburgium Ασκιπύργιον, cujus meminit Tacitus de Moribus Germanor: pag: 632. & civitatem illam, quæ hodie *Emmerich* vocatur, eſſe autumant quidam. Nam vox illa conſtructa eſſe videtur ex As & πύργος, quod turrim munitam denotat, belgice *een Burgh*, quo nomine Belgæ arcem caſtellum, & turrim quoque exprimunt. Obiter autem hic annotari debet error Alberti Magni, qui juxta Voetium lapidem illum prædictum non aſbeſtum, ſicut

cut *Plinius* & *Procopius* vocant, ſed abeſtum appellari vult. Quidquid autem de his ſaxis & hac lapidum mole & ſtructura, eorumque uſu ſit, hoc certum eſt, quod *Scythæ aliique populi* etiam *aras immolandis his victimis humanis conſecraverint*; ſicut de *Scythis* aſſerit Euripides in Iphigen: in Tauris.

Ενθα κόρη
διατέγγει βωμοὺς.
Ubi puella
Madefecit aras.

Idem etiam de cruentis his Scythæ populis teſtatur & docet. Diodorus Siculus lib: II. Bibliothecæ pag: 129. *In Cherſoneſo Taurica mos Barbaris erat, advectos eo loci hoſpites* θύειν Αρτέμιδι ταυροπόλῳ *Dianæ Tauricæ immolare. Apud quos Iphigenia poſtmodum Deæ Sacerdos, quoscunque cepiſſet ad aram* θύειν *mactaſſe fertur.* Adiiciatur huic Claudianus de raptu Proſerpinæ lib: III.

O Templis Scythæ, atque hominem ſitientibus aris
Utraque digna coli.

Iuvenalis Satyr: XV. pag: 128. idem docet

Tale

Tale qui excuſat, Mæotide ſævior ara
Ægyptus, quippe illa nefandi Tauricæ ſacri
Inventrix, homines (ut jam quæ carmina tradunt
Digna fide credas) tantum immolat.

Achilles Tatius lib: VIII. Amor: Clitophontis & Leucippæ idem docet οὐ βάρβαροι τοῦτο καὶ ταῦροι, καὶ ἡ Ἄρτεμις ἡ Σκυθῶν ὁ παρ᾽ ἐκείνοις μόνοις ναὸς. οὕτως αἱμάσσεται. *Barbarorum ac Taurorum hujuſmodi quidem certe inſtitutum eſt. Apud Scythas Dianæ templum eſt, apud quos ſolos Deæ hujus altaria humano cruore conſpergi receptum eſt.* Adde Ovidium de Ponto lib: III. eleg: 2. pag: 287. Sic τοῦ βωμοῦ καὶ τῶν ἀξένων θυμάτων *ararum, & inhoſpitalium ſacrificiorum apud Scythas* meminit Philoſtratus in Epiſtolis. De *Aſſyriis* & *Ægyptiis* idem teſtatur Conſtantinus in Oratione ad Sanctorum Cætum, *Cujus gratia non ſolum animalium rationis expertium cædes factæ fuerunt, ſed etiam homines exſacrificati, & nefanda plenaque ſceleris altaria, excogitata ſunt. Idque legibus Aſſyriorum, Ægyptiorum*-

que, qui ſtatuis vel ex cere fuſis, vel ex alia materia fabricatis juſtas piaſque animas victimarum loco mactarunt. Sic *in Ægypto ad aram Iovis, Buſiris hoſpites immolabat* Appollodoro teſte lib: II. Bibliot: Virgilius Georg:III. pag:71. hinc ita etiam canit.

Aut illaudati neſcit Buſiridis aras.

Silius Italicus lib: IV. fol: 46. *de Carthaginienſibus* Syrorum colonis.

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poſcere cæde Deos veniam, ac flagrantibus aris,
Infandum dictu, parvos imponere natos.
Urna reducebat miſerandos annua caſus.
Sacra Thoantææ, rituſque imitata Dianæ.
Cuj fato ſortique Deum de more petebat.
Annibalis prolem diſcors antiquitus Hanno.

Germani etiam & *Septentrionales populi* aras ad dira hæc ſacrificia uſurparunt, teſte Sax-

ſte Saxone lib. III. & *Æthiopes*; ſicut docet Heliodorus lib: x. πρὸς τοῖς βωμοῖς, ἔφη, τῶν θεῶν οἷς ἱερεῖα φυλαττόμενοι συνίεμεν, ἐμὲ τε καὶ τοὺς ἐμὲ φύντας γνώσεσθε. *Ad aras, inquit, Deorum, quibus nos victimas aſſervari intelligimus, me & meos parentes agnoſcetis.* Statius Sylvar: lib: IV. eleg: 6. p. 73. de *Iberis*

Quem te pecoris poſſeſſor Iberi,
Quem tulerit ſævæ Mareoticus arbiter aræ.

Ovidius Metamorph: lib: x. pag: 291. de *Ceraſtis.*

Ante fores horum ſtabat Iovis hoſpitis ara
Lugubris ſceleris, quam ſi quis ſanguine tinctam
Advena vidiſſet, mactatos crederet illic
Lactantes vitulos, Amathuſiacaſque bidentes.
Hoſpes erat cæſus: ſacris offenſa nefandis
Ipſa ſuas urbes, Opiuſiaque arva parabat
Deſerere alma Venus.

Pueri etiam illi & *virgines ad aram* ma-ctabantur, qui quotannis ut victimæ humanæ morte & ſanguine ſuo Dianæ Triclariæ velificabantur, quod Menalippus & Comætho rem veneream in ejus templo exercuiſſent, de quo *Pauſanias* lib: VII. pag: 509. Ovidius Metamorph: lib: XIII. pag: 386. de *Græcis* idem docet.

Poſtquam crudelibus aris
Admota eſt, ſenſitque ſibi fera ſacra
parari;

Nonnus Dionyſiac: lib: XIII de iiſdem.

αὐλίδα πετρήεσσαν ἐδέξατο Ἰοχεαίρης.
ἧχι θεὰ βαρύμηνις ὀρεσσαύλῳ παρὰ βω-
μῷ
δέκτο θυηπολίην ψευδήμονος Ἰφιγενεί-
ης.

Aulida petroſam ſolum Diana
Ubi Dea graviter irata in monte con-
ſtituta in ara
Excepit ſacrificium ſimulatæ Iphigeniæ.

Lucretius Carus de rerum Natura lib: I. adiiciatur.

Aulide quo pacto Triviai virginis a-
ram
Iphianaſſai turbarunt ſanguine fæde

Ductores Danaum delecti.

Euripides in Iphigenia in Aulide addatur.

βωμὸς θεᾶς μοι μνῆμα τῆς Διὸς κόρης

Ara Deæ filiæ Iovis (Dianæ) erit mihi ſepulchrum.

Sed Libanius Sophiſta in Orat: XIX. teſtatur *Iphigeniam σφαττομένην ἀνθ' ἱερείου πρὸς τάφον eſſe pro victima jugulatum ſuper ſepulchro.* Quæ ejus verba cum ſuperiori Euripidis loco collata multam lucem accipiunt, & oſtendunt Libanium per *ſepulchrum aram* intelligere. Cyrillus, quem ſic neceſſario explicare debes lib: IV. contra Iulianum, affirmat etiam, quod *apud Græcos altaria cruentis his ſacrificiis deſtinata* ſanguine humano immolatorum aliquoties rubuerint, & intepuerint. Ita enim loquitur. Fortaſſis dicit quis etiam nos nugari, & contra illos urgere vanam accuſationem. Non enim hoc unquam fuiſſe. Videamus igitur ex Græcorum hiſtoriis, an non humano ſanguine & precio polluta fuerunt altaria, & templa Deorum illorum. Ariſtomenes enim Meſſenius Iovi, cuj nomen Ithomiti, trecentos ſimul mortuos dedit. Ad-

jecit autem & his Lacedæmoniorum Regem, cuj nomen Theopempto. Hinc ſummus ille & maximus Deorum ac admirabilis: Arridebat enim, ut eſt veriſimile, viris miſere pereuntibus, & refertum videns ſuum altare, cibo ex æquo diſtributo: delitiæ enim illorum in hominum calamitatibus. De ara victimæ humanæ ſive hominis immolatione inquinata explicari etiam debent verba incerti Poetæ apud Cariſium lib: IV.

Theſprote ſi quis ſanguine exortam tuo
Prolem inter aras ſacras ſacram immolet,
Quid meritus hic ſit, dubium an quoiquam fiat?

Sed ut ulterius & plenius horrendos & ſtupendos ritus & cerimonias, quibus pagani homines Deis ſuis immolaverunt, proſequamur & deſcribamus. Sacerdos & antiſtes erat nobilis fæmina viro intacta, ut docet Euripides in Iphigenia, in Tauris rurſus teſtatur, *feminam dira hæc ſacra feciſſe apud Scythas*, dicens. Κληδούχου δούλα. *Clavigeræ Sacerdotis* (Dianæ Tauricæ) *ſerva*.

Ovi-

Ovidius de Ponto lib: III. pag: 207.

Fœmina ſacra facit tedæ non nota jugali,

Quæ ſuperat Scythas nobilitate nurus.

Euripides in Iphigenia in Tauris idem ſcribit.

θύω γὰρ, ὄντος τοῦ νόμου καὶ πρὶν πόλει,

ὃς ἂν κατέλθῃ τήνδε γῆν Ἕλλην ἀνήρ.

κατάρχομαι μὲν,

Immolo enim (Iphigenia Sacerdos Dianæ Tauricæ) *cum mos iſte & ante civitati fuit*

Quicunque hic appulerit vir Græcus,

Auſpicor quidem ſacra: Æthiopes maritatam feminam Sacerdotum ad hoc dirum Sacrificium elegerant. Teſtatur Heliodorus lib: x. Æthiop: γεγαμῆσθαι οὖν χρῆναι τὴν σφαγιάζουσαν, οὐ παρθενεύουσαν, ὁ νόμος διαγορεύει. *P*orro nuptam eſſe viro, non virginem, quæ mactet, lex diſerte jubet. Rurſus. Cum ſe obtinere non poſſe petitionem intellexiſſet, ut ipſa mactaret (Timaginem) tanquam inimiciſſimum obſecrabat (Chariclea.) at cum neque hoc facere fas eſſe diceremus; μιᾷ μόνῃ καὶ ταύτῃ ὑπάνδρῳ τῆς τοιᾶς θυσίας καθωσιωμένης: uni tantum & ej conjugi

jugi tali ſacrificio nuncupato: virum ſe habere prætexit, non addens quem. Sed Gymnoſophiſtas ad id etiam adhibebant, juxta eundem lib: x. Denique ſermone converſo ad Gymnoſophiſtas; ſed o! ſapientiſſimi, inquit, cur non rem ſacram inchoatis? Apud *Cimbros fæminæ* canis capillis, aheneis incinctæ zonis, indutæ alba veſte lintea è carbaſo ſubter tunicam fibulis annexa, & pedibus nudæ, horrenda hæc *ſacrificia* adminiſtrabant, teſte Strabone lib: v. Incertum autem eſt, an ex illarum Sacerdotum genere non illæ fuerint fæminæ, quæ olim in Germania paſſim in colliculis & tumulis habitantes reſponſa dabant, & latino idiomate *feæ*, *Sibyllæ*, *albæ Nymphæ*, *Dominæ nocturnæ*, *Dominæ bonæ*, *& Reginæ Habundiæ* Italico *Fatæ*, Gallico *Fees*, lingua Germanica *Alvinnen*, Anglica *Whiteladies*, atque Belgica *witte wijven* vocantur, quarum habitacula in Drentia Weſtphalia Anglia aliiſque in locis adhuc oſtenduntur? ſed magis veriſimile eſt, ſpectra fuiſſe. videantur de his *Paſchaſius* cap: 5. pag: 461. Leo ab *Aitzema* lib: xxx. Hiſtor:

Piccardus in deſcript: Drenth: cap: IX. pag: 46. & 47. *Galli* autem *homines immolabant Druidis nequaquam abſentibus*, ut ait Strabo lib: IV. Geograph: pag: 360. *Aut*, ſicut Diodorus Siculus in Biblioth: lib: V. pag: 308. ſcribit *nulli ſacrum facere* ἄνευ φιλοσόφου *abſque Philoſopho fas erat.* Hos *Druidas Vates & Medicos* vocat Plinius Natural. Hiſtor. *Octavius Auguſtus hanc diræ immanitatis religionem Druidarum Civibus interdixit; Claudius Cæſar penitus abolevit*, teſte Suetonio in Claudio Num: 25. pag: 220. Clariſſimi Viri Iuſtus Lipſius in Commentar. ad XII. Annal: Taciti pag: 114. & Beatus Rhenanus in Schol: ad Senecæ Ludum affirmant, Senecam in Menippæa Claudiana dicere, quod Claudius *immanem hanc Druidarum religionem delevit*: Sed ex duobus codicibus, quos habeo, alter ex officina Plantiniana cum notis Lipſii anno MDCV impreſſus nullam hujus rei facit mentionem. (cum quo conſentit codex Wiſſenburgenſis, & quo Beatus Rhenanus & Hadrianus Iunius uſi fuerunt.) Nam pag: 767. poſt hæc verba.

Cogi-

Cogitate P. C. quale portentum in numerum Deorum ſe recipi cupiat; ſequitur: *Hunc nunc Deum facere vultis? Alter* autem codex ex recenſione Andreæ Schotti Lugduni apud Iohannem Vignon anno MDCIV excuſus hæc verba habet Tom: I. pag: 804. *Cogitate P. C. quale portentum in numerum Deorum ſe recipi cupiat. Principes pietate & juſtitia Dii fiunt. Scilicet hic pius & juſtus, quoniam Dryidarum immanem religionem advexit: noſtram prorſus exſtirpavit, ut Romæ nuptiarum ſacra eſſent, quibus ipſe, cum ſibi Agrippina nuberet, triginta Senatoribus, innumeris equitibus, Romanis mactatis principium dedit. Hunc nunc Deum facere vultis?* Quid jam de hoc loco dicemus. Quantum ego ex toto verborum contextu colligere & videre poſſum, Seneca teſtatur, quod Claudius ex Gallia *immanem hanc Dryidarum religionem*, qua homines immolabant, *in Urbem Romam reduxerit*, cum antea ab Auguſto Romæ eſſet abrogata Romaniſque civibus interdicta. Quod Seneca probat ob hanc rationem; quia *Romæ triginta Senatores &*

tores & innumeros equites Romanos mactari & immolari juſſit, ut *nuptiæ*, quas cum Agrippina contraheret, *ex voto ſuccederent*, Deique illas benedictione ſua cumularent & donarent, ſicut *Druides in Gallia cum negotia gravioris momenti aggrederentur homines immolabant, ut hac proſperum ſortirentur eventum, & Deos haberent propitios, quod pro vita hominis niſi vita hominis reddatur, non poſſe aliter Deorum immortalium Numen placari arbitrabantur*; ſunt verba Cæſaris de Bello Gallico lib: VI. pag: 132. Neſcio autem, quid ſibi velit Beatus Rhenanus, cum dicit. *Senſus eſt: Claudius hanc ob cauſam Druidarum religionem delevit, ut fratris ſui filiam ducere poſſet: quod non licebat ante.* Nam nuſquam me legiſſe apud Authorem Claſſicum memini, quod Druidæ ejuſmodi matrimonia prohibuerint: Et ſi prohibuiſſent quid hoc ad Claudium, qui Romanus, & Imperator erat? Sed *quia fratris ſui filiam Agrippinam* ducebat, propterea Seneca ſcribit, *quod religionem Romanam prorſus extirpavit*, nam per illam hoc non licebat.

cebat. Attamen, inquies, Suetonius expreſſe dicit, quod *Claudius immanem hanc hominum immolandorum conſuetudinem ſuſtulerit.* Confiteor: Sed Plinius lib: xxx. cap: 1. pag: 545. de Tiberio dicit, *quod Tiberii Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum.* &c: Quomodo jam Suetonium & Plinium conciliabimus? Plinius videtur de Tiberio veritatem dixiſſe, cum ejus natura ab ejuſmodi hominum genere abhorruerit *& omnes exteras ceremonias compeſcuerit.* ſicut Suetonius in ejus vita loquitur. Num: 36. pag: 144. Suetonii etiam fidem Claudio adſcribentis abolitionem & exſtirpationem humanarum hoſtiarum à Druidis immolatarum elevare non audeo, licet Seneca, ut ſupra vidimus, in meo codice, contrarium indicet. Igitur ita hæc diſſenſio Suetonii Senecæ & Plinii tolli poteſt, nempe ſi dicamus, quod immanis hæc Druidarum conſuetudo licet ab Octavio & Tiberio abrogata fuerit juxta Plinium & Suetonium, tamen poſtli[minio] rurſus in Galliam & Romanam Rempublicam irrepſerit, quam tamen Claudius

quam-

quamvis in immolatione & mactatorum Senatorum & Equitum illorum (de quibus ſupra ex Seneca) imitatus fuerit, nihilominus poſtea penitus abolevit ſecundum Suetonium. Hanc meam ſententiam probat, & ex ſuperioribus illuſtratur Lucanus lib: I. de Bello Civili.

Et vos Barbaricos ritus, moremque ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ poſitis repetiſtis ab armis.

Quibus verbis indicare videtur, quod Galli & Druidæ adeo mordicus crudeli huic & abominabili religioni, dirisque hominum ſacrificiis inheſerint, ut ea licet non ſemel abrogata & antiquata, ſemper tamen repetierint & renovaverint & ad tempora Procopii continuaverint, ut alibi vidimus. *Romani ad* dira & cruenta hæc hominum ſacrificia Salium & pontifices adhibuere teſte Dione lib: XLIII. In devotione Deciorum Patris & Filii Romanorum Conſulum *P*ontifex etiam Choragus fuit. In capite XVII. pag: 265. libri prioris hanc Deciorum Hiſtor: breviter tantum occaſione data perſtrinximus:

mus: hoc vero loco, in enarrandis ritibus, quibus homines olim immolati ſunt, omnes ceremonias huic devotioni & immolationi adhibitas curioſis oculis ſubjiciemus. Exhibet eas in Decio Patre T. Livius lib: VIII. pag: 242. & Sextus Aurelius Victor de Conſul. & Viris Illuſtr. cap: 26. pag: 346. atque Valerius Maximus lib. v. cap: 6. §. 5. pag: 237. quorum verba conjungemus, ne hiſtoriæ filum abrumpatur. P. Decius Pater Conſul bello Latino, collega Manlio Torquato fuit, poſitisque apud Veſerim caſtris ad Capuam, ubi Latini Sociique convenerant. Ibi in quiete utrique Conſuli eadem dicitur viſa ſpecies viri majoris, quam pro humano habitu anguſtioriſque dicentis: Ex una acie Imperatorem, ex altera exercitum Diis Manibus Matrique Terræ deberi. Utrius exercitus Imperator legiones hoſtium ſuperque eas ſe devoviſſet, ejus populi partisqe victoriam fore, tum collato cum Collega ſomnio, comparant inter ſe, ut ab utra parte cedere Romanus exercitus cæpiſſet, & cujus cornu in acie laboraret, inde ſe

Couſul

Conſul pro populo Romano Quiritibuſque Diis Manibus devoveret. Cum jam Decius in prælio Romanam aciem inclinatam & pene jam poſtratam in ſua parte videret, in hac trepidatione M. Valerium magna voce inclamat: Deorum, inquit, ope Valeri opus eſt; agedum *P*ontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus devoveam. *Pontifex eum togam prætextum ſumere juſſit, & velato capite manu ſubter togam ad mentum exerta, ſuper telum ſubjectum pedibus ſtantem ſic dicere:* Iane, Iupiter, Mars, Pater Quirine, Bellona, Lares, Divi Novenſiles, Dii Indigites, Divi, quorum eſt poteſtas noſtrorum hoſtiumque, Diique manes vos precor, veneror, veniam peto feroque: uti populo Romano Quiritium vim victoriamque proſperetis, hoſteſque populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi; ita pro Republ: Quiritium exercitu, legionibus, auxiliis *P*opuli Rom: Quiritium, legiones auxiliaqne mecum Diis Manibus Tellurique devoveo. *Hæc ita precatus Li-*

tus Lictores ire ad T. Manlium jubet, matureque Collegæ ſe devotum pro exercitu nunciare. Ipſe incinctus cinctu Gabio armatus in equum inſiluit, ac impetu facto & concitato equo in medium hoſtium agmen patriæ ſalutem ſibi mortem petens irrupit: factaque ingenti ſtrage, plurimis telis obrutus, ſuper corruit. Ex cujus vulneribus & ſanguine inſperata victoria ſuis emerſit. De *ceremoniis devotionis Decii Filii* iidem V. Maximus §. 6. Victor cap: 27. & Livius lib: x. pag: 346. *Publius Decius Decii filius quarto conſulatu cum Fabio Maximo, cum Galli, Samnites, Umbri, Tuſci contra Romanos conſpiraſſent, patris exemplum ſecutus eſt: nam ibi exercitu in aciem ducto, & cornu inclinato patrem* P *Decium nomine compellans*; Quid ultra moror, *inquit*, familiare fatum? Datum hoc noſtro generi eſt, ut luendis periculis publicis piacula ſimus. Iam ego mecum legiones hoſtium mactandas Telluri ac Diis manibus dabo. *Hæc locutus M. Livium Pontificem, quem deſcendens in aciem digredi vetuerat à ſe, præire juſſit verba, quibus ſe legioneſque hoſtium*

hoſtium pro exercitu Populi Romani Quiritium devoveret; devotus inde eadem precatione, eodemque habitu, quo pater, haſtæ inſiſtens & ſolemnia verba reſpondens ſe & hoſtes Diis Manibus devovit: cum ſecundum ſolemnes precationes adjeciſſet; præ ſe agere ſeſe formidinem ac fugam, cædemque ac cruorem: Cæleſtium infernorumque iras: contacturum funeribus diris ſigna, tela, arma hoſtium: locumque eundem ſuæ peſtis & Gallorum ac Samnitium fore: *hæc execratus in ſe hoſteſque, qua confertiſſimam cernebat Gallorum aciem, concitat equum, inferenſque ſe ipſis telis, interfectus eſt*, & ita *perditas vires urbis Romæ correxit, & ſuis victoriam reliquit.* De his Deciis ita etiam Auguſtinus de civitate Dei lib: v. cap: 18. pag: 316. *Si ſe occidendo* certis verbis *quodammodo* conſecrantes *Decii devoverunt.* C. Plinius Natur. Hiſtor. lib: xxII. cap: 5. P. *Decius Mus Conſul ſe pro victoria devovit.* Seneca lib: vI. de beneficiis cap. 36. pag. 361. *Nihil Roma debet Deciis, quod morte Patriam ſervaverunt, ſi prius optaverant, ut de-*

votio-

votioni fortiſſimæ locum ultima rerum neceſſitas faceret. Rurſus in epiſtola LXVII. pag. 502. *Decius ſe pro Republica devovit, & in medios hoſtes concitato equo mortem petens irruit. Alter poſt hunc paternæ virtutis æmulus*, conceptis ſolemnibus *ac jam familiaribus* verbis *in aciem confertiſſimam incurrit, de hoc ſolicitus tantum, ut litaret.* Addatur Propertius lib. III. eleg. 9. pag. 722.

Curtius expletis ſtatuit monimenta lacunis,
At Decius miſſo prælia rupit equo.

Cicero in Catone *Decii ad voluntariam mortem equos incitavere* Plutarchus in libello on vitiolit: ad felicit. ſuffic. pag. 499. Decio ita ſcribit. *Decius Romanus Imperator* τῶ ϛρατοπέδων ἐν μέσῳ πυραννησάς, τῷ Κρόνῳ κατ' ἐυχὴν αὐτὸς ἑαυτὸν ἐκαλλιέρησιν ὑπὲρ τῆς ἡγεμονίας *extructo in medio exercituum rogo, ex voto pro patria principatu Saturno immolavit ſe. Peſſime* hic vocem Græcam πυραννήσας interpres Plutarchi Gulielmus Xilander vertit *extructo rogo*; nam præterquam, quod nulli authores aſſerant, aliquem ex De-

ciis

ciis per ignem immolatum eſſe, cum omnes ſupra laudati Scriptores contrarium clament, vox illa ipſa Græca eam opinionem & verſionem Xilandi ut ridiculam ſubſannat, & abſurditatis convincit. Nam qui Græcam linguam primis tantum guſtaverunt labris, ſciunt, quod τυραννέω & τυραννεύω denotet *tyrannidem exerceo, tyrannum ago, & regno.* Et cum Xilander forſitan non caperet, quomodo *tyrannidem exercere* hic locum haberet, in illum incidit errorem. Sed egregie *Plutarchus* τυραννήσας *tyrannidem exercens* dixit, quo denotaret ingentem illam cædem hominumque lanienam, quam, poſtquam tyannice ſe ipſum devoviſſet, Decius medio in hoſtium exercitu ſæviendio inſtar Tyranni edebat; ſicut apparet ex præcedentibus cum *Plutarcho* collatis. De eiſdem *Deciis* etiam ita ſcribit Lactantius l. III. c. 12. p. 149. *Sicut Thebis Menecæus, Romæ Curtius, Mures & duo Decii propter ſalutem civium voluntariæ ſe neci obtulerunt.* Michael Thomaſius in notis ad Lactantium dicit, in antiquis codicibus legi *Mutius,*

in impreſſis *Mures*. Sed forſitan verba per Librarios & Notarios fuerunt tranſpoſita,& ita legi debent: *Et duo Decii Mures*; Nam *Mures fuiſſe cognominatos* ex S. Aurelio Victore patet. Quid ſi corrigamus *Mus & duo Decii*: nam præter *P.* Decium patrem & filium, *eorum nepos Decius Mus* etiam *ut victima pro patriæ ſalute devota in prœlio* occubuit, quod cum Librarii neſcirent *pro Mus & duo Decii* correxerunt *Mures et duo Decii* aut *Mutius et duo Decii:* quidquid de hac re ſit, hoc certum eſt, quod de Deciorum Nepote Decio Mure diximus, teſtante Cicerone lib. 1. Tuſculan. Quæſt. fol. 57. a. *Non cum Latinus decertans pater Decius, cum Hetruſcis filius, etiam cum Pyrrho nepos ſe hoſtium telis objeciſſent.* & in libro 11. de Finib. *Non eſſet Decium patrem imitatus quarto Conſulatu filius, neque porro ex eo natus cum Pyrrho bellum gerens conſul cecidiſſet in prælio, ſeque è continenti* tertiam victimam *Reipublicæ præbuiſſet.* Hunc tertium S. Aurelius Victor cap. 36. de Viris Illuſtr. nominat *Decium Murem.* Hoc autem ſilentio in-

tio involvere nequivi, quod ſupra in T. Livio bis aut ter legatur *populus Romanus Quiritium*, quod etiam me apud Ciceronem legiſſe, ni fallor, memini, ſed locum inquirere jam non vacat; Unde autumo literas has S. P. Q. R, ubicunque occurrant, eſſe explicandas *Senatus. Populus Quiritium Romanus.* non vero ſicut ad hoc uſque tempus omnes vulgo interpretati ſunt. *Senatus; Populus Que Romanus*; nam quorſum attineret, vocem que (quæ hic nihil ad rhombum facit, & mera eſt conjunctio,) majori litera ſcribere & tribus reliquis literis adiicere? Ita etiam rurſus Livius lib. 1. cap. 31. *Homineſque priſci Latini adverſus populum Romanum Quiritium fecerunt deliquerunt, quod Populus Romanus Quiritium bellum cum priſcis Latinis juſſit eſſe.* De Deciorum Hiſtoria porro conſule præter Virgilium Æneid. VI. pag. 262. & *Au*thores ſupra nominatos, omnes illos Scriptores, quos in libro primo cap. XVII. pag. 265. exhibemus, ad quod Lectorem remittimus. Sed ad viam. *Hæ Humanæ Victimæ Haſta* feriebantur &

immolabantur ab Albanis et in Salamine juxta Porphyrium lib. II. Quando aliquis Regem Lovanghe in inferiori Æthiopia bibentem conſpexit, ſtatim *malleo ferreo* naribus ejus impacto occiditur, & Diabolo immolatur teſte Dappero, Et (Veneti) *legatos Romanos ut victimas ſecuri percuſſerunt*; ſicut Iornandes de Regn. Succeſſ. pag. 65. ſcribit. Sed ut plurimum *enſis* ad dira hæc ſacra adhibebatur, quem Cointhus Smyrnæus lib. XIV. θοὸν ἄορ vocat. Adde Pauſaniam lib. IV. pag. 294. Æuripides in Iphigenia in Aulide idem docet

φασγάνῳ λευκὴν φονεύων τῆς ταλαιπώρου δέρην.

Cædens gladio candidam cervicem miſeræ puellæ.

Enſis hic in mactatione Iphigeniæ *in aureum calathum* κανοῦν χρυσήλατον *extractus ex vagina* à Sacerdote deponebatur.

CAP. XVI.

Victimæ humanæ explorabantur; per ſortem eligebantur, Signabantur, Heliodorus explicatur; Cuſto-

Cuſtodiebantur ; Vinciebantur ; Plautus illuſtratur. Pretioſis veſtibus ornabantur ; capita immolandorum vittis cingebantur , & coronabantur : alia circumſtantia adhibita.

Æ Thiopes priuſquam immolarent homines , ſequenti modo *explorabant, an virginitatem conſervaſſent* intemeratam, teſte Heliodoro lib: IX. Æthiopoc: *Hac dicente & ſimul illacrumante , celareque id eos , qui aderant conante , adferri focum Hydaſpes juſſit. Collectis igitur pueris impuberibus ex multitudine miniſtri (ſolis enim ejuſmodi ſine ullo detrimento attingere licet) efferebant è templo , & in medio collocarunt , conſcendere quemlibet captivum jubentes , ac ex his quicunque conſcenderant ſtatim in plantâ adurebantur , cum ne primum quidem & ad exiguum tempus contactum quidam ſuſtinuiſſent : aureis quidem verubus foco intertexto : porro ad eam efficaciam elaborate , ut quem libet immundum , & alioqui eum , qui pejeraſſet , adureret. & è contra eorum , qui ſecus ætatem egiſſent , ſine ullo detrimento greſſum admitteret. Quam ob rem hos , Baccho et aliis Deis deſtinabant ,*

præter duas forte aut tres Græcas, quæ cum focum conſcendiſſent, virginitate ſalva eſſe deprehenſæ ſunt. Apud *Carthaginienſes forte* ducebantur & *eligebantur immolandi*, teſtante Silio Italico lib: IV. fol: 46.

Urna reducebat miſerandos annua caſus.

C. Schotanus in deſcriptione Friſiæ de *Friſionibus* idem docet. *Conſueverant Friſones Deis immolare non ſolum reos, ſed etiam captivos, imo per ſortitionem populares ſuos.* De *Achæis* Appianus Alexandrinus de bello Mithridat: pag: 161. *Cherſoneſi incolis* Philarchus apud Hyginum. *Meſſeniis* Pauſanias lib. IV. pag: 276. de *Italiæ incolis* Halicarnaſſeus lib: I. cap. 24. Antiquit. Romanar. *de Athenienſibus* Libanius Sophiſta Declamat. 43. & Servius Honoratus ad lib: VI. Æneid. *Ob mortem Androgei Minois filii, ab Athenienſibus, iis victis pœnam indixit, ut quotannis ſeptem filios, ſeptem filias edendos Minotauro darent, quos illi, ut commune omnibus eſſet periculum, ſorte delegebant.* Verum enim vero Hellanicus refert apud Plutarchum in Theſeo pag. 7.

Οὐ τὰ-

Οὐ τοὺς λαχόντας ἀπὸ κλήρου καὶ τὰς λαχούσας ἐκπέμπειν τὴν πόλιν, αὐτὸν δὲ τὸν Μίνω παραγινόμενον ἐκλέγεσθαι. *Non ſorte ductos pueros, puellaſque civitatem miſiſſe, ſed Minoa delegiſſe præſentem.* Ab æthnicis autem etiam illæ *Victimæ humanæ* quo Diis magis acceptabiles eſſent, ſaginari ſolebant. teſte Felice in Octavio p. 112. De Æthiopibus idem Heliodorus lib: IX. Nunc enim ſæpe à cuſtodibus audivimus, ὡς ἱερεῖα φερόμεθα quod alamur victimæ Diis, qui Meroa præſunt immolandi. Sic Albani annuis epulis ſumptuoſius hominem huic ſacrificio deſtinatum alebant, & Maſſilienſes integro anno publicis & purioribus cibis ſaginabant; teſte P. Arbitro pag: 149. & ex illo Servius ad III. Æneid: illud docet. De Americanis P. Martyr decade VI. cap: 6. p. 451. Quiſque namque aut nobilis ab infantia domi nutrit mactandas victimas pro ſuis opibus, & his non ignaris ad quid ſerventur, & lautius quam cæteri paſcantur, neque ob id mæſtis. Rurſus idem P. Martyr de Novo Orbe decade IV. cap: 8. p. 314. *Populus pu-*

eris deficientibus ſervos precio emptos laute depaſtos, & ornatos pretioſis veſtibus ſuis zemibus deſtinant ſacrificandos. Dum autem alebantur, à cuſtodibus quibuſdam cuſtodiebantur apud Æthiopes, ut caſti & ab omni macula intacti ſervarentur: Heliodorus lib: IX. Æthiop: φολαττειν, *Et victus ſplendidus illis* (Charicleæ & Theagyni) *ſuppeditaretur, atque ab omni contaminatione & macula vacui, tanquam victimæ quædam aſſervarentur: tum ut vincula permutarentur, et aurea illis iniicerentur.* Rurſus. *Sequatur et hic inquit*, (nempe eunuchus) *non tanquam victima, ſed tanquam alterius victimæ virginis hujus cuſtos, ut nobis caſta uſque ad tempus ſacrificii ſervetur.* Et iterum in eodem libro ita loquitur; Nunc enim ſæpius à cuſtodibus audivimus, quod alamur victimæ Diis, qui Meroæ præſunt immolandæ. *A*nte ipſam immolationis diem ſanguine victimam eam commaculari nefas erat. Idem Heliodor: lib: x. παλαίειν δ' ὅμοσε καὶ ἐν ξιφήρει πυκτεύειν χρεών. αἷμα γὰρ ἐκχεόμενον ὁ θῆφραι πρὸ τοῦ καιροῦ τῆς θυσίας οὐ θεμιτόν. Cæterum

luctari

luctari & non digladiari te oportet. Siquidem ſanguinem effuſum ante ſacrificium (humanum) conſpici fas non eſt; Verum enim vero Servus immolandus in S. Thomæ inſula herbis & radicibus mundabatur, teſte Vincentio le Blank parte I. cap: 12. Sed *Americani* per dies viginti immolandos circumcidunt (ut exiſtimo munditiæ gratia.) Tranſeuntes per vicos oppidam ſuppliciter ſalutant, veluti propediem inter cælites annumerandos, ſicut ſcribit P. Martyr de novo Orbe decade IV. cap: 8. p. 314. *Aureis* vinculis vincti erant apud Æthiopes, juxta Heliodorum lib: IX. Æthiop. *Sic* Rex *Cyrus* Cræſo in holocauſtum Deis comburendo catenas ex auro confectas injecit; *Auſonio* teſte *Sapient.* Lud. & Herodoto lib: III. Eodem etiam modo *Sapor* Perſarum Rex ab *Arſace* Parthorum Imperatore argenteis catenis ligabatur captus; Ammianus Marcellinus lib: XXVII. Et ita *Syphax* à Romanis in triumpho per urbem ducebatur; velut oſtendit *Silius* Italicus lib: XVII. adde Senecam *Agamemn:* Troas. Unde Ter-

tullianus de habitu Muliebri cap: 4. Auro vinctos in ergaſtulis habent: Et Iunonem aureis catenis conſtrictam fuiſſe fabulatur antiquitas, vide Theopompum in Cypriaco carmine: Hellanicum in Philol: Dion in Nerone lib: LXIII. Hiſtor: de illo ita etiam loquitur, *In muliebri quidem ornatu Sabinam imitabatur, vinciebaturque catenis aureis, non enim convenire videbatur, Principem Romanum ferreis conſtringi.* Aliis etiam catenis & vinculis homines immolandi conſtricti tenebantur juxta Apollodorum lib: II. Biblioth: De Oreſte Ovidius de Ponto lib: III. pag: 288.

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram
Evincti geminas ad ſua terga manus.

Euripides in Iphigenia in Tauris.

ἀλλ' ὅιδε χέρας δέσμοις διδύμοις
Συνερεισθέντες χωρεῦσι νέον
πρόσφαγμα θεᾶς.
Verum iſti manus geminis vinculis
Vincti veniunt nova
Deæ victima.

Hinc illuſtrare & intelligere poſſumus Plau-

Plautum, qui bubulis coriis vincula intelligere videtur, quibus Carthaginienſes hoſtias humanas vinciebant, antequam immolarentur. Ita *P*lautus in Amphitryone.

Tun' me mactes carnifex? niſi formam
Di hodie meam perdiunt
Faxo, ut bubulis coriis onuſtus ſis Saturni hoſtia.

Lycus Lybiæ Rex Diomedem Marti immolandum *vinculis* etiam conſtrinxerat juxta *P*lutarchum in *P*aral. pag: 311. Apud Rhodios in catenis ſervabatur mactandus; *P*orphyrius lib: II. de abſtinent. & apud Albanos; Cæl. Rhodiginus lib: XVIII. cap: 27. pag: 1018. Græcos; Virgilius lib: I. Æneid. pag. 138. De *Ægyptiis* Achilles Tatius lib: III. Amor. pag: 75. Βωμὸς δέ τις αὐτοῖς αὐτοσχέδιος ἦν πηλοῦ πεποιημένος, καὶ τάφος τοῦ βωμοῦ πλησίον ἄγουσι δὴ τίνες δύο τὴν κόρην, ὀπίσω τὼ χεῖρε δεδεμένην. *Ii aram quandam ex luto juxtaque ſepulchrum ex tempore conſtruxerant, ac viri duo puellam, manibus poſt tergum revinctis eo adduxerunt.* Sed *Scythæ vincula ſolvebant*, cum immo-

latio immineret. Euripides in Iphigenia in Tauris.

μέθετε τῶν ξένων χέρας
ὡς ὄντες ἱεροὶ, μηκέτ᾽ ὦσι δέσμιοι.

Solvite hoſpitum manus
Ut exiſtentes ſacri non ſint amplius vin-ēti.

Americani eos, qui mactarentur, *pretioſis amiciebant veſtibus* teſte Matyre de novo orbe Decad. IV. cap: 8. pag: 314. Idem *P.* Martyr deſcript. Novi Orbis dec. VI. cap: 6. (Homines immolandi) per pagos liberi deambulantes, ab obviis quibusque pro jam heroibus reverenter ſuſcipiuntur & poſtulatis omnibus ſive ad eſum, ſive ad ornatum quid petunt, onuſti dimittuntur. Ita etiam eos puris & pretioſis veſtibus exornant quidam Africanorum, teſte Dappero, & *S.* Thomæ incolæ juxta Vinc. le Blanck part: I. cap: 12. Et apud Græcos compte veſtiebantur; Cointhus *S*myrnæus lib: XIV. Immolandorum tempora & capita vittis & infulis etiam erant redimita & exornata, Iuvenalis *S*atyr. XII. pag: 104.

Alter

Alter enim, ſi concedas mactare, vovebit
De grege ſervorum magna & pulcherrima quæque
Corpora, vel pueris et frontibus ancillarum
Imponet vittas.

Flaccus Argonaut. lib: 1. de Phryxo immolando.

Ut ſteterit redimitus tempora vittis
Phryxus, et injuſtus contectus nubibus aras
Fugerit.

Ovidius Faſtor. lib: IV. pag. 106. de *Pylade et Oreſte.*

Protinus evicti triſtem ducuntur ad aram,
Quæ ſtabat geminas ante cruenta fores.
Et jam conſtiterat ſtricto mucrone ſacerdos
Cinxerat & Graias barbara vitta comas.
Cum vice ſermonis fratrem cognovit, & illi
Pro nece complexus Iphigeneia dedit.

Læta Deæ ſignum crudelia ſacra peroſa
Tranſtulit ex illis in meliora locis.

Ovidius de Ponto lib: III. pag: 288.

Dumque parat ſacrum, dum velat tempora vittis.

Adde Virgilium lib: I. Æneid. pag: 138. De *infulis* ita Hyginus fabul: xxxI. Buſiridem in Ægypto, qui hoſpites immolare ſolitus erat, hujus legem cum audiit, paſſus eſt ſe cum infula ad aras adduci; Buſiris autem cum vellet Deos imprecari, (*precari*) Hercules eum clava ac miniſtros ſacrorum interfecit. Idem Hyginus fabula II. de *P*hryxo Ino Cadmi & Harmoniæ filia cum Phryxum & Hellen interficere voluiſſet, iniit conſilium cum totius generis matronis, & conjuravit, ut fruges, in ſementem quas daret, torrerent, ne naſcerentur. Ita ut cum ſterilitas & penuria frugum eſſet, civitas tota partim fame, partim morbo interiret. De ea re Delphos mittit Athamas Satellitem; Cui Ino præcepit, ut falſum reſponſum ita referret; Si *P*hryxum immolaſſet Iovi, peſtilentiæ fore finem; Quod cum Athamas ſe facturum abnuiſſet,

*P*hryxus

Phryxus ultro ac libens pollicetur, ſe unum civitatem ærumna liberaturum. Itaque cum ad aram cum infulis eſſet adductus *& pater Iovem comprecari vellet, ſatelles miſericodia adoleſcentis Inus Athamanti conſilium patefecit.* Ovidius de Ponto lib: III. pag: 288. idem docet.

Ambiat ut fulvas infula longa comas.

Cum Coreſus Iuvenis Callirrhoen virginem, quam perdite deperibat, ad amorem inflectere nequiret, ſupplex ad Liberi ſignum confugit. Non fuit irrita Sacerdotis precatio, ſiquidem inceſſit ſtatim Calydoniis ebrietati perſimilis quidam furor, ex quo paſſim populari veſaniæ morbo interibant. In ea lue Dodonæum oraculum conſultum reſpondit placandum Liberum, cujus ira tantam apportaſſet pernitiem. Eſſe vero placandi Numinis unam illam rationem, ſi ad ejus aram Coreſus immolaſſet Callirrhoen, vel alium, qui ſe pro illa devoviſſet. Cum puella cædi deſtinata, & cum infulis ad aram jam deducta fuiſſet, Coreſus ipſe, qui ſacris præerat amore victus ſe ipſum pro illa occidit. *Commota*

hoc

hoc ſpectaculo Callirrhoe etiam ſemet jugulavit, ſunt verba Pauſaniæ in Achaicis lib: VII. p. 513. Has *vittas* & *infulas* forte *per veſtes ſacras* exprimit Petron. Arbiter, *quibus mactandos induebant* & *verbenis exornabant Maſſilienſes* Arb: Satyr: p. 149. Imo & illi, qui immolarentur *coronabantur*. Docet Herodotus lib: VII. pag: 436. Xerxi ad littoralia Achaiæ tendenti, perductores ſui cuncta referre cupientes, enarrabant id, quod de templo Iovis Aphlyſtii ab indigenis enarratur: Athamantem Æoli filium, inito cum Ino conſilio necem Phryxo machinatum: Deinde Achæos ex oraculo tale certamen illius poſteris propoſuiſſe, ut qui ex eo genere maximus natu eſſet, huic aditu prytanei, (*quem Leitum Achæi vocant*) interdiceretur: ipſis exubias agentibus, ut ſi quis adiſſet, non prius exire poſſet, quam mactandus eſſet. Ita multos, cum jam mactandi eſſent, eo metu in aliam profugiſſe regionem: interjecto deinde tempore, cum reverſi eſſent, & in *Prytaneum* ingreſſi, ſi eſſent deprehenſi, toto corpore coronis cooperto, *& cum*

pompa

pompa eductos mactari conſueſſe. Ita *Iphigenia* Dianæ immolanda *coronis ornata* ducebatur. Euripides in Iphigenia in Aulide.

σὲ δ' ἐπὶ κάρα στέψουσι καλλικόμαν
πλόκαμον ἀργεῖον χ', ἅλιᾶν.

Te vero Iphigenia coronabunt in capite pulchricomam
Nexis florum coronis Græci.

Euripides Heracl: de *Macaria* Herculis filia *Cereri mactanda.*

καὶ στεμματοῦτε, καὶ κατάρχεσθ', εἰ δοκεῖ.

Et coronate ſertis, & immolationis initium facite, ſi videatur.

Ita etiam *pueri & puellæ*, qui *Triclariæ Dianæ* quotannis *immolabantur*, (eo quod re venerea corpora commiſcentes Melanippus & Comætho ejus templum profanaſſent) *ſpiceis coronis coronati ad aram ducebantur*, ſicut patet ex *P*auſania lib: VII. pag: 510. Heliodorus lib: x. Æthiop: idem de Æthiopibus teſtat. ὦ νεανία, πρὸς αὐτὸν ἔφη, στεφανωθῆναι μὲν σε καὶ ἐπὶ ταῖς θυσίαις ὡς ἔθος, ἀπόκειται; *O adoleſcens (ad ipſum inquit.) ut coroneris etiam ad ſacrificia, ſicuti moris eſt,*

adhuc

adhuc reſtat. De illo, qui ob graſſantem peſtem immolaretur, Libanius in declamatione XLIII. Magi accuſation: idem docet. Εϛεμμένος ἄπεισιν ἅμα ϛπονδῆ καὶ εὐχαῖς. μέγαν ὑπὲρ αὐτοῦ καταλιμπάνων λόγον. *Coronatus abit cum libaminibus & votis, magnum de virtute ſua rumorem relinquens.* Ad aram fulminis *coronatus* ut victima *à filia* Medullina *immolatus eſt Aruntius*; ſic intellige Ariſtidem lib. III. Rerum Italicarum. & Plutarchum in Parall: p. 310. Romæ cum celebrarentur liberalia, Aruntius, qui ab ortu ſuo fuerat abſtemius, vim Liberi Patris deſpicatui habuit. A quo in ebrietatem conjectus filiæ ſuæ Medullinæ virginitatem per vim eripuit. *Ea ex annulo violatorem agnoſcens, majus ætate ſua meditata facinus patrem inebriavit,* καὶ ϛεφανώσασα ἤγαγεν ἐπὶ τὸν βωμόν τῆς ἀϛραπῆς, καὶ δακρύσασα ἀνεῖλε, *ac coronavit, adductumque ad aram fulminis, illacrymans interfecit eum.* Servus Divo Thomæ in ſacrificium *offerendus pileum capiti impoſitum ex floribus contextum*, & in medio cruce exornatum geſtabat. *Sacerdos* autem

tem *victimarum* harum humanarum *caput coronabat*, ut patet ex Euripide Iphigen: in Aulide. Qui veluti piaculum & pharmacum olim morte ſua terram aut urbem peſte afflictam expiaret, luſtraret, & liberaret, *caſeo*, *offa*, atque *ficubus donabatur*, & *in veretro ſepties ſcillis*, & *ficubus agreſtibus cædebatur*, aliisque circumſtantiis immolabatur, teſte Tzetza alibi citato chil: v. pag: 23. Addatur Hipponax.

βάλλοντες ἐν χειμῶνι, καὶ ῥαπίζοντες,
κράδησι καὶ Cκίλλησιν ὥσπερ φαρμακόν.
δεῖ δ' αὐτὸν ἐς φαρμακὸν ἐκποιήσασθαι.
κἀφῆ παρέξειν ἰχάδας τε καὶ μάζαν,
καὶ τυρὸν, οἷον ἐσθίοισι φαρμακοί.
πάλαι γὰρ αὐτοὺς προσδέχονται χάσκοντες,
κράδας ἔχοντας, ὡς ἔχοισι φαρμακοῖς.
λίμῳ γένεται ξηρὸν, ἐν δὲ τῷ θυμῷ
ὁ φαρμακὸς ἀχθεὶς ἑπτάκις ῥαπισθείη.

Petentes in hyeme, atque alapis cædentes
Ramis atque ſcillis, tanquam pharmacum.
Oportet ipſum in pharmacum effingere,

Caphen

Caphen exhibere ficus atque offam,
Et Caſeum, qualem comedunt pharmaci.
Iam pridem enim ipſos accipiunt, attendentes,
Ramos habentes, ut habent pharmacis:
Ex fame fiet aridus, in animo:
Pharmacus triſtis effectus, ſepties palmis vapulaverunt.

Maſſilienſes in eum, qui peſtem urbe expelleret immolatione ſua, *omnes exſecrationes coniiciebant*, quas ferret, atque illum per totam urbem ita quaſi *in pompa circumducebant* Petronius Arbiter Satyr: pag: 149: *Maſſilienſes quotiens peſtilentia laborabant, unus ſe ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis et purioribus cibis. Hic poſtea ornatus verbenis et veſtibus ſacris circumducebatur per totam civitatem cum exſecrationibus, ut in ipſum reciderent mala civitatis: et ſic proiiciebatur.* Libanius Sophiſta dicit, quod ille, qui oppidum peſte afflatum ſanguine ſuo luſtraret, ἅμα εὐχαῖς *cum votis duceretur*, Declamat: XLIII. Magi Accuſat: Imo *victimam* ad locum immolationi de-

oni deſtinatum *ducere conſueverunt*, ſicut teſtatur Cointus Smyrnæus lib. xiv.

ποτὶ τύμβον Ἀχιλλῆος ἀπονέοντο
τὴν δ' ἄγον

Ad buſtum Achillis redeunt,
Et Polyxenam ducunt.

Et *Rhodii* mactandum Saturnalibus *extra portas deducebant*, & inſpectante Magiſtratu occidebant. Porphyrius lib. II. Euripides in Iphigenia in Aulide idem de Græcis aſſerit.

Sic Deæ tuam filiam ſponſam (*Aga*memnon)
Dicens victimam pro Dinais ἄγεις *ducebas.*

Sacerdos femina apud Scythas *ancillas habebat*, quæ illi in obeundis his horrendis ſacris famularentur ex fide Euripidis in Iphigen: in Tauris.

Σὺν προσπόλοισιν, ἅς ἔδωχ' ἡμῖν ἄναξ
Ἑλλωίδας γυναῖκας.

Cum ancillis, *quas nobis* (ſacerdoti Dianæ Tauricæ) *dedit*
Rex Græcas mulieres.

Erant *etiam ſacri cuſtodes*, qui aut templum aut victimam cuſtodiebant. Euripides

pides in Iphigenia in Tauris.

εἰσ' ἔνδον ἱεροὶ φύλακες. *Sunt intus* (in templo Dianæ Tauricæ) *ſacri cuſtodes.*

CAP. XVII.

Immolandi mola ſalſa conſpergebantur. Ignis accendebatur. Victimas luſtrabant libaminibus, & aqua lavabant. Liquorem libabant Diabolo ante immolationem: alia quadam circumſtantia. Sacerdos victimam ara imponebat, & preces effundebat. Hymnos canebant; &c.

M*Ola ſalſa* etiam *has victimas* ante immolationem *conſpergebant*, aliaſque ceremonias adhibebant, unde *immolare* eſt *victimam mola ſalſa conſpergere*, teſte Scheffero in lib: IV. fab: 23. *Phædri.* De hoc ritu videatur Euripides in Iphigenia

ὑμεῖς δ' ἐπευφημήσατ' ὦ νεάνιδες
παιᾶνα, τῇ μῇ ξυμφορᾷ, Διὸς κόρῳ
Ἄρτεμιν ἴτω δ' Δαναΐδαις εὐφημία.
κανᾶ δ' ἐναρχέσθω τις, αἰθέσθω δὲ πῦρ
προχύταις καθαρσίοισι.

Vos vero ò puellæ accinite

Cala-

Calamitatis meæ Pæana ad Iovis filiam
Dianam veniat autem bonum omen Græ-
cis.
Caniſtra igitur aliquis depromat, & ſa-
cra auſpicetur, & accendatur ignis
Molis ſalſis luſtralibus.

Horatius lib: II. Satyr: 3. idem docet.

Tu cum pro vitula ſtatuis dulcem, Au-
lide natam
Ante aras, ſpargiſque mola caput im-
probe ſalſa.

Cointus Smyrnæus lib: XII. de Sinone loquens.

Ἐννεσίῃ ὀδυσῆος ἐμοὶ μενέαινον ὄλεθρον,
ὄφρα με δηώσωσι, δυσηχέος ἄγχι θα-
λάσσης
δαίμοσιν εἰναλίοις, ἐμὲ δ' οὐ λάθον, ἀλλ'
ἀλεγεινὰς
Σπονδάς τ' οὐλοχύτας τε μάλ' ἐσσυμένως
ὑπαλύξας &c.

Necem mihi Vlyſſis conſilio intentabant,
Quo me undiſonum prope ſalum hoſtium
ritu mactarent
Diis marinis. me tamen non fefellerunt:
ſed è triſtibus

Liba-

Libaminibus moliſque ſalſis citato curſu elapſus (ſum) &c.

Virgilius Æneid: lib: I. pag: 138. de eodem.

Iamque dies infanda aderat: mihi ſacra parari.
Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.
Eripui fateor leto me, et vincula rupi.
Vos aræ, enſeſque nefandi
Quos fugi, vittæque Deum, quas hoſtia geſſi.

Æditum in Cypri inſula *in urbe Piſſa rogum accendebat*; cum interea *victimæ ad limen templi ſtarent*, & *Sacerdos ſtrictum gladium vibraret*; ut docet Prodromus lib: VII. Amor: *Ignis* etiam *apud Græcos* tali occaſione *accendebatur*; Hunc *ignem* πῦρ ἱερὸν *ſacrum ignem* vocat Euripides Iphigen: in Tauris, & *Germani* hunc è *lapidibus eliciebant*, teſte Olao Wormio Monument: Danicor: lib: I. cap: 3. & σέλας λαμπάδων *fulgorem lucernarum* ad purificationem etiam adhibebant *Græci*: Euripides Iphigen: in Tauris. Uſurpabant & *libamina*, ut ita & victimæ & ipſi lu-

ipſi luſtrarentur, qui dira iſta ſacra obirent, *quæ* σπογδάς & σπονδὴν vocant Cointhus Smyrnæus lib: XII. & Libanius Declamat. XLIII. De his *luſtrationibus* Euripides Iphigen: in Tauris.

χέρνιβας δ' ἢ καὶ κατάργματα
οὐκ ἂν φθάνοις, ἂν εὐπρεπῆ ποιουμένη.
Lavacra igitur & initiationes
Non maturabis decenter parare (victimis humanis)?

Hinc intelligitur Lucianus in Toxar: pag: 596. καὶ ἡ Ἰφιγένεια κατάρχεται αὐτῶν. *Et Iphigenia initiat eos. Adde* Euripidem in Iphigen: in Aulid: qui docet, quod *Victima* immolanda *prope hoc* purificationis *lavacrum ſtabat.*

χερνίβων γὰρ ἑστήξῃ πέλας.
Adſtabis enim (Iphigenia Dianæ mactanda) *prope lavacrum.*

Sacerdos autem miſeros hos *homines* hac *aqua abluebat* Euripides in Iphigenia in Tauris.

Quare ergo (Sacerdos Iphigenia) *non ſunt in promptu lavacra et enſis tuus*
(quo hoſpites mactabis.)
Prius eos volo lavare purificatione religioſa

gioſa καθαρμοῖς (in mari Oedypum nempe ſanguine & materno paricidio infectum.)

Ovidius de Ponto lib: III. pag: 288. *de immolandorum lavatione.*

Sparſit aqua captos luſtrali Graia Sacerdos.

Et *Sacerdos* ante immolationem quoque *ſe aqua luſtrali conſpergebat.* Euripedes Iphigenia in Tauris.

θνήσκουσι δ' ὧς ἂν χέρνιβες βάλλωσί με.

Moriuntur enim hoſpites (victimæ) ubi me (Sacerdotem) *lavacra conſperſerunt*

Manus autem ſuas *circa victimæ comas* ablutione illa *luſtrabat* & purificabat in Scythia, ſicut teſtatur Euripedes Iphigenia in Tauris.

αὐτὴ ξίφει θύουσα, θῆλυς ἄρσενας
οὐκ ἀλλὰ χαίτην ἀμφὶ σὴν χερνίψομαι.
ὁ δὲ σφαγεὶς τίς;

Tu (Iphigenia Sacerdos) *cum ſis femella enſe mactas* mares?
Non ſed circa tuas comas manus lavabo.
Sed quis eſt mactator? ſi mihi licet hoc interrogare,

Intra

Intra hanc domum ſunt, quibus iſta cura ſunt.

Imo *liquorem aliquem* ante ſacra *Numini* antiſtes in Polyxenæ mactatione *libabat* Euripides in Hecuba de mactatione Polyxinæ.

πλήρες δ' ἐν χεροῖν λαβὼν δέπας
πάγχρυσον, ἔρρει χειρὶ παῖς Ἀχιλλέως
χοὰς θανόντι πατρί.

Plenum vero in manibus accipiens poculum
Totum aureum fundebat manu filius Achillis
Libationes mortuo Patri.

Circum *aram cum aqua* iſta *luſtrali* in Iphigeniæ immolatione *circumcurrebatur.* Euripides Iphigenia in Aulide.

κρᾶτά τ' ἔστρεψεν κόρης.
ὁ παῖς δ' ὁ Πηλέως ἐν κύκλῳ βωμὸν θεᾶς,
λαβὼν κανοῦν, ἔθρεξε χέρνιβάς θ' ὁμοῦ
ἔλεξε.

Et coronavit caput puellæ. (Calchas)
Sed Achilles circum aram Deæ
Accepto calatho, et ſimul aqua cucurrit:
Dixit autem: &c (o Diana!)

Iphigenia mactanda mandaverat, ut *pa-*

ter, cum immolaretur βωμὸν ἐνδεξιοῦσθαι *dextra teneret aram*; teſte Euripide in Iphigenia: qui *vultu velato* adſtitiſſe legitur apud Plinium lib: xxxv. cap: 10. *Timanthi eſt Iphigenia oratorum laudibus celebrata, qua ſtante ad aras peritura, cum mæſtos pinxiſſet omnes Patris vultum velavit.* Dictys Cretenſis lib: 1. pag: 14. de bello Trojano author eſt, quod *Agamemnon* paternæ pietatis affectione motus *fugam paraverit.* Cum jam mactatio & immolatio inſtaret & perageretur *Sacerdos edicebat* & exclamabat *in Scythia*, ut *impuri ab hoc ſacrificio ſe procul ſubducerent, et abirent.* Euripides in Iphigenia in Tauris illud teſtatur his ſubjectis verbis, quæ ex Græco textu (qui nimis prolixus eſt) in Latinam Linguam ſunt fideliter tranſlata.

Hos hoſpites (mactandos Dianæ Tauricæ) *jam video* (Iphigenia Sacerdos) *ex ædibus egredi*,
Et ornatum Deæ et juvenes, ut cæde cædem
Eluam abominandam, & fulgorem lucernarum et reliqua, quæ

Ego

Ego propoſui hoſpitibus et ad purificationem Deæ pertinent.

Edico autem civibus, ut diſcedant ab hoc piaculo;

Si quis aut templi cuſtos vult habere manus puras,

Aut vadit contracturus nuptias, aut quæ partu gravatur:

Fugite, recedite, ne cui adhæreat hoc piaculum.

O Iovis et Latonæ filia virgo, ſi abſolvero cædem

Horum, & ſacrificavero ubi oportet, habitabis puram domum

Et nos erimus beati: reliqua vero quamvis non dicam

Diis, qui plura norunt Tibi tamen ſignifico Deæ.

Sacerdos etiam aliquando *victimam* ἐπιτιθέασι τῷ βωμῷ *aræ imponebat*, ut teſtatur Achilles Tatius lib: III. Amor: & Euripides in Hecuba.

λαβὼν δ' Ἀχιλλέως παῖς πολυξένην χερὸς
ἐστῆς' ἐπ' ἄκρου χώματος.

Prehendens vero Achillis filius Polyxenam manu

Statuit in ſummo tumulo.

Aliquando autem *ante aras ſtatuebat*, ut videre licet ex Horatio lib: II. Satyr: 3. & tunc apud Æthiopes *Rex utraque manu illos tangens Diis offerebat*, (Neptuno nempe, vel Marti, vel Saturno, vel Iovi) *quorum ope victoriam ſe conſecutum arbitrabatur*; ut patet ex Heliodoro Æthiop: Deinde *Sacerdos preces ad Deos effundebat*, ſicut ſupra in Euripide Iphigen. in Tauris & Hygino obſervavimus, ad quos lectores remitto. ſic cum *Buſyris Herculem* immolaturus *Deos precari vellet*, ab illo *clava eſt necatus*. Hyginus fabul: XXXI. *Precum* autem *formulam* aliaſque circumſtantias obſervatas præter Hyginum & Euripidem ſupra citatos exhibet. Cointhus Smyrnæus lib: XIV. his verbis ex lingua Græca brevitatis gratia tranſlatis.

Græci autem cum ad ſepulchrum Divini
Achillis perveniſſent,
Mox filius ejus dilectus enſem acutum
ſtringens,
Læva quidem puellam tenebat, dextera
autem

Buſtum

Buſtum contingens, tali eum oratione appellabat:
Audi pater! filium tuum precantem, alioſque
Argivos, nec amplius infeſto nobis animæ ſuccenſe:
Jam enim Tibi omnia peragemus, quæ deſideras
Animo tuo, tu ergo propitius ſis nobis
Dulcem eo templo optantibus reditum ſternens.

Prodromus lib: VIII. etiam oſtendit ex verſione Gaulmini. *Hæc dicens regia ſede ſurrexit, ignique quam pote proximans manibus adolecentes ambos tangens; o maxime Jupiter inquit, tuque Iovis genitor Saturne, Marſpiter, ac Neptune, & Deorum Senatus, hos Bryaxes vobis juvenes ſacrificat, has ſpoliorum primitias offert.* Addatur Euripides in Iphigen: in Aulide.

ἱερεὺς δὲ φάσγανον λαβὼν ἐπεύξατο,
λαιμόντ᾽ ἐπεσκοπεῖθ᾽, ἵνα πλήξειεν ἄν.
Sacerdos verò correpto gladio precatus eſt
Et conſideravit guttur ubi feriret.

Libanius de Polyxena. habet, quod *Neoptolemus nudus erat*, cum Polyxenam mactaret, *capite* ſolum *galea munito*, & quod *dextra gladium* vibrans, *ſiniſtra puellam teneret*, *capillo* illius *pugno prehenſo*. *Virgo* juxta illum neque omnino erecta ſtabat neque in baſi tota demiſſa jacebat, *ſed ad necis neceſſitatem conformata erat*. In *Æthiopia mactandus ante aram genibus incumbebat*; Heliodorus lib: x. Æthiopic: ὀρθώτη τε ἀθρόον, καὶ εἰς γόνυ πρὸς τοῖς βωμοῖς πρότερον ὀκλάζων καὶ τὴν ὅσον οὐδέπω σφαγὴν ἀναμένων. *Erexit ſe ſubito*. (Theagenes) *cum antea ad aram genibus incumberet*, & *mactationem ſingulis momentis exſpectaret*. Adſtantes inter ſacrificandum *paana* ſive hymnos *Deo* aut *Dea canebant*; teſte Euripide loco ſupra indicato. Dionyſius Halicarnaſſeus alibi demonſtrat *hunc ritum in aliis quoque ſacrificiis* in Gentiliſmo *obtinuiſſe*. *Templum eſt Faliſcum Iunonis Argivo illi ſimile : ubi* & *ſacrorum ritus erant iidem*, & *curatrices templi ſacrificula*, *et puella innupta quam vocant canephoron ſacificium auſpicari ſolita ad hac chori virginum patrios hym-*

hymnos in laudem Deæ canentium. *Sacerdos* etiam ipſa *elata voce cantabat* atque ululabat; apud Scythas. Sic *E*uripides Iphigenia in Tauris.

ἀ γωλόλυξε, καὶ κατῆδε βάρβαρα

Vlulavit et cantavit barbara.

Apud alios populos inter immolandum omnia tympanorum tibiarum, & nolarum cantu perſtrepebant; Theodoretus quæſt: 56. in IV. Reg. *P*rudentius lib: II. contra Symmach. p. 349. Saxo lib: IV. Livius lib: XXXIX. p. 856. aliique. Athenienſes victimam immolabant, *admoventes gladium* ξίφη πρὸς ἀνδρὸς *ad viri cervicem.* Euripides Iphig. in Taur. *G*ræci præcordia diſſecabant in Polyxena; Ovidius Metamorph. lib: XIII. pag: 387. apud Cretenſes circa umbilicum victima diſſecabatur; Parthenius cap: 35. Erot. Qui in Cypro Nymphæ Agraulidi mactabatur, ab ephebis rapiebatur, & tertio circumibat altare, tum Sacerdos ipſum lancea percutiebat, & ſic ipſum in accenſam pyram truſum accendebat totum teſte Porphyrio lib: II. Cum *G*alli olim de rebus magnis conſultarent, hominem

immolabant, quem enſe ſuper ſeptum tranſverſum feriebant. Teſte Diodoro Siculo in Bibliotheca. lib: v. pag: 308.

CAP. XVIII.

Mel infundebatur in rogum immolatorum. Eurides explicatur. Et in pyram Heroum bello interemptorum Mercurio mel libatum. Ditmarus & Claudianus explicatur, Cum humanis victimis immolati galli gallinacei, canes, & equi, quibus poſt immolationem veſcebantur. Convivia agitabant. Immolatorum ſanguinem bibebant. Solinus & Mela explicantur. Victimæ dilaniabantur & devorabantur. Plutarchus, Author Sapientiæ, & Cicero illuſtrantur & explicantur. Viſcera edebant hominum immolatorum. Quidam carne humana pro cibo uſi fuerunt; & parentes atque conſanguineos comederunt. Tibullus illuſtatur & explicatur.

IN *rogum* autem *eorum*, *qui in holocauſtum Deis comburebantur*, *mel infundebatur*; ſic interpretare Euripidem in Taur.

πολύν τε γὰρ σοι κόσμον ἐνθήσω τάφῳ,
καὶ τῆς ὀρείας ἀνθεμόρρυτον γάνος
ξουθῆς μελίσσης εἰς πῦρ ἐμβαλῶ σέθεν.

Mul-

Multum enim ornatum (ego Iphigenia Tauricæ Dianæ Sacerdos) *Tibi in ſepulchro ponam,*
Et montanæ delicias ex florum liquore collectas
Flavæ apis iniiciam in tuum rogum.

Amphoræ hoc liquore plenæ immittebantur una cum captivis in ardentem pyram fortiſſimorum Virorum bello interemptorum, ut & captivo ſanguine & dulci hoc libamine eorum manes placarent. Sic in combuſtione *Patrocli*, *in* ejus *pyram inferebant* μέλιτος καὶ ἀλείφατος ἀμφιφορῆας *mellis et olei amphoras*; ut ſcribit Homerus Iliad. ψ. p. 809. Eadem hæc verba habet Nonnus lib: XXXVII. Dionyſ. in ultima conclamatione *Opheltiſque funere*. Flammæ etiam *pyræ*, in qua *Achilles* comburebatur eodem libamine ſatiatæ ſunt. Homerus Ὀδυσσ: ω. p. 675. adiiciatur Statius lib: III. Sylv. 2. verſ: 208. Corippus Africanus laudat. Iuſtini Minoris lib: III. Num. 1.

Fragrantia mella locatis
Infundunt pateris.

Hæc *mellis libamina*, præter defuncti

manes, etiam Mercurio fuiſſe libata exiſtimo, quia melle Mercurium placabant. Antipater in Carm. id teſtatur.

Εὔκολος ἑρμείας, ὦ ποιμένες, ἐν δὲ γάλακτι
χαίρων καὶ δρυΐνῳ σπένδόμενος μέλιτι.

Non faſtidioſus Mercurius o Paſtores! et lacte
Gaudens et querno placatus melle.

Ei vero ita blandiebantur, quia, ſicut omnibus notum eſt, mortuorum umbras ad orcum ducere credebatur: *ſicut præter* alios patet ex Diodoro Siculo lib: 1. pag: 86. quapropter ejus favor in hoc illis neceſſarius erat, quem hoc modo obtinere ſtudebant. Dici etiam poteſt, quod hanc ob cauſam Dani quotannis cum nonaginta novem hominibus totidem gallos, canes, & equos menſe Ianuario immolare conſueverunt, teſte Ditmaro libro 1. Chron: pag: 12. Nam *gallus Mercurio ſacer* eſt, unde cum gallo gallinacio & marſupio antiquitus depingebatur, juxta Bourdelotium in Notis ad Heliodor: pag: 99. Sed tamen veriſimilius eſt, hoc Septentrionalium abominabile ſacrificium

um Soli fuiſſe oblatum, quod & *Soli gallus gallinaceus* antiquitus *conſecratus fuerit*, ſicut patet ex Iamblicho de Vita Pythagoræ cap: 28. Porphyrio lib: IV. unde Sabæi etiam in feſto Eiloul octo pullos gallinæ, & gallos octo comburere & conſecrare ſolebant, ſicut affirmat Maimonides Nevochim cap: 29. & *avis illa* Solis ſive Apollinis filio *Æſculapio ſacrata erat* teſte Libanio Declamat. XXXIX. Hinc etiam *gallus lucis* ſive *Solis nuncius vocatur* à Platone in Sympoſ. Heliodoro lib: I. Æthiop. Prodromo Amor. lib: II. & ita quoque deſcribitur à Theocrito Idyll. XXIV. Theognide in Sententiis; & Anyta in carmine in Gallinaceum in Florileg. Græc. Poetar. *diei nuncius et lucis avis* à Prudentio, Martiale, & Piſida de mundi opificio verſ: 1087. *diei præco* ab Ambroſio in Hymno in diluculo. & *præco* ſimpliciter à Sophocle in Antenoridis apud Athenæum lib: IX. p. 372. Unde Demades Orator Athenienſium tubicinem ſive præconem, publicum Athenienſium Gallum vocabat apud Athenæum lib: III. Hic *Sol gigas fuit* voca-

tus à Maximo Marg. hymn: I. & Venantio Fortunato de Partu Virginis lib: I. v. 27. & *titan*; teſte Albrico de Deor. Imagin. *De quibus fuit unus titan, qui etiam Sol dicitur.* Hinc Claudianus de Phænice fol: 181. illuſtratur ita canens.

Urbs titana colit.

Innuere enim ibi videtur Solem, qui in Ægypto in urbe Heliopole ſive Solis civitate colebatur, ſicut alibi diximus. Hinc in parte prima cap: v. pag: 73. 74. ad pag: 79. fuſe probavimus, quod Sol & Hercules eadem Numina apud German. & Septentrionales fuerint. Unde conſtat ſacrificium ſupra dictum etiam Herculi à Septentrionalibus populis fuiſſe oblatum & conſecratum. Canes autem humanis iſtis victimis Septentrionales populi, ut ſupra vidimus, adiiciebant, quod canes maxime venatici maximo in pretio à Germanis, Septentrionalibus, Friſiis aliiſque populis habebantur veluti teſtantur & docent Leg. Logobardorum lib: I. tit. 3. lib: I. tit. 16. tit. XXI. §. I. Lex Bajuvariorum tit. XIX. §. 9. leg. Salica tit. VI. §. I. 2. 3. 4. Fridiricus Imperator cap: 6. arte venand.

venand. leg. Friſionum tit. IV. Lex Alamannorum tit: XCIX. §. 22. tit. LXXXII. §. 3. §. 2. tit. LXXIX. Lex Ripuariorum tit. 37. Georg. Fabritius Comment. in Poeta Cshriſtian. leg. Alamannorum tit. LXXXII. §. 5. & §. 7. Leges Wiſigothorum lib: VIII. tit. 4. §. 19. Bajuvariorum tit. XIX. §. 7. *S*peculum *S*axoniæ lib: III. artic. 51. Iuſtinianus in l. l. Georgicis tit. 6. Iulius Firmicus lib: v. c. 8. Notæ veteres Tyronis tit. de animal: Hincmarus. Malculphus. Lex Alamannorum tit. LXXXII. §. 6. leg. Salica tit: XVI. §. 2. Adelmus Benedictinus anni 820. Gratianus in Cynogetico. Lex Burgundiorum tit: LVIII. Additamentum I. tit: 10. Burgund: Guilhelmus Neubrigenſis. Clemens *S*cotus, ſive potius incertus *S*. Galli Monachus. vita Caroli Magni. lib: I. pag: 378. *P.* Statius Thebaid: lib: VI. pag: 195. Cum itaque canes tanti apud eos æſtimarentur, eorum præcipue immolatione Divini Numinis iram extingui, ejuſque favorem & gratiam promereri poſſe arbitrabantur. Sed forſitan etiam propterea eos in his cruen-

cruentis ſacrificiis mactaverunt, quia *Soli canes ſacri habebantur*, ſicut ex Oro Apolline probari poſſet. Sic etiam *Septentrionales* populi *equos immolaverunt*, quia & *illi* ſub tutela & præſidio *Solis*, eique *conſecrati* erant, ut capite v. pag: 72. lib: 1. Oſtendimus. *His in iſto hominum ſacrificio mactatis epulatione publica Septentrionales populi veſcebantur, eorumque ſanguine partim poſtes ædium, partim homines adſpergebant*, ſicut ſcribit Snorlo ſturlæ in Hiſtor. Haquini Adelſtani. *Scythæ* vero *præter captivos, arma, gladium, arcum, equos, & accipitres una cum cadavere popularis ſui vulnere in bello aut prælio mortui et interempti ſepeliebant* ſicut Nicetas Choniates teſtatur in vita Balduini Imperatoris. Hoc autem propterea fiebat, quia Veteres, quæ defuncto in Vita chariſſima fuerant, una in rogum aut ſepulchrum ejus coniiciebant, ſicut in capite VII. oſtendimus. *Equi* autem *et accipitres magno in pretio et honore à Septentrionalibus habebantur*. vide lib: 1. cap: v. pag: 72 & 73. & *Soli ſacri erant*, ſicut patet præter Authores ibi citatos ex

Arche-

Archeſtrato ſive Theognide apud Athenæum lib: IX. pag: 372. Nonno lib: XII. Dionyſ: Philoſtrato lib: I. de Apollonio cap: 20. Dione lib: LXXV. in Severo. Pauſania lib: III. pag. 240. Xenophonte lib. VIII. de Inſtitut. Cyri. pag. 231. 232. 258. Curtio lib. III. pag. 9. Juſtino lib. I. pag. 21. & Cornelio Severo.

Ignea nam cælo ducebat ſidera Phœbe
Fraternis ſucceſſor equis.

Scythas Germani imitati ſtruem rogi olim nec veſtibus nec odoribus cumulabant, ſua cuique arma, quorundam igni & equum adiiciebant, teſte Tacito de Mor. Germanor. pag. 643. Galli etiam in Viri Principis funere ejus equos immolare conſueverunt; veluti ſcribunt Aimoinus lib. I. cap. 8. Hiſtor. Francic. Cæſar de bello Gallico lib. VI. & Græci juxta Homerum Iliad. ψ. pag. 809. & Lucianum de luctu pag. 789. Veriſimile etiam eſt Veteres his ſacrificiis equorum, gallorum, canum & accipitrum caduciferum illum Deum placare voluiſſe, ut iter ad Elyſios campos ſub ejus ductu & auſpiciis demortuorum umbris proſpere

ſucce-

ſuccederet. Dum vero apud Septentrionales populos dira hæc hominum ſacrificia peragebantur, convivia lauta & ſplendida agitabant, Deorum ſuorum memoriam capocibus poculis recolebant, expreſſo cujuſque nomine ad ſingulos hauſtus, in cujus honorem iſto poculo gulæ & genio litarent; præterea quid à Diis iſtis ſacrificiis extorquere & emendicare ſtuderent, ſigillatim enumerabant, ſicut multis oſtendit Snorro Sturlæ in Hiſtoria Haquini Adelſtani, cujus verba exhibet Olaus Wormius lib. I. cap. 5. Dan. Moniment. Immolatarum harum victimarum ſanguinem loco potus haurire conſueverunt *Scythæ*; ſicut Ammianus Marcellinus lib. XXVI. pag. 844. & *Pomponius* Mela lib. II. pag. 39. teſtantur. *Scothi*; teſte *Hectore* Boethio. *De Hibernis* ita Solinus cap. XXI. Sanguine interemptorum hauſto prius victores vultus oblinere conſueverunt. Extimi *Galliæ populi*, licet ipſæ victimæ iſtæ humanæ jam exoleviſſent & conſenuiſſent, tamen ſanguinem ex hominibus aræ admotis per patentia & inflicta vulnera provocatum & de-

& depromptum diu delibare ſolebant, teſtante P. Mela lib. III. pag. 73. Gentes ſuperbæ ſuperſtitioſæ, aliquando etiam immanes, adeo ut hominem optimam Diis victimam crederent, manent veſtigia feritatis jam abolitæ: atque ut ab ultimis cædibus temperant, ita nihilominus, ubi devotas altaribus admovere, delibant. *S*ic enim iſta verba capienda & explicanda ſunt. Ita etiam, ſicut ſcribit Ammian. Marcellinus lib. XXVII. pag. 710. *S*cordiſci humanum ſanguinem in oſſibus capitum humanis bibunt. Imo ut docet idem Amm. Marcellinus lib. XXVII. pag: 611. Odryſæ ita efferati, & humanum effundere ſanguinem aſſucti fuerunt, ut cum hoſtium copia non daretur, ipſi inter epulas poſt cibi ſatietatem & potus ſuis velut alienis corporibus imprimerent ferrum. Carmani vero cum humane & benigne aliquos exciperent in convivio, frontis vena tuſa manantem ſanguinem admiſcebant ei, quam bibendam offerebant, potioni; ſummam id eſſe amicitiam putantes, ſi ſuum invicem ſanguinem guſtaverint; ſicut loquitur *P*oſidonius

donius apud *Athenæum* lib: II. cap: 7. pag:47.F. Et *plurimi ſanguinis profuſione, guſtatione, & potu olim conſpirare, fœdera percutere, & amicitiam atque pacem ſancire conſueverunt*. De quo horrendo ritu egimus cap: XVIII. lib: I. pag. 292. 293. 294. ad 299. Quin imo primis mundi ætatibus *ſanguis hominibus potus* erat, ſi fidem promeretur Avitus lib: IV. de diluvio.

Sanguis potus erat, cæſorum viſcera paſſim
Indomitis laceras præbebant mentibus eſcas.

Et ſicut ſacrificium irrationalium creaturarum immolatione peracti dilaniabatur, & comedebatur, ſicut præter Alios oſtendunt Lucianus de ſacrific. pag: 94. Strabo lib: XV. pag: 489. & *P*rudentius contra Symm. lib: I. pag: 331.

Mos juvat, ut pinguis luco lanietur in alto
Victima, viſceribus multa inter vina vorandis.

Ita etiam *in Chio victimæ humanæ* Baccho ſacrificandæ *vivæ* membratim *diſcerpebantur*

bantur, teſte *Porphyrio* lib: 11. Ἐθύοντο δὲ καὶ ἐν Χίῳ τῷ ὠμαδίῳ Διονύσῳ ἄνθρωπον διασπῶντες. *Sacrificabant quoque in Chio Baccho Omodio ſive ferino hominem, quem vivum membratim diſcerpebant.* Hinc lumen *Plutarcho* accenditur in libro de Oraculor. defectu pag: 417. Quæ vero feriæ & ſacrificia tanquam atri dies & nefaſti peraguntur, in quibus cruda vorantur, diſcerpuntur homines, jejunia & planctus adhibentur, ſæpenumero etiam obſcæna dicta, furoreſque & conclamationes bellicæ excitatæ cum fremitu & cervicum jactatione: his ego nullum Deum coli puto, ſed placandorum & depellendorum malorum geniorum gratia inſtituta ea dixerim. *S*ine dubio ritum illum innuit, quo, ſicut ex *Porphyrio* patet, homines Diabolo immolati diſcerpebantur, velut totus *Plutarchi* textus in eo loco demonſtrat. Ad hunc exſecrandum & abominabilem ritum, quo homines immolatos in fruſta diſcerpebant, ſine dubio Gentiles à Diabolo ſunt inducti & ſeducti, qui uſque adeo capitaliter & tanto odio in mortales furit, ut non ſatis habu-

habuerit, ſibi homines immolari, niſi etiam illorum corpora aut à ſacrificantibus aut etiam aliquando per ſe ipſum immediate dilania rentur in fruſta. Nam *Philo*ſtratus author eſt in Heroicis, quod cum quidam ad inſulam Leucen appuliſſent, in qua Achill: & Helenæ manes delitiari creduntur, *Achilles* (vel potius dæmon ſub Achillis ſpecie) *à Mercatore puellam Trojanam*, quam ſecum habebat, *efflagitaverit*, *quam* in littus expoſitam, cum jam navis in Mare provecta nondum ſtadium ab inſula abeſſet, *Achilles membratim* diſcerpſiſſet, ita ut puellæ ejulatus ad eos, qui in navi erant, pervaderet. *E*adem feritate *carnem* & *viſcera ex hominis immolati ventre erumpentia cocta poſt ſacrificium cruentum comediſſe dicuntur Ægyptij*; juxta *A*chillem Tatium lib: III. *A*mor. *latrones in Ægypto*; ſicut ſcribit Dion lib: LXI. Hiſtor *Catilina, ejuſque conjurati*; ſecundum *P*lutarchum in Cicerone pag: 866. & Dionem lib: XXXVII. *Iudæj*; veluti de iis teſtantur Socrates Hiſtor. Eccleſ. lib: VII. cap: 16. pag: 313. & Michael Ritius

tius lib: 11. imo etiam *hæretici Gnoſtici* teſte Epiphanio de Hæreſ. tom: 11. cap: 26. pag: 39. Et non mirum eſt, quod ad has deteſtandas viſcerum mactatorum hominum epulas & viſcerationes Ethnicos & ſuos devotos Diabolus adegerit, cum etiam *humana viſcera Gentiles* olim *illi offerre conſueverint*, quorum oblatione honoratus & delectatus fuit; teſte Cicerone in Oratione in Vatinium pag: 58. *Ut cum inaudita & nefaria ſacra ſuſceperis, cum puerorum extis Deos Manes mactare ſoleas.* Nam *mactare* ſignificat ibi *honorare*; ſicut & ex ipſius verbis, & teſtimonio Lactantii, qui Ciceronem illuſtrat, apparet. Ita enim Lactantius lib: v. cap: 9. pag: 277. *Si qui ad funeſta ſacrificia conſenſerint; eos laudant, & honoribus mactant, ut eorum exemplo cæteros illiciant.* Et Plautus; *tamen boneſte mactatum reducam domum.* &c: Sed ad ſcopum redeamus. *Americani* autem Diabolum in hac nefanda crudelitate ſecuti etiam hominum immolatorum, corpora, membra, & *viſcera*, in fruſta diſſecare, & epulando *devorare* conſueverunt;

runt, ſicuti confirmat P. Martyr decad. v. cap: 10. pag: 432. cap: 4. pag: 351. cap: 6. pag: 373. Et hæc immanis & *pluſquam Diabolica crudelitas admodum* antiqua eſſe videtur, cum *Chananæj* quoque hominum *mactatorum viſcera* brutali ritu conſumſerint & *devoraverint*. Sic explicandus, & illuſtrandus Eſt Author Sapientiæ cap. XII. 5. 6. *Et liberorum occiſores immiſericordes, & viſcera comedentes humanarum carnium. Et epulum ſanguinarium, & interfectores animarum ope carentium Parentes è medio ſacramenti tui voluiſti perdere manibus Majorum noſtrorum.* Hinc etiam intelligi, illuſtrari & explicari poteſt idem ille Author Sapientiæ cap. XIV. v. 23. *Aut ſacrificia ex cæde liberorum, aut occulta myſteria, aut furioſas ex alienis legibus commeſſationes.* Nam voces hæ *furioſæ commeſſationes* dirum hunc ritum comedendi immolatos homines indicare videntur. Sic *Baſſares* quoque *carne humana immolatorum epulati fuerunt*, veluti Porphyrius lib. II. de non edend. animal. docet. Βασσάρων ἣ δὴ τῶν τὸ πάλαι τὰς ταύρων θυσίας οὐ

σίας οὐ μόνον ζηλωσάντων, ἀλλὰ καὶ τὴν τῶν ἀνθρωποθυσιῶν βακχείᾳ βορὰν τούτοις προσθεμένων καθάπερ ἡμεῖς νῦν, ἐπὶ τῶν ζώων, ἀπαρξάμενοι γὰρ, τὰ λοιπὰ δαῖτα τιθέμεθα. *Baſſares vero immodico ſacrificiorum amore freti non ſolum tauros immolabant, ſed etiam homines, quorum carnibus appoſitis cum debacchatione veſcebantur, non ſecus ac nos cæterarum animantium quando reliquias in convivio ingenioſe inſtructo epulamur.* Idem Plinius innuere videtur lib: xxx. cap: 1. pag: 545. *Non ſatis æſtimari poteſt, quantum Romanis debeatur, qui ſuſtulere monſtra, in quibus hominem occidere religioſiſſimum erat, mandi vero etiam ſaluberrimum.* Sic etiam *Saturnum*, homineſque ejus ætate in mundo agentes *hac carnium humanarum viſ*ceratione & *eſu* quotidie *ſe oblectaſſe* teſtatur his verbis Lactantius de falſa religione lib: 1. cap. 13. pag: 35. *Quamquam ſcriptum ſit in hiſtoria ſacra, Saturnum et Opem, cæterosque tunc* homines *humanam carnem ſolitos eſitare.* Avitus lib: IV. de Diluvio, etiam confirmat, quod *gigantes*, qui circa diluvii tempora in mundo vixiſ-

ſent, etiam *humanam carnem in cibum aſ-ſumſerint.*

Artus ſemihominum patulis qui faucibus, imo
Integros vivoſque homines crudo ore vorarent.

Idem de gigantibus in libro Enoch affirmatur. Cum *pueros* olim divinandi cauſa mactaſſent, & immolaſſent, eorum etiam *carnem deguſtabant* Ethnici, ſicut docet Socrates Hiſtor. Eccleſiaſt. lib: III. cap: 2. *Sabæi* quoque quinto menſe, quem Ab appellabant, infantem recens natum Diis ſuis hoc horrendo & cruento ritu jugulare & immolare conſueverunt; quem ita deſcribit Doctiſſ. Iohann. Hottingerus lib: 1. cap; 8. pag: 181. Hiſtor. Orientalis. *Mactatur infans, qui verberibus contunditur, uſque dum fuerit comminutus. Poſtea caro ſumta commiſcetur farinæ ſimilagineæ, croco, ſpicæ, cariophyllis, placentæque parvæ, fici inſtar, inde pinſuntur, et in furno novo coquuntur, quæ Myſtagogis Sammaelis cedunt per totum annum. De eo autem nec mulier edit, nec ſervus, nec filius ancillæ, ne-*

la, neque obſeſſus vel inſanus. Hunc horrendum Gentilium ritum *in comedendis hominibus* Diabolo *immolatis* innuit etiam Theophraſtus apud *Porphyrium* lib: II. De non edend. animal. his verbis ὡς καὶ ἄνθρωπον θυόντων τῶν πάλαι καὶ οὐδήπου διὰ τοῦτο καὶ βρωτέον ἀνθρώπους. *Neutiquam hominem epulandi gratia ſacrificatum eſſe. Incolæ* regionis *Anſico* ſitæ in Inferiori Æthiopia *hoſtes* bello captos *immolant*, quorum *carnes* laniis venditæ publicis in macellis venum proſtantes *comeduntur*: Inveniuntur etiam ſervi, qui ſua corpora ultro ad hæc ſacrificia & commeſſationes nundinantur & afferunt. Dappero teſte in Deſcript. Africæ. Sic *Licaon* etiam *hoſpites* hoſpitio exceptos necaſſe & *eſitaſſe* legitur apud Virgilium lib: I. Æneid. De *Iudæis* in Romanos hoc modo ſævientibus Dion lib: LXVIII.. ſcribit ita ex Xiphilino ſub imperio Imperatoris Trajani. *Interim Iudæi, qui circum Cyrenem habitabant, Andrea quoque Duce Romanos pariter atque Græcos concidunt, veſcunturque eorum carnibus eduntque viſcera, tum oblinuntur eorum ſanguine, et*

pellibus induuntur. Multos à vertice ſerris diſcidere medios, multos objecere beſtiis, multos etiam certare inter ſe coegerunt, ita ut interierint hominum, ad ducenta viginti millia. Ex quo fit, ut Iudæo in Cyprum venire non liceat, quod ſi forte vi tempeſtatis in inſulam appulerit, interficitur. Sic *Locrenſes* ob inſignem contumeliam illis à Dionyſio Siciliæ Tyranno illatam *ejus liberos et uxores occiderunt: poſt oſſibus defunctorum in mortario contuſis, et conſciſſa minutim carne reliqua, eos devoverunt, qui non aliquid inde guſtaſſent* &c. ſicut commemorat Clearchus lib: IV. Vitar. Sed apud populos *Carmanitas* nemo uxorem ducit, niſi prius hoſtis caput amputatum ad Regem pertulerit. Rex calvaria in regia collocata *linguam minutatim ſecans pane permiſcet, poſtea deguſtatam ej, qui attulit, et familiaribus edendam præbet:* ſicut narrat Strabo Geograph. lib: XV. pag: 481. *Et in Aula Regis Makoko* inferioris Æthiopiæ ſingulis diebus diabolica luxuria *ducenti ſervi mactantur*, ut *eorum carne* cocta & aſſa & elixa *Rex* ejuſque *aulici* atque *nobiles* luxu-

les luxuriarent & pergræcarentur, veluti docet Dapperus in deſcript. Africæ. Eodem modo *Galli* in Callienſium everſione olim *lactentium carnem* ſævientibus & latrantibus ſtomachis & dentibus obiicere, *ſanguinemque potare* non erubuerunt; Pauſanias lib: x. pag: 758. ſic & *Americani* quidam *hoſtes* ſuos *comedunt*; P. Martyr de novo orbe decade IV. cap: I. pag: 334. & Decad. I. pag: 12. *Braſiliani* juxta Iohannem Lerium in Hiſtor. Navigation. Braſiliæ cap: xv. pap: 191. *Leſtrigonarum* etiam *populus humana carne veſcebatur*, ſicuti Chriſtophorus Landinus in notis ad Horat. author eſt: Forſitan illud ſcripſit ex *Plinio*, qui lib: VII. cap: 2. p. 108. Natural. Hiſtor. ita ſcribit. Eſſe Scytharum genera & quidem plura, quæ corporibus humanis veſcerentur, indicavimus. Id ipſum incredibile fortaſſe, ni cogitemus in medio orbe terrarum, ac Sicilia & Italia fuiſſe gentes hujus monſtri, & nuperrime homines trans Alpes immolari gentium earum more ſolitum, quod paululum à mandendo abeſt. Hieronymus prodidit, *Scotos*

Britanniæ gentem ſe vidiſſe, qui *humanis veſcerentur carnibus.* Et idem de *Gallis* & *Britannis* antiquis anthropophagis aſſerit Diodorus Siculus lib: v. pag: 304. Sic quaſdam gentes carnem & ſanguinem humanum in cibum comedere ſcribit Muſculus. Sic *Aſtyages Harpago* proprium *filium epulandum propoſuit*; ſicut loquitur Iuſtinus lib: I. pag: 17. *Virginum* vero abſciſſæ *mammæ* coctæ & delicate præparatæ arridebant palato *Principum Tartarorum* ad reliquorum humanorum membrorum carnem nauſeantium. Carnis humanæ epulis etiam deliriati ſunt incolæ Provinciæ *Haſcalæ*, & *urbis Dariæ* in Nova Hiſpania *Peruviani*, *Cheriʒani*, *Chirhuani*, *Tapuyæ*, *Aumures*, aliique Africæ populi, ſicuti ſcribunt; Garcilaſſo lib: VII. cap: 17. Roulox & Baro in itinerar: Charles de Rochefort Hiſtor. Moral. Inſular. Amer. cap: XXI. p. 440. Scopus noſter non permittit, ut ulterius me immitterem in hiſtoriam illorum, qui aut vindictæ aut gulæ prurigine, aut famis & obſidionis neceſſitate hoc horrendo piaculo ſe inquinarunt,

runt, quorum exemplis Doctorum monumenta ſcatent. Imo homines inventi fuerunt, qui uſque adeo hominem exuerunt, & cum ſua natura divortium fecerunt, ut impias manus & edaces ſuos dentes propriis *parentibus* & *conſanguineis* immittere atque *infigere*, *eorumque carnem* in viſceribus contumulare non abhorruerint, quum aut morbo, aut macie, aut ſenio confecti morti & ſepulchro vicini cenſebantur, aut *ab ipſis immolati fuerant.* De quibus hunc in modum loquitur & ſcribit Pomponius Mela lib: III. cap: 16. pag: 86. *Quidam* proximos *parenteſque*, *priuſquam annis aut ægritudine in maciem eant*, velut hoſtias cædunt, *cæſorumque viſceribus epulari fas et maxime pium eſt.* & *Scythæ proprios parentes comederunt* teſte Porphyrio lib: III. De *Scythis*, *Maſſagetis*, *Derbicibus*, *Thebarenis*, *Hircaniis*, *Caſpiis*, *et Bactrianis* hominum immolationi etiam aſſuetis idem rurſus teſtatur Porphyrius lib: II. διὸ καὶ φθάσαντες καταθύουσιν καὶ ἑστιῶνται τῶν φιλτάτων τοὺς γεγηρακότας. *Ideo* (*Maſſagetæ et Derbices*)

morbum prævenientes amicos ſenio confectos ſacrificant, *atque epulantur*. Eodem fere modo cum ſenibus ſuis agunt *Thebareni*, *Hircanii*, *Caſpii*, *et Bactriani*. &c Sed Bactriani etiam parentes & amicos morbo ſeniove confectos canibus dilacerandos proiiciebant, qui ad hunc uſum enutriti ſepulchrales appellabantur canes: ut author eſt Oneſicritus apud Strabonem lib: XI. pag: 131. & Porphyrius lib: IV. de non edend. animal. &, ut Cicero loquitur lib: I. Tuſculan. Quæſt. fol: 69. Magorum mos eſt non humare corpora ſuorum, niſi à feris ſint antea laniata. in Hyrcania plebs publicos alit canes, Optimates domeſticos. nobile autem genus canum illud ſcimus eſſe: ſed pro ſua quiſque facultate parat, à quibus lanietur: eamque optimam illi eſſe cenſent ſepulturam. Permulta alia colligit Chryſippus, ut eſt in omni hiſtoria curioſus. Adde Silium Italicum de bello Punico lib: XIII. fol: 135.

Regia cum lucem poſuerunt membra, probatum eſt
Hyrcanis adhibere canes.

Sed

Sed *Caſpii parentes incluſos fame enecabant, cum jam ætate graves ſeptuageſimum annum exceſſiſſent*; vide Strabonem Geograph. lib: XI. Sic etiam *Padæj* Indiæ populi auroram verſus habitantes *amicos ſuos jam ſenes immolare et devorare conſueverunt*, teſte Herodoto lib: III. pag: 198. Hinc intelligimus, quod Tibullus in ſequentibus verſibus per *ſæva convivia epulationes illas amicorum intelligat*; lib: IV. eleg: I. pag: 403.

Impia nec ſævis celebrant convivia menſis
Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus.

In hoc Padæos imitati fuerunt *Caucaſi habitatores* juxta Strabonem lib: XV. pag: 453. Et *in regione Anſico inferioris Æthiopiæ parentes filios, filii parentes, et matres liberos Dæmonibus mactatos Diabolica ingluvie epulando conſumere* non abhorrent; teſte Dappero in Deſcript. Africæ. *Amicorum ægrotantium et vi ſuffocatorum carnes cultris diſſcindunt, coquunt, et immanibus faucibus et dentibus devorant. incolæ* regni *Dragoiam*; teſte M.

 P. Ve-

P. Veneto in Deſcript. Orient. Region. lib: III. cap: 17. pag: 83. *Inſulani Sumatræ* & *Iavæ* juxta fidem Vincentii le Blanck & Barthoma. Et non ſolum ita cum amicis vivis, ſed etiam defunctis olim agebant. Petronius Arbiter Satyr, pag: 148. *Apud quaſdam gentes ſcimus adhuc legem ſervari, ut à propinquis ſuis conſumantur defuncti, adeo quidem, ut objurgentur ægri frequenter, quod carnem ſuam faciant peiorem.* Tertullianus Apolog. adverſus gentes idem *de Scythis* affirmat pag: 826. *Ajunt apud quoſdam gentiles Scytharum defunctum quemque à ſuis comedi.* Sic & *P.* Mela lib: II. cap: 8. pag: 39. de ſitu orbis. *Eſſedones funera parentum læti, et victimis, ac feſto coitu familiarium celebrant. Corpora ipſa laniata, et cæſis pecorum viſceribus immixta epulando conſumunt.* De Ibernis ita Strabo lib: IV. Geogr. pag: 360. *Anthropophagi defunctos etiam parentes eſſe in eximia honeſtatis parte ponunt.* In *Ceo* vero decrepitos & emeritos *ſenes* mundo & vitæ & ſibi amplius inutiles *propinato aconito præſentaneo morti dabant* & ſacrabant; *Tibare-*

bareni præcipitio; Sardi fuſtibus; Eruli ferro; Quidam *Thraces et Indi aqua et igne*. vide Cælium Rhodiginum lib: XVIII. cap: 26. & 28. ex Menandro, & Euſebio Præparat. lib: I. cap: 3. & lib: XIX. cap: 26. & lib: XXVIII. cap. 22. Alexandrum ab Alexandro Genial. Dier. lib. III. cap. 2. *A*ttamen gentiles intra hos barbariei & inhumanæ crudelitatis terminos ſe non continuerunt, ſed etiam ex humanis corporibus medicamenta fecerunt, & ad morbos propulſandos membra humana comederunt, cruoremque biberunt. In libro primo Capite XIII. pag. 199. & 200. vidimus, quod humanum ſanguinem ad morbum comitialem depellendum haurire fas duxerunt. Hoc vero in loco proferemus verba Plinii pag. 200 tantum citati, qui non ſolum teſtatur, quod olim comitiali morbo curando adhibuerint & biberint ſanguinem gladiatorum, qui *P*lutoni immolabantur, (ſicut docet *P*rudentius lib. I. contra Symmachum pag. 328.) ſed etiam oſtendit, ad quos morbos pellendos humani corporis membra fuerint uſurpata. Ita

autem loquitur lib. XXVIII. cap. I. pag. 504. & 505. Sanguinem quoque gladiatorum bibunt, ut viventibus poculis comitiales morbi: quod ſpectare facientes in eadem harena feras quoque horror eſt. At hercule illi ex ipſo homine ſorberi efficaciſſimum putant calidum ſpirantemque, & una ipſam animam ex oſculo vulnerum. Alii medullas crurum quærunt & cerebrum infantium. Nec pauci apud Græcos, ſingulorum viſcerum membrorumque etiam ſapores dixere, omnia perſecuti uſque ad reſegmina unguium. Quid invenit ſingula membra humana mandere? *Extant commentationes Democriti, ad alia noxii hominis è capite oſſa plus prodeſſe: ad alia amici & hoſpitis. Iam vero vi interempti dente gingivas in dolore ſacrificari, Apollonius efficaciſſimum ſcripſit: Miletus oculorum ſuffuſiones felle homines ſanari. Artemon calvaria interfecti neque cremati, propinavit aquam è fontibus noctu comitialibus morbis. Ex eadem ſuſpendio interempti catapotia fecit contra canis rabioſi morſus Antheus. Atque etiam quadrupe-

drupedes homines ſanavere, contra inflationes boum, perforatis cornibus inſerentes oſſa humana: ubi homo occiſus eſſet, ſiliginem quæ pernoctaſſet, ſuum morbis dando.

Cap. XIX.

Capita hominum affigebant arboribus, ripibus valvis, templis, & veſtibulis. Reliqua immolatorum aliorumque membra ut trophæa ſuſpendebantur. ex calvariis victimarum humanarum, hoſtium & amicorum potabant. Paulus Æmilius & Hermannus Contractus corriguntur. Amicorum cadaveribus abuſi pagani.

NEc ſatis habuerunt antiqui pagani homines in ſacrificium idolis ſuis necare, & immolatorum ſanguine, viſceribus, &c. carne inſatiabilem ſuam ingluviem obturare, ſed etiam aut *amicorum* demortuorum, aut *hoſtium* bello devictorum & captorum, *et humanarum victimarum membra arboribus, valvis, poſtibus, et templis affigendo*, & per varias ludibrii artes & genera impiando & conſcelerando, frontem ſuam explicare, a-

re, animumque & oculos exhilarare voluerunt. Ità *Amycus* Bebricii Regni Rex omnes hoſpites coegit, ut ſecum cæſtus pugna congrederentur, quos vero ſuperabat, eos Diabolo immolabat, eorumque *capita* veluti trophæa *arboribus & rupibus ſuffigebat.* ſicut docet Valerius Flaccus *A*rgonaut. lib. IV. Nonnus Dionyſiac. lib. ultimo. narrat, quod Sithon omnes procos, qui ambirent filiam ſuam Pallenen, pulchram puellam, coegerit, ut cum ipſa decertarent lucta, victos vero occidebat; eorumque *capita in palatio* publice *oſtentabat.*

ἠνίδε σεῖο κάρηνα θαλύσια σεῖο μελάθρῳ,
λύθρον ἔτι στάζοντα κακοξείνων ὑμεναίων.

Ecce tua capita feſta in tuo palatio,
Saniem adhuc ſtillantia male hoſpitalium nuptiarum.

Valvis affigebat *Oenomaus capita procorum* filiæ ſuæ Hippodamiæ, qui quadrigarum certamine atque curſu erant victi, ſicut Hyginus his verbis confirmat & narrat. *Itaque cum complures eam peterent in conjugium, ſimultatem conſtituit, ſe ei datu-*

daturuni (filiam Hippodamiam) *qui ſecum quadrigis certaſſet: victorque exiſſet, quod is equos aquilone velociores habuit; victus autem interficeretur. multis interfectis noviſſime Pelops Tantali filius cum veniſſet, et capita humana ſuper halbas* (valvas) *fixa vidiſſet, eorum qui Hippodamiam petierant in uxorem, pœnitere eum cœpit, Regis crudelitatem timens.* adde Pauſaniam lib. VI. pag. 354. Idem fere evenit *procis Atalantam ambientibus*, de quibus idem Hyginus fabula CLXXXV. *Pater ejus ſimultatem conſtituit, qui eam ducere vellet, prius in certamine, curſu, cum ea contenderet, termino conſtituto, ut ille inermis fugeret, hæc cum telo inſequeretur: quem infra finem termini conſtituta fuiſſet, interficeret, cujus caput in ſtadio fieret.* Philoſtratus in Heroicis tradit, quod *Hercules Geryonis* maximi corporis hominis à ſe occiſi *oſſa in Olimpia dedicaverit*, ne certamini fides tolleretur. Sic *Saulis* Iſraelitarum Regis in prælio occumbentis *arma Peliſchthæj in æde Deorum ſuorum depoſuerunt; caput vero ejus affixerunt in æde Dagonis:* 1 Chro-

I Chronic: x. 10. *Lycurgi* Tyranni *veſtibulum capitibus eorum horrebat*, quos *Marti devotos* occidiſſet: & *immolaſſet* de quo Nonnus Dionyſ. lib: xx.

Αἰνομανὴς Λυκόοργος. ἀποκταμένων δὲ σιδήρῳ,
ἔστεφεν ἀνδρομέοισιν ἑὸν πυλεῶνα καρήνοις,
τοῖος ἔην Λυκόοργος ὁμόρροφος. ἀχθοφόροις δὲ
πολλάκις ἐν τριόδοισιν ἀλήμονας ἄνδρας ὁδίτας
δήσας εἰς δόμον εἷλκεν. ἐνυαλίῳ δὲ τοκῆι
δαιτρεύων ἱέρευε. δαϊζομένων δὲ μαχαίρῃ
ἄκρα βαλὼν ἐπύκαζε κακοξείνους πυλεῶνας.
οὕτω καὶ φονίοιο παρὰ προπύλαια Λυκούργου
ἄκρα ποδῶν, καὶ χεῖρες ἐπῃωρεῦντο θανόντων,
καὶ φόνος ἦν ξενίου δὲ Διὸς παρὰ γείτονι βωμῷ
ὀθνεῖοι στενάχοντες ἐμιστύλλοντο μαχαίρῃ.

Valde inſanus Lycurgus: ob occiſorum vero ferrum
Coronabat humanis ſuum veſtibulum capitibus.

Talis

Talis erat Lycurgus ſimul educatus, onera vero ferentes
Sæpius in triviis errantes viros viatores
Ligans in domum traxit; Marti vero Patri
Mactans ſacrificavit, occiſorum vero machæra
Capita mittens muniebat male hoſpitales portas.
Sic etiam homicidæ ad veſtibula Lycurgi
Extrema pedum et manus ſuſpenſæ erant mortuorum,
Et cædes erat, Hoſpitalis vero Iovis ad vicinum altare.
Peregrini gemiſcentes fruſtulatim dilaniabantur gladiis.

Lucanus lib: II. pag: 39. *de Biſtonio Tyranno* & *Antæo.*

Non Thracia tantum
Vidit Biſtonii ſtabulis pendere Tyranni;
Poſtibus Antæi libye. (membra ſcilicet mactatorum.)

Templorum portæ, loricæ, & laquearia apud Scythas ejuſmodi victimarum humanarum exuviis olim ſuperbierunt. Cyrillus contra Iulianum libro IV: id teſtatur.

tur. *Verum Scythæ circa Tauricum Cherſoneſum hoſpites ad ſe venientes Dianæ ſuæ immolant, ſuſpendentes in portis templi capita.* Euripedes in Iphigenia in Tauris; de iiſdem *Scythis.*

> καὶ βωμὸς, Ἑλλὴν οὗ κατασάζει φονος,
> ἐξ αἱμάτων γοῦν ξάνθ᾽ ἔχει ϛιχώματα·
> θριγκοῖς δ᾽ ὑπ᾽ αὐτοῖς σκῦλ᾽ ὁρᾶς ἠρτημένα
> τῶν κατθανόντων τἀκροθίνια ξένων.
>
> *Et ara* (in templo Dianæ Tauricæ) *ex qua Græcus ſtillat ſanguis,*
> *Ex ſanguine quidem rubras habet comas,*
> *Loricis vero ſub ipſis templi ſpolia videſne ſuſpenſa*
> *Interfectorum primitias et exuvias hoſpitum?*

Ita etiam *Phryxi Pædagogus* nomine Crius id eſt Aries *à Colchis* ſub inperio Æetæ Diis immolatus eſt, & corporis ejus exuviæ de more fani parietibus affixæ ſunt; ſicut ſcribit Diodorus Siculus lib: IV. Bibliothecæ. pag: 250. Apollonius autem Rhodius lib: III. de Colchis teſtatur, quod civium *ſuorum defunctorum cadavera* ἐν ἀδεψήτοισι βοείαις δενδρέων ἐξάπτειν

ἀπτεῖν ἑκὰς ἄστεος *taurinis pellibus inelaboratis inſuta procul urbe de arboribus ex catena ſuſpendere* conſueverint. Sed Ariuchi, Sinchi Napæi Tauri incolæ immolatorum advenarum capita fanorum parietibus affixerunt. De iis ita Ammian. Marcellinus lib: XXII. Diis enim hoſtiis litantes humanis, & immolantes advenas Dianæ, quæ apud illos dicitur Orſiloche, cæſorum capita fani parietibus præfigebant, velut fortium perpetua monumenta facinorum. Sed Hoſtium capita poſtibus affigere *G*allis uſitatum erat, ſicut adſtruit Poſidonius, & ex eo Strabo lib: IV. pag: 359. Iidem truncata hoſtium capita equorum collis appendere, & ſpolia ſanguine polluta velut in triumpho præferenda famulis tradere conſueverunt, juxta Diodor. *S*iculum lib: V. pag: 308. Sed *Græci*, ut author Cointus Smyrnæus lib: XIV. *capita hoſtium Trojanorum à ſe cæſorum ex navibus ſuſpendebant*, cum redirent ex Trojæ decennali obſidione in Græciam. *Cæterum Tovoupinam baultii* (Braſiliani) *in ſingulis pagis acervatim mactatorum calvarias diligenter aſſervant* (*pront.*

(*prout apud nos in cœmiteriis ſolent.*) Gallis vero ad eos commeantibus fuſiſſime rerum ſuarum geſtarum præconium perſequuntur, acervoſque illos, quaſi trophæa quædam fortitudiniſque ſuæ monumenta oſtentant. Præterea grandiora crurum & brachiorum oſſa non negligenter recondunt, fiſtulis conficiendis: dentes quoque avulſos filo traiiciunt, & circa collum obvolutos geſtant; ſunt verba Iohannis Lerii Hiſtor.navigat. in Braſil. cap: xv. p. 192. Sic Indiæ Hiſtoriæ Scriptor de inſulæ zamban malis agens refert eos hoſtium ab ſe mactatorum capita ædium ſacrarum valvis affigere ſolitos: denteſque collo appenſos ad oſtentationem geſtare. Apud alios autem Americæ populos *Caput* (hoſtis immolati) trophæi loco *in quarundam arborum parvarum à carnificina parum diſtantium, ad id nutritarum ramis appenduntur Quiſque regulus deſignatas nutrit in agro vicino arbores, cujuſque regionis hoſtilis nomina ſervantes, in quibus captorum bello capita immolata ſuſpendant*; Teſte *P.* Martyre. Et rurſus idem Martyr de orbe novo decade

cade prima pag: 79. *In Curiana capu Canibalis cujuſdam primarii foribus affixum*, quod tanquam vexillum aut galeam ab hoſtibus ereptam, pro ſumma laude ſervatum repererunt. Americani Templorum parietes ſanguine humano victimarum earum incruſtare & variare quoque ſolebant; Teſtis Martyr deſcript. Novi Orbis decade v. cap: iv. p. 352. *Muros* (templorum) videre cum accenſis facibus rubro illitos colore, pugionum cuſpidibus, quid ſit, tentant, muros confricant; victimarum humanarum ſanguine irrorati non erant ſolum parietes, ſed cruorem repererunt cruori ſuperadditum ad duorum uſque digitorum altitudinem. Attamen Hunni hoſtium pelles capitibus detractas veluti phaleras equis ſuis, cum equitarent, ſemper appendere ſolebant: ſicut docet Ammian. Marcellinus lib: xxxi. p. 790. Quidam Floridorum populi hoſtium cutem & cirnes ex ædium ſuarum laquearibus ſuſpendunt, & iis ſe exornant Quidam ex Novæ Hiſpaniæ incolis inſtar aureæ bullæ carnis fruſtulum hoſtium immolato-

rum

rum carne exſectum in corpore geſtant. Sed Principum Belle-Ile haud procul China capita coronis ex mortuorum calvariis ſibi invicem connexis, & ſericis vinculis colligatis fulgent & gloriantur. Mexicani in feſtis ſuis aliquid hoſtium mactatorum in corpore oſtentant. *Populi* Huancas in *Peruvia* ex hoſtium pellibus tympana conficiunt. Cambales manus hoſtium collo ſuſpenſas gerunt. Calvacani in *America* captivorum immolatorum oſſa ad pedes idolorum ſuorum appendunt. Quædam *Africæ* mulieres hoſtium à viris occiſorum teſticulis ab utraque aure demiſſis gloriantur, ſicut teſtantur. Laatius in Hiſtor. Amer. Sommedo in Hiſtor. Chinæ lib: 1. cap: 2. *Garcilaſſo* lib: VI. cap: 10. Charles de Rochefort Hiſtor. Moral. inſular. Americæ cap: 21. pag:439. *P.* de Broeke in Itin: P.Martyr decade IV. cap: 8. p. 315. Dec. VI. cap: 2. p.439. Sicut ſupra *Canibales*, ita etiam olim cum *Selinuntiorum urbs ab Hannibale eſſet occupata et capta*, κατὰ τὸ πάτριον ἔθος *nonnulli crebras hoſtium manus corpori adoptatas circumgeſtabant*, ut vi-

ut videre licet in Diodoro Siculo Biblioth. lib: XIII. pag: 182. Eadem feritate, qua Gentiles captivorum immolationibus Deos coluerunt, ex eorum etiam aliorumque *hominum calvariis* in poculorum modum præparatis *potare vinumque libare* conſueverunt. De *Scythis* id præter Ægidium Maſerium in comment. ad lib: v. Valerii Flacci Argonaut. Herodotus lib: IV. p. 277. & 239. docet ἀποπρίσας ἕκαστος πάυτὸ ἔγερθεν τῶ ὀφρύων ἐκκαθαίρει, καὶ ἣν μενῆ πένης, ὁδ᾽ ἔξωθεν ὠμοβοέην μόνηυν περιτείνας, οὕτω χρᾶται, ἣν δὲ πλουσίος, τὴν μὲν ὠμο βόην περιτείνει, ἔσωθεν δὲ περιχρυσώσας, οὕτω χρᾶται ποτηρίῳ. *Ut quiſque illud, quod eſt infra ſupercilia, reciſum* (ex capite) *prorſus excutiat, et crudo tantum bovis corio, ſi pauper ſit, ſin dives non modo exterius, verum etiam interius inauret, et ſic uterque pro poculo utatur.* De iiſdem P. Mela lib: II. cap: 8. pag: 40. *Pocula inimiciſſimorum capitibus expoliunt.* Addatur Strabo Amaſianus lib: VII. p. 206. τῶν Σκυθῶν ξενοθυτούντων, καὶ ταρκοφαγόυντων, καὶ τοῖς κρανίοις ἐκπώμασι χρωμένων.

Scyt-

Scytharum hoſpites immolantium et carnibus eorum veſcentium ac calvariis poculorum loco utentium. De Septentrionalibus populis Plinius lib: VII. cap: 2. *Priores Antropophagos, quos ad Septentrionem* eſſe *diximus, decem dierum itinere ſupra Boryſtenem amnem oſſibus humanorum capitum bibere, cutibuſque cum capillo pro mantelibus ante pectora uti.* Et non tantum occiſorum hoſtium, ſed etiam defunctorum *P*arentum & amicorum capita eo uſu conſcelerarunt Eſſedones Scythæ; Solinus *P*olyhiſtor. cap: 19. Eſſedonum mos eſt *amicorum capitum oſſa auro incincta in poculorum tradere miniſterium.* De iiſdem *P*omponius Mela Geograph. lib: II. cap: I, pag: 39. *Eſſedones Scythiæ populi parentum defunctorum capita ubi fabre expolivere, auro cincta pro poculis gerunt.* Eandem conſuetudinem habuerunt ferociſſimi populi *Scordiſci.* Ammian. Marcellinus lib: XXVII. pag: 710. *Scordiſci, ut antiquitas docet, hoſtiis captivorum Bellonæ litantes et Marti, humanumque ſanguinem in oſſibus capitum humanis bibentes avidius.*

*A*dde

Adde Florum lib: III. cap: 4. *de Thracibus* generaliter affirmantem, quod litare Deis ſanguinem humanum, *et in oſſibus capitum bibere conſueverint.* De *Boiis* T. Livius lib: XXIII. p. 413. *Caputque Ducis* (Poſthumii) *præciſum* Boii ovantes templo intulere, purgato inde capite, ut mos iis eſt, *calvam auro cælavere, idque ſacrum vas illis erat, quo ſolennibus libarent.* De *Sarracenis* Guibertus Hiſtoriæ Sacræ lib: VIII. idem ſcelus affirmat. *Exemto vertex* (Gervaſii militis) *à capite ſerra dividitur; idemque in modum poculi Regi Damaſceno, à quo hæc gerebantur, ad terrorem noſtrorum quaſi exinde bibituro conficitur.* Paulus Diaconus, ſive Paulus Warnefridus lib: I. c. 27. *Longobardis* & eorum *Regi* idem aſcribit. *In eo prelio Alboin*(Longobardorum Rex) *Cunimundum* (Gepidærum Regem) *occidit, caputque illius ſublatum, ad bibendum ex eo poculum fecit, quos genus poculi apud eos* ſcala *dicitur, lingua vero latina patera vocitatur.* Optime equidem, quippe *ſcala* eſt *patera.* Gloſſar. Latino Theotiſc. *patera*

ſcala, Leg. Bojorum. tit: III. leg: 6. Iſidor. Orig. lib: xx. cap: 5. *Calices et calathi et ſcalæ, poculorum genera.* Rurſus de eodem Warnefridus de Longobard. geſtis lib: II. cap: 28. *Cum in convivio* (Alboin) *ultra quam oportuerat, apud Veronam lætus reſideret, cum poculo, quod de capite Cunimundi Regis ſui ſoceri fecerat, reginæ ad bibendum vina dari præcepit, atque eam ut cum patre ſuo lætanter biberet, invitavit.* Hoc ne cuj videatur impoſſibile, veritatem in Chriſto loquor, ego hoc poculum vidi in quodam die feſto, Ratchis Principem ut illud convivis ſuis oſtentaret, manu tenentem. Paulus Æmilius l. I. de Francorum geſtis eandem hiſtoriam ita ſcribit Curſum rerum ſecundarum. eſt pauliſper remorata mors Alboini (Longobardorum Regis.) Is Clotoſinda mortua Roſimundam Comundi Gepidarum Regis à ſe prælio cæſi filiam uxorem duxerat. *Ex ſoceri calva, more gentis poculum fecerat, quo in ſolennibus epulis uteretur.* In convivio vino gravior coegerat Roſimundam calva patris bibere. *P*ro Comundo corrigendum eſt

in Pau-

in Paulo Æmilio Cunimundi; nam Hermannus Contractus cum Warnefrido conſentiens non Comundum ſed Chunimundum illum Gepidarum Regem appellat. Ita enim loquitur. *Chunimundus Rex occiſus eſt, de cujus capite auro incluſo Alboin ſibi praciam fecit.* Neceſſario hic, ſicut ſupra ex Warnefrido liquet, ſcribendum eſt; *ſibi pateram fecit.* Sic etiam *P.* Æmilius lib: III. Hiſtor. *Regem Bulgarorum* idem feciſſe teſtatur. *Indignitate rei furens Barbarus* (Rex Bulgarorum) *congredi majori exercitu minore ira auſum Græcum* (Græciæ Imperatorem Nicephorum) *ipſum maximamque nobilitatis partem interemit: capiteque cæſi purgato, calvam argento induxit, eaque cum ipſe libaſſet, proceres ſuos ebibere juſſit.* Americani etiam quidam nempe Tenuſtitani caput hoſtis immolati, carne nudatum, & auro in ſertum pro trophæo habent, Martyr. decad: v. c. 10. p. 432. de novo orbe. Et eo tanquam poculo utuntur quoque incolæ Chili; teſte Pedro de Madriga in Deſcript, *P*eru; & Africani in Guinea juxta

Dapperum de Africa. Sic Ungaros captivorum, ex calvariis pocula finxiſſe docet Antonius Bonfinius Rerum Ungar. I. Decad. lib: I. p. 10. Eodem crimine antiquitus *Celtæ* imbuti fuerunt, de quibus Silius Italicus lib: XIII.

At Celtæ vacuj capitis circumdare gaudent
Oſſa nefas auro, & menſis ea pocula ſervant.

Et ſicut gentiles crudeli & abominabili libidine, ſuperſtitione, & luxuria hoſpitum & hoſtium immolatorum corpore, membris, atque capitibus ad ludibrium; ita etiam *amicorum* defunctorum *cadaveribus* in honoris ſpeciem *abuſi ſunt*. Sic *Galli* Veteres *illuſtrium Virorum capita cedrinis condientes odoribus peregrinis oſtentabant*; Strabo lib: IV. Geograph. pag: 359. Sic *Americani defunctorum oſſa comburunt, capitis cervicem ſervant, hanc nobilior è fæminis ſecum affert domi ſervandam pro re ſacra*; ſicut loquitur *Petrus* Martyr Decad. VII. cap: 9. De iiſdem *Americæ populis* idem rurſus P. Martyr de novo Orbe Dec. VIII. p. 582.

Obeun-

Obeuntium corpora , nobiliorum præſertim arundineis cratibus partim compoſita diſtendunt, ac lento igni quarundam herbarum ſuccenſo ſicca reddunt, humore univerſo guttatim deſtillato, ea deinde ſervant, *in penetralibus ſuſpenſa pro penatibus.* Eodem etiam modo amicorum demortuorum ſceleton , ſive oſſa in ædibus ſuis erigunt & cuſtodiunt incolæ imperii Monomolapa in Æthiopia inferiori, veluti Dapperus in Deſcript. Africæ teſtatur pag: 657. Taceo jam , quod hominum immolatorum & mortuorum cadaveribus, membris, & partibus ad magiam olim abuſi fuerint, ſicut de capite innuit Libanius Sophiſta in Vita ſua ex interpretatione Frederici Morelli. Iuvenis quidam magna mercede ad hunc Principem accurrit, & me duarum mulierecularum capita amputata poſſidere aſſeruit, quarum una in ipſum uterer, altera autem in ſeniorem. Melius eſt, mea quidem ſententia, ſi in hoc loco legamus, quorum uno in ipſum uterer, altero in ſeniorem; ſcilicet capite, non vero muliere. De reliquorum humani corporis

membrorum abuſu vide caput. XIX. XX. XXI. libri primi.

CAP. XX.

Loca humanis victimis deputata. Colebant gentiles pro Deis fontes, montes, flumina, & lucos. Polybius explicatur & illuſtratur. Templa Chriſtianorum ad fontes. Lapides coronati & uncti. P. Diaconus explicatur. Sacra Gentilium in lucis peracta. Victimæ Humanæ immolatæ in lucis. Claudianus, & legum Longobard. lib: II. *titulus* 38. *illuſtrantur. Arbor ſanguinis. In lucis convivia agitabant, cum ſacra fierent, Sagma, ſagmarii equi. Martyrologium illuſtratur. Error Iſidori & Caſauboni refutatur. Ad arbores ſacrivas illas ſive ſanguinis adorabant, & incantationes faciebant. Lumina in arboribus accendebant. Macrobius & alii Authores illuſtrantur.*

JAm tempus poſtulat, ut *de locis* quædam hic inſpergamus, *in quibus Gentiles hæc* abominabilia *ſacrificia perpetrarunt*. Ad hæc *ſacrificia* tam *hominum*, quam *pecudum* non tam ipſis arridebant templa, quam remotiſſima & obſcuriſſima *antra*, limpidiſſimi *fontes*, &

flumina

flumina, infrequentia *teſqua*, ſqualentes *eremi*, & denſiſſimi *luci* nullum ſolem admittentes, & perpetuam noctem foventes. Hos lucos autem non tantum religioſe venerabantur, ſed Deorum inſtar adorabant. Unde etiam eremis, teſquis, atque lucis nomen ipſa idololatria impoſuit Nam *teſqua loca ſunt alicuj Deo dicata*, ut patet ex Varrone, Cicerone, & Feſto. Strabo lib: x. *teſqua* ſic definit. ἐστὶν ἀοίκητα τὰ χωρία τῆς τῶν δαιμόνων τούτων τιμῆς. & *eremos quod attinet*; apud Pindarum Nemeon. Od: x. ἔρημοι *loca ſunt, ubi quædam Deorum ſtatuæ.* Recte autem Æſchylus in *P*rometheo Vincto dixit ἄβατα; ut & Dionyſius *A*reopagita cap: ultimo de Nomin. Divin. ἀνεμβατα. Artemidoro, *P*lutarch. in *P*yrrho τὰ καταβαλλόμενα τοῖς κεραυνοῖς ἀνέμβατα μένειν χωρία. *Loca ſacra ſulphure diſcuſſa invia relinqui*, quale templum Arthemidis apud Epheſios; juxta Achillem Tatium lib: VII. *Sic* ἄτικτα ἱερά dicuntur Æſchylo Agamemnon. quæ de ipſis Sacris accipi poſſe ſcio, ſed & de locis Nicander Theiateirenus *pſycteria*

etiam vocari tradit *nemeroſa & umbroſa loca Diis ſacrata.* Ita Æſchylus in Adoleſcent. *in denſis & opacis ψυκτηρίοις.* Euripides in Phaetonte: *Amicis ulnis ψυκτήρια; id eſt arbuta umbroſa excipient.* Author Ægimii ſive Mileſius Cercops: *Ubi tandem opacum mihi ψυκτήριον opacum nemus erit.* Conſule Athenæum lib: 11. pag: 503. Sed Chriſtophorus landinus in Horatii od: 7. ita lucum definivit. *Nam lucus nemus eſt Deo ſacrum græcè τέμενος, hic intelligit Horatius ſylvam. lucus dictus eſt à lucendo propter crebra lumina, quæ in ſacris nocturno tempore lucebant, vel quod minime luceat, cum nullæ illic arbores propter religionem cæderentur.* Pagani igitur *immolarunt hoſtias ſuas ad fontes lucoſque amæniſſimos.* Docet illud Hieronymus ad cap: VII. Ierem. *Hic autem gentilitatis error omnes provincias occupavit, ut ad capita fontium, lucosque amæniſſimos victimas immolarent.* Nec hoc cuiquam mirum videatur, cum, ſicut ſupra diximus, *fontes, montes, flumina,* & *lucos divina reverentia dignatus fuerit* profanus Gentiliſmus,

mus. Nam *Agathias* Scholaſticus illud lib: 1. Hiſtoriarum de Alamannis diſerte teſtatur. δένδρατα γὰρ τίνα ἱλάσκοντι, καὶ ῥεῖθρα ποταμῶν καὶ λόφοις καὶ φάραγγας, καὶ τούτοις ὥσπερ ὅσια δρῶντες. ἵππους τε καὶ ἄλλα ἄττα μυρία καρατομοῦντες ἐπιθειάζουσιν. *Arbores enim* (*Alamanni*) *quaſdam colunt, & fluminum lapſus, & colles, et ſaltus; atque his tanquam juſta facientes equos aliaque quam plurima, reſectis capitibus immolant.* Hinc intelligi poteſt, quare *Hannibal* Carthaginienſium Imperator fædus cum *P*hilippo Macedonum Rege percuſſurus *tellurem, fluvios, prata, & aquas in fidei teſtes vocaverit.* *P*olybius lib: VII. de formula jurisjurandi, quo fædus ſanciverunt Hannibal & Philippus Rex Macedonum. ἐνάντιον δαίμονος καρχηδονίων καὶ ἡρακλέους ἰολάου. ἐνάντιον ἄρεως, τρίτωνος, ποσειδῶνος: ἐνάντιον θεῶν τῶν συστρατευομένων, καὶ ἡλίου καὶ σελήνης καὶ γῆς. ἐνάντιον ποταμῶν, καὶ λειμώνων, καὶ ὑδάτων. *Coram Dea Carthaginienſium, Hercule & Jolao, item coram Marte, Tritone, Neptuno: coram Diis expeditionis omnibus:*

tibus: Sole etiam, Luna, & Tellure, coram fluviis, pratis, aquis. Procopius lib: 11. Goticorum *Thulæ incolas* etiam *fluviis & fontibus divinum honorem habuiſſe*, & quod iis numina adeſſent, credidiſſe his verbis docet. *Deos colunt æt-herios, aerios, terreſtres, marinos, quæque fontibus ac fluviis adeſſe numina creduntur.* Unde etiam generaliter canit Sedulius Scotus lib: 1.

Hic laticem colit, ille larem.

Homerus Odyſſ: κ. flumina & ſylvas etiam ſacris vocat.

τέσσαρες, αἵ οἱ δῶμα κατὰ δρήστειραι
ἔασι.
γίνονται δ' ἄρα ταί γ' ἔκ τε κρηνέ-
ων, ἀπό τ' ἀλσέων,
Ἔκ θ' ἱερῶν ποταμῶν, οἵτ' εἰς ἅλαδε
προρέουσι.

Quatuor quæ ei domi adminiſtræ erant.
Natæ autem hæ erant ex fontibus, &
à ſylvis.
Et ex ſacris fluminibus, quæ ad mare
profluunt.

Ab hac fontium veneratione fortaſſe illa conſuetudo profluxit, qua Ethnici, &

Ethni-

Ethnicorum in multis æmuli Chriſtiani veteres à primæva ſua puritate deflectentes ad flumina & fontes olim templa ſua extruxerunt. Ita templi Mariæ, quod ad fontem extra urbem Conſtantinopolitanam erat extructum, meminerunt Nicephorus Calliſtus lib: xv. Hiſtor. Eccleſ. cap: 25. & 26. Cantacuzenus lib: IV. cap: 1. Codinus cap: 16. Sed dici etiam poteſt hoc commoditatis & amænitatis gratia eſſe factum. Colebatur inſuper religioſe à paganis, quidquid excelſum *ſublime* erat, cujuſmodi ſunt, *tumuli*, *montes*, & id genus alia: De *Iſraelitis*, qui à Chananæis hac idololatria infecti fuerunt, teſtatur Propheta Ieremias XIX. 5. De *Getis* vero Strabo Amaſianus lib: VII. Geogr. παρὰ γὰρ τοῖς γεταῖς ὁ Ιερεὺς ὠνομάζετο θεὸς, καὶ τὸ ὄρος ὑπελείφθη ἱερὸν, καὶ προσαγορεύουσιν οὕτως. *Apud Getas Sacerdos Deus dicitur & mons ſacer exiſtimatur & ita appellatur.* Unde *in ſummis montium jugis Perſis ſacrificandi* etiam *mos erat*: ſunt verba Xenophontis de Inſtitut. lib: VIII. pag: 251. Sic etiam flexis genibus *divinoque*

honore dignati ſunt lapides olim Teſtatur illud *Pauſanias* in Achaicis lib: VII. pag: 516. *Prope ipſum Dei ſignum lapides fere triginta erecti ſunt, quadrangula figura: ſingulos certis Deorum nominibus appellantes venerantur. Et ſane Græcis olim omnibus patrium fuit rudes lapides pro Deis perinde ac ſimulachra ipſa colere.* Hos lapides gentiles colere, oleo fraganti perfundere, coronis nobilitare, & oſculis libare conſueverunt. Vide Arnobium. Adde Capitul. lib: VII. Tit. 236. Burcherdum decret. lib: x. cap: 32. Concilium Agath. cap: 5. Huic idololatriæ per accidens forte anſam atque cauſam dedit Patriarcha Iacobus, qui, quo in loco Deus ipſi per ſomnum apparruiſſet, lapides diſpoſuit in ſtatuam, & oleum in eos effudit. *Geneſ.* XXVIII. 18. Hæc obiter. Omnes hujus idololatriæ ſpecies, quas ſupra demonſtravimus, in unum contractas nobis exhibet *Apulejus* lib: I. Floridor. pag: 3. *Neque enim juſtius religioſam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut* ſpelunca *frondibus inumbrata, aut* quercus *cor-*

cus *cor-*

cus *cornibus onerata*, *aut* fagus *pellibus coronata*, *vel enim* colliculus *ſepimine conſecratus*, *vel ceſpes libamine humigatus*, *vel* lapis *unguine delibutus*. His idololatriæ differentiis etiam Rex Canutus in L. L. Politicis cap: 5. Gentiliſmum ita dimenſus eſt. *Adorationem gentilem planiſſime vetamus: gentilis eſt autem adoratio, ſive quis idola (puta gentium Divos) Solem, Lunam, ignem, profluentem, fontes, ſaxa, cujuſque generis arbores, lignave coluerit.* Præcipuam autem *venerationem* & honorem pagani *lucis habuere*. Sic C. Plinius lib: XII. cap: I. *Arbores fuere Numinum templa, priſcoque ritu ſimplicia rura etiam nunc præcellentem arborem Deo dicant.* Paulus Diaconus in Benedictum Patrem. idem innuere videtur.

Lyris amæna petens ducibus comitaris opimis
Cælitus attraheris lyris amæna petens;
Anguis inique furis. luco ſpoliatus & aris.
Amiſſis populis anguis inique furis.

Per anguem ſerpens ille antiquus nempe

 Diabo-

Diabolus intelligitur, qui in Gentiliſmo per lucos ubique terrarum colebatur. In *his lucis* idololatriæ exercendæ conſecratis *ſacrificabant, adorabant*, & maximo atque divino honore & cultu *idola ſua colebant Iſraelitæ* Iudic. III. 7. *Iſraelitæ decem tribuum*; 1 Reg. XIV. 15. 2 Reg. XVII. 10. 16. *Iudæi*; 1 Reg: XIV. 23. & XXIII. 4. 6. 2 Chron: XXIV. 18. Ezaiæ I. 29. & XXVII. 9. & LVII. 5. Ierem: XVII. 2. Ezech: XVI. 24. 25. 31. 39. Micha V. 14. *Homines civitatis Gedeon*. Iudic: VI. 25. *Mahaca*; 1 Reg: XV. 13. *Achab*; 1 Reg: XVI. 33. & XVIII. 19. 2 Reg: XIII. 6. *Manaſſes*; 2 Chron: XXXIII. 3. 19. Ita etiam *Abaſgi* Populi *arboribus divinum honorem exhibuerunt*, quas & pro Deis venerati ſunt. Teſtatur Zonaras tom: III. Hiſtor. μέχρι μέντοι τότε καὶ τῆς τῶν χριστιανῶν θρησκείας ἦσαν ἀμύητοι, ἄλση δὲ καὶ ὕλας ἐσέβοντο καὶ τὰ δένδρα τούτοις ἐξ ἀφελείας βαρβαρικῆς εἰς θεοὺς ἐνομίζοντο. *Cum ad id uſque tempus* (Abaſgi populi) *Chriſtianæ religionis rudes eſſent, & lucos ac ſylvas venerarentur, & arbores barbarica ſimpli-*

ſimplicitate pro Deis haberent. Hinc etiam teſtatur Tyrius Maximus; *Celtas excelſam quercum coluiſſe, & Iovis nomine ſolenniter appellaſſe.* Majores certe noſtros in hunc arborum cultum nimis propendiſſe docet Burchardus lib: x. cap: 10. 21, 31. Concilium Nannetenſe cap: 8. Braccar: cap: 22. *A*gathenſe cap: 5. Severus in vita Martini cap: 10. Albertus Krantzius lib: 1. in præfat lib: 1. *S*ueciæ. Tacitus Annal: lib: 1. p. 37. Inter celeberrimos autem *G*ermanorum, Gallorumque Majorum noſtrorum lucos & ſylvas facile claſſem duxit *Hercinia ſylva:* de qua Aimoinus de geſtis Francor:lib: 1. cap: 1. Dionyſius in deſcript: mundi aliique. & *Carbonaria ſylva*, cujus frequens mentio apud Rerum Francicarum Scriptores. Sed præcipue Carbonariæ ſylvæ meminerunt Lex Salica tit: 49. Tritenheim: ex Hunnibaldo. Sulpitius Alexander. *G*regorius Turonenſis lib: 11. cap: 8. 9. Sigebert: *G*emblacenſis Anno 880. Erat autem inter Camaracum & Tornacum. *P*ræcipua *in Belgica ſylva Ardenna* fuit, Aimoinus de geſtis Francorum lib: 1,

lib: I. cap: 5. de illo luco ita (*In Belgica*) *ſylva quoque Ardenna eſt, quæ eſt totius Galliæ maxima.* de ea vide & Strabonem lib: IV. pag: 353. Belgica certe hæc noſtra multa horum *lucorum* ſerie priſcis ſeculis ſcatebat, *qui Mercurio* præſertim maximo apud Germanos Deo erant conſecrat: De his. Marc: Boxhornius in Theat: Holland: cap: IV. *Indicant certe magnam in Hollandia arborum ſtragem, quam aut Rheni fluminis rapido delapſu, aut ventorum violentia illatam olim fuiſſe certum eſt. Eam alii ad annum* DCCC LX, *alii ad annum* M. DC. LXX. *quo ipſo obſtructum Rheni prope Leidam oſtium dicitur; nonnulli etiam ad anuum* D.CC. *referunt; quo Willebrordum Trajectenſem Epiſcopum, precibus ſuis apud Deum obtinuiſſe ajunt, ut nemora hæc Mercurio aliisque Diis gentilibus, ſolenni Germanorum, ut notat Tacitus, inſtituto, ſacrata, dejicerentur atque proſternerentur; ne ſuperſtitionibus paganorum amplius paterent.* Ejuſmodi *lucum Leidæ fuiſſe* teſtatur *P.* Scriverius. Lugdun: Batavorum.

Has

Has quondam Engiſtus (ſic fama eſt) appulit oras,
Durateoque Horſus per mare vectus equo.
Pyrgus, & in media qui nunc oſtenditur urbe,
Creditur Engiſti bellipotentis opus.
Claudius heic, ſanguis Regum, Civilis agebat:
Nec procul hinc Sacrum (cetera mitto) nemus.

Aliique ejuſdem generis luci apud Belgas, Germanos, Gallos, & Friſios antiquitus inveniebantur, & colebantur. Attamen præter ſacros hos lucos diris ſuis ſacrificiis deſtinatos, *Germani* etiam *templa habuerunt*, veluti pro me teſtantur Abbas Uſpergenſis in Chron: ad annum CM.CLXIX, loquens de Ziza Dea apud urbem Auguſtam culta. Ita etiam *Chinenſes* aliqua *veneratione arbores proſequi* videntur. Sic enim Iohann: Nieuhoff in Deſcriptione Chinæ refert; quod in regione Suchuen in parvo oppido Kien arbor nomine Cicnnien, hoc eſt, arbor mille annorum in quodam idoli fano videtur, quæ tam procera

procera eſt, ut ducentæ oves ſub uno ramo latere & circumcurrere, nec tamen videri poſſint, licet aliquis proxime ramo adſiſtat. De *Indis* autem *hodiernis arborum cultoribus* inſpiciatur *P*ietro della Valle part: v. cap: 3. pag: 17. Quod autem & reliqui ethnici, & omnes fere totius terrarum orbis gentes ab hac idololatria non fuerunt immunes, præter innumeros alios Autores (quos in opere noſtro brevi σὺν θεῷ edendo de montibus, fontibus, lucis &c: ſacris exhibebo) docent Duris Samius. Aſius *P*oeta Samius. Nicius Epigramm: Proclus Lycius hymn: in Solem & Muſas. Glaucus & Satyrus in Epigramm: Mnaſalcus. Paulus Silentarius in epigramm: in hortum prope mare. Theætetus in Pana. Mæcius in Pana. Philemon in *P*ana. Crinagoras epigramm: Erycius Epigramm: Geta epigramm: Hermocreon in Carm: Geometra in hym: 11. *P*hil. in Epigramm: in laurum ſecuri ſucciſam. Thyllus in Epigramm: *S*teſichorus. Crinagorus in Romam epigramm: Cometa Chartularius in epigramm: Marianus *S*cholaſticus in ſubur-

ſuburbium. Myrus in epigramm: Eudocia Leonis Imperatoris filia in Epigramm: Leonida Tarentinus in carm: ad agreſtes Deos. Meleager in cicadam. *A*rchius in Bacchum. Zona in carm: & Alcæus in epigramm: Anyta in Pana. quos invenies in Florilegio *G*ræcorum *P*lanudis. Myrinus in Epigramm: Simonides in Sophoclem. C Helvius Cinna in carmine. Iulius *P*oliænus in Carm: Hermippus in epigramm: Teleſta in carm: Archius & Leonida. M. Furius Bubaculus in Carmin: Eparchides. Drepanius Florus in epiſt: ad Moduinum. Liberius Acroſtichides. Chalcidius in Timæum *P*latonis. Oppianus de *P*iſcatione lib: IV. verſu 281. Marcianus Heracl. περιηγήσεως. verſu 617. Coluthus. Lycopol: de raptu Helenæ. Cenſorinus de die natali cap: 4. Laurea Tull. in Carm. Turpilius in Carm. Sulpitia in Satyra. *G*regorius Theologus. Eutropius lib: VI. Conſtantinus *P*orphyrogenneta lib: II. Them. Apollonius *S*myrnæus. Eubulus in Aſtytis Apud Athenæum lib: I. in principio. Iunior apud eundem lib: II.

pag:

pag: 28. Eryphus in Melibæa apud eundem lib: III. Theognides Megarenſis in ſentent. Xenophanes Colophonius in Carm. Heſiodus Scut. Herculis pag: 75. Ariſtocritus de Mileto. Menecles ſive Calliſtrates in opere de Athenienſ. Guntherus in Ligurino. Albinovanus in Conſolat. ad Liviam. Gabriel Biel ſerm. XVII. de Bonifacio. Theologus Vetus in Epiſt. ad Baſilium Magnum. Ariſtocritus de Mileto. Zoſimus lib: II. pag: 395. Conſtantinus Manaſſes Chronolog. Poemat. verſ: XII. aliique. Imo *pecunia, ipſumque ærarium olim erat ſacrum.* Hegeſippus lib: I. cap: 17. Excid. Hieroſolymit. Apollonius Collatius Excid. Hieroſolym. lib: IV. L. Fin. C. de palat. ſac. largit. lib: II. Philippus Rubenus lib: II. lectiſſ. elector. In his autem *montibus, cavernis & antris, lucis, fluminibusque* dira illa *hominum ſacrificia Gentiles aliique adminiſtrarunt.* Nam quod ad *lucos* ſpectat, in hoc *Iphigenia* à Græcis immolanda foret. Dictys Cretenſis lib: I. pag: 15. id innuere videtur, *Igitur inter tantam animi dubitationem*

nem vox quædam in luco emiſſa, aſpernari numen ſacrificii genus, & ob id abſtinendum à corpore virginis. &c: *Sauromatas* feros & *Bebrycii incolas nemora* ſua etiam his *humanis hoſtiis contaminaſſe* innuere videtur *P*ampin: Statius Thebaid. lib. III. pag. 146.

Melius legatus adiſſem
Sauromatas avidos, ſervatoremque cruentum
Bebrycii nemoris.

Sic *in Mona inſula horrentes &* denſiſſimi *luci ſævis ſuperſtitionibus* (victimarum humanarum) *ſacri fuerunt*, dicente Tacito Annalium lib. XIV. pag. 322. Imo *tota Germania* nefanda *hæc ſacra in lucis obibat.* Tacitus in Germania. *Stato tempore in ſylvam auguriis patrum & priſca formidine ſacram, omnes ejuſdemque ſanguines populi legationibus coeunt, cæſoque publice homine celebrant Barbari ritus horrenda primordia. P*ræcipue autem immenſa & horribilis illa ſylva *Hercynia*, de qua ſuperius, *furvis illis victimis* clara fuit. Claudianus de laudibus Stilicon. lib. I.

Ut pro-

Ut procul Hercyniæ per vaſtæ ſilentia ſylvæ
Venari tuto liceat, lucosque vetuſta
Relligione truces, & robora Numinis inſtar
Barbariei, noſtræ feriant impune ſecures.

Truces dicit Claudianus, quia Germani miſeros illos homines in victimas Diabolo immolatos arboribus tanquam crucibus in vaſtiſſimo illo luco ſuſpendebant, & ſuffigebant, ſicut in ſuperioribus ſuo loco indicatum eſt. & clariſſime probatur ex Tertulliano, cui hic Claudiani locus acceptum ferre debet, quod intelligatur, & nulla de hac re ſit dubitatio; ita autem ſcribit Tertullianus in *Apologia* pag. 824. *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconſulatum Tiberii, qui eoſdem* Sacerdotes in eiſdem arboribus *templi ſui obumbratricibus* ſcelerum votivis crucibus expoſuit, *teſte militia Patriæ noſtræ, quæ id ipſum munus illi Proconſuli functa eſt.* Ex his Tertulliani verbis veriſimili etiam ratione colligi poteſt, quod etiam *Africani*

cani illi *per crucifixionem homines immolaverint*, & Diabolo mactaverint. *Apud Maſſilienſes* quoque *lucus* quidam harum nefandarum *immolationum religione infamis erat*, de quo Lucianus lib. III. pag. 73.

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obſcurum cingens connexis aera ramis,
Et gelidas alte ſummotis ſolibus umbras.
Hic barbara ritu
Sacra Deum, ſtructæ diris altaribus aræ,
Omnisque humanis luſtrata cruoribus arbos.
Simulacraque mæſta Deorum
Arte carent, cæſisque exſtant informia truncis.
Ipſe ſitus, putrique facit jam robore pallor
Attonitos.

Sic *Saxones juxta arborem excelſam homines* vivos aquis immergebant, & ſuffocabant, atque ita *Deis ſuis* ſive Diabolo conſecrabant & *immolabant*, veluti teſtatur Albertus Krantzius in *Præfatione* lib. I.

lib. I. Sueciæ Quin etiam mitioribus temporibus, Chriſtianiſmo jam triumphare incipiente, & gentiliſmo paulatim moriente, tamen homines occæcati ægre ſe ab exſecrando hoc ritu divinoque arborum cultu abſtrahi paſſi ſunt, imo pertinaciter propoſitum ſuum perverſasque vias inſtiterunt, adeo ut, *hæc abominabilis idololatria* à Magiſtratibus *ſeveriſſimis legibus interdici debuerit.* Luculentum tibi hujus rej teſtimonium dat Lex Longobardorum lib. II. tit. XXXVIII. §. I. *Simili modo, & qui ad arborem, quam ruſtici ſanguinum vocant, atque ad fontanas adoraverit, aut ſacrilegium vel incantationem fecerit.* Per *Arborem ſanguinum* absque dubio ejuſmodi arbor intelligitur, *quæ ſanguine humanarum hoſtiarum variari* ſolebat. Sicut ad eundem modum Trebellius Pollio in Claudio *diem ſanguinis* vocat illum diem, quo Bellonarii furioſi ſanguinem ſuum ex corpore elicitum profondebant, & Bellonæ ſacrabant. His in lucis dum ſacrificia peragebantur, vel cum jam facta eſſent, *epulari*, commeſſari, potare, & convivia

vivia agitare *conſueverunt* Martyrologium M. S. in Paſſione B. Vitalis. hoc docet. *Cum reverteretur* (Valeria Conjux Vitalis) *ad urbem Mediolanenſium, idola tranſiens ſylvanos ſacrificantes incurrit: qui cum eam deponentes de ſaumario hortarentur ſecum epulari illa dicebat: Chriſtiana ſum, non mihi licet de ſylvanis veſtris ſacrificiis manducare.* Sed quid hic per *ſaumarium* intelligit? Sine dubio *equum clitellarium*, qui clitellis, ſive ephippio & tegmine erat inſtructus. Quippe, ſicut loquitur, Iſidorus Origin. lib. xx. cap. 16. *Sagma quæ corrupte vulgo ſauma, à ſtratu ſagorum vocatur: unde & caballus ſagmarius, mula ſagmaria.* Errat quidem Iſidorus, quod ſagmam à ſago derivat, cum Græcæ vocis formatio Latina ſit; nam ſagma Græcis σάγμα vel σάγη dicitur, quod jumento imponitur, ut mollius & ſine noxa ſua onus aliquod vehere poſſet. Gloſſarium Latino-Theotiſc. dicit. *Sagma, feltrum, vel ſtouſſoum, ſauma, ſoum. ſaumarius ſoumari.* Sic etiam Interpres, veteris inſtrumenti *pro jumenti*

ſella ponit. Occurrit etiam illa vox in eadem ſignificatione in Leveticorum cap xv. verſu. 9. *Item omne ſagma, ſedile, cuj inſidens vehetur:* apud Vegetium cap. 59. de Mulo-medicina: *ſubſellis aut ſaugmis:* Luitprandum in Hiſtor. *Sellæ & ſaugmata.* quibus adiice *A*imoinum lib. v. Hiſtor. Francor. cap. I. & cap. 34. atque Petrum de Vineis lib. III. Epiſt. 24. lib. v. epiſt. 91. Videmus autem hic, quod differentia inter ſellam & ſaugmam ſit: nam juxta Clariſſimum Caſaubonum in notis ad Lampridium p. 321. *ſagma proprie eſſet quod jumentis onera bajulantibus imponitur: ſella* vero *equorum, & aliorum animalium, quibus homo vehitur: ſellaris Græcis* eſſet ἵππος φορεὺς Plutarcho, vel κέλης: nam Euſtathius κέλης *explicat* ἵππος σέλλαριος *ſagmarius eſt* καβάλλης *& propterea ſeparatur à ſellari, qui* ἄπλωος *equus nominatur.* Sed ſicut mea fert opinio diſcrimen inter ſellam, & ſagmam non in eo verſatur, quod ſagma eſſet tegmen jumentorum onera bajulantium; ſella vero equis & animalibus eſſet propia, quæ ad hominum vecta-

vectationem deſtinarentur. Sicut Clariſſimus & Illuſtriſſimus Caſaubonus opinatur. Nam *ſagma & in* Martyrologio M. S. ſupra citato, & in plerisque infra adductis Authoribus *equis attribuitur* : unde colligo, quod fortaſſe hæc differentia inter ſellam & ſagmam in forma ſolummodo conſtiterit, ſicut adhuc hodierno die magnum diſcrimen inter equorum ſtrata eſt; & alia hanc alia illam habent formam & figuram. Antiqui enim præſertim Magnates ſuorum equorum ſtratis admodum luxuriabant. Hinc vatriæ ephippiorum ſive potius tegminum equorum ſpecies & differentiæ leguntur. Nam præter ſagmam & ſellam, de quibus jam diximus, erat inſtratum equorum, quod χάσδιον vocabant, cujus meminit Synodus Florentina, & Codinus cap. 2. χασέδιον vocat Achmet Oniropola cap. 220. Quidam etiam ex Imperatoris Romani equis ϛρώσια ſtrati vocabantur: ex quibus ſeptem erant parati excepturi Imperatorem, ut, quemcnmque ex illis voluerit, inequitaret. Reliqui equi σύρτα manu ducti appellabantur. Vide

Codinum lib. v. Iumentorum vero & equorum ſagmariorum, id eſt, ut ſupra oſtendimus, ſagmis, clitellis ſive ſellis oneratorum meminerunt Mauritius lib. I. cap. 6. Formulæ Solennes XII. in Corpore Legum Antiquarum. Aimoinus lib. V. cap. 7. Vegetius lib. III. Leo Marſic. lib. III. cap. 84. Radulphus Ardens Homil. XVIII. poſt Trinitat. Codinus de Cur. Pal. cap. 2. 5. Dithmarus Chron. lib. III. pag. 33. Bernardus lib. III. de Conſiderat. cap. 7. Libellus de Miraculis S. Udalrici. Vetus Chronicon anno MCCXXXIII. Godefridus Monachus pag. 257. & 261. Lampridius in Heliogobalo. pag. 154. Vita B. Hilarii. Epiſtola Aureliani ad Vicarium ſuum. Hinc *de equis ſaumaticis tributum ſaumaticum* in Præcepto Dagoberti de Mercato S. Dionyſii: *qui equus ſaumaticus* τξαγμάριος ἵππος recentioribus Græcis dicitur. Placet hic etiam obiter adiicere, quod equorum vertices, antilenæ, & poſtilenæ, præſertim ſi Ditiorum erant, τοῦφα parvam flammulam jactabant, juxta Codinum cap. 2. Leonem

nem Conſtitut. VI. & Mauritium II. Stratagem. cap. 2. apud *Giraltium*. Sed ad viam recurramus, ex qua abivimus. Ad *has* ſupra dictas *arbores ſanguinum*, *ſacrivas*, *et ſanctivum*, ex uſu, cui deſtinatæ erant, vocatas, *adorare*, *et incantationes facere etiam jam ſub Chriſtianiſmo conſueverant*, ſicut *in* leg. Longobard. lib. II. tit. XXXVIII. l. I. docetur *Qui ad arborem, quam ruſtici Sanctivum vocant, adoraverit, vel incantationes fecerit componat medietatem pretii ſui in ſacro palatio.* Quidam hic legunt *ſanguinum* loco ſanctivum, quam vocem & meus codex habet. Et arbor illa ſanguinum victimis illis humanis immolandis, crucifigendis & ſuſpendendis videtur antiquitus in Ethniciſmo deputata, ſicut ſupra etiam vidimus. *Ad fontes* etiam, quibus ſæpe hi luci erant irrigati, Cælitibus vota nuncupare *Germanis* jam Chriſtum profitentibus ſolenne erat; veluti docet Concil. Antiſſiodorenſe cap. 3. pag. 95. *Non liceat compenſas in domibus propriis, nec vigilias in feſtivitate Sanctorum facere, nec inter ſentes aut ar-*

bores ſacrivas, vel ad fontes vota ex ſolvere. Adiiciantur his Burchardus Decretor. lib. x. cap. 32. Concil. Agathienſe cap. 5. Imo dum ſacris ſuis operabantur, & invigilabant, *crebra luminaria ubique in arboribus accendebant.* Capitul. 1. tit. 64. Can. 8. Synod. Nannet. Canon 23. Synod. Arelat 2. Canon. 5, Syn. Agathenſ. apud Burchardum Epiſcop. decretor. lib. x. cap. 32. illud teſtantur Hanc idololatriam expreſſit Burchardus in Collect. Canon. lib. x. cap. 32. lib. xix. pag. 270. *Veniſti ad aliquem locum, id eſt, ad fontes, vel ad lapides, vel ad arbores, vel ad bivia, et ibi et candelam, aut faculam pro veneratione loci incendiſti.* Ita *facibus in arboreto accenſis* idololatriæ litare, fontes lapides, & petras adorare & venerari inter dixerunt. Capitula Karoli & Ludovici Impp. lib. 1. tit. 64. *Ideo præcipimus, ut nec cauculatores, et incantatores, nec tempeſtarii, vel obligatores fiant, et ubicunque ſunt emendentur vel damnentur. Item de arboribus, vel petris, vel fontibus ubi aliqui ſtulti lumina-*

ria,

ria, vel alias obſervationes faciunt, omnino mandamus, ut iſte peſſimus uſus et Deo execrabilis ubicunque invenitur, tollatur et deſtruatur. Iterum. Capitul. Karol. & Ludovici Imperat. lib. VII. tit. 236. *Si in alicujus preſbyteri parochia infideles aut faculas accenderint, aut arbores, aut fontes, aut ſaxa venerantur.* Concil. Toletan. XII. cap. II. Concil. Toletan. XVI. cap. 2. Concil. Bracar. XXII. in Conciliis Hiſpann. pag. 194. *C*an. 23. Synod. *A*relat. idem prohibuerunt. *Cauſa autem*, cur faces has Deis ſuis in arboribus accenderint, forſitan hæc eſt, ut ita ſe humiles oſtendentes divinam iram placarent. Nam *G*entiles indignantium iram ita emolliri incubuiſſe, docet nos Heliodorus Æthiopic. lib. IX. qui huic *G*ermanorum ritui de facibus accendendis facem & lumen præbet. ἀθροίσαντες δὲ πᾶσιν ἡλικίαν, καὶ κλάδοις εἰς ἱκετηρίαν ἀναλαβόντες, χηροῖς τε καὶ δᾷδας ἀψάμενοι, καὶ τὰ ἱερὰ γένη καὶ ἔδη τῶν θεῶν ὥσπερ κηρύκεια προβεβλημένοι. *Congregata igitur omni ætate* (ad deprecandum hoſtem) *et ramis ad ſpeciem ſupplicum*

 plicum

plicum declarandam ſumptis, ac cereis et facibus accenſis ſacra genera Deorum et ſimulachra tanquam caduceos præ ſe ferentes. Eodem modo, loco humanarum hoſtiarum Saturnum placabant, ejusqne iram ſopiebant Romani. Sicut, qui hinc etiam lucem accipit, Macrobius oſtendit in libro 1. Saturnal. cap. 7. ubi hunc in modum loquitur. *Occaſione Saturnaliorum per avaritiam, à clientibus ambitioſe munera exigebant, ſed cum id onus tenuiores gravaret, Publicius Tribunus plebis legem tulit, ut non niſi cerei ditioribus miſſitarentur*, licet aliam cauſam aſſignet cereorum miſſorum in Saturnalibus, nempe, *ut Saturnum antea humana hoſtia coli ſolitum, accenſis in ara ipſius luminibus placarent*; De *cereis, & xeniis*, quorum hic fit mentio, dono tranſmiſſi conſule. Plinium Juniorem lib. v. epiſt. 14. Martialem lib. x. epigramm. 87. M. Pollionem Victruvium Architect. lib. vi. cap. 9. Antonium Bartolinum cap. 6. Valentinianum & Valentem Auguſt. L nu: C. Theodoſ. lib. 11. tit. 11. Ulpianum ex epiſtola Divorum Severi

Severi & Antonini lib. VI. ff. de offic. Proconſulis.

Cap. XXI.

Immolabant victimas humanas in locis excelſis. Error Theophylacti. Sub petris, & ad flumina. Diodorus Siculus & Propheta Eſaias, atque Pacuvius illuſtrantur. Joſephus Scaliger notatus. Immolabant etiam in campis ſacris. Euripides, Hyginus, Philoſtratus Junior & Apollodorus conciliantur. Plautus tentatur. Pauſanias, Euripides, & Dictys Cretenſis conciliantur. Homines mactabantur in templis. C. Plinius explicatur. Procopius explicatur. Euripides illuſtratur & Dictis Cretenſis, atque Strabo. Plutarchus & Atheneus illuſtrantur. Pauſanias corrigitur. Templa olim aſyla. Epiphanius illuſtratur. Author Turcogræciæ & Codinus illuſtrantur, & contra Jacobum Gretſerum Jeſuitam prolixe defenduntur. Edictum Theoderici explicatur.

ET ſicut Germani in lucis, ita *Judæi filios* ſuos *immolabant in loco excelſo*, *qui erat in valle Hinnon*, & dicebatur Tophet in lib. 2. Chron. XXVIII. 3. Jerem. VII. verſ. 31. *Et*

ædificarunt excelſa Theopheti, quod eſt in valle filii Hinnomi, ad comburendos filios ſuos *& filias ſuas igne.* adde cap. XXII. verſ.35. 2 Reg.XVI. 3. & 2Reg.XXIII. 10. *Polluit etiam Theophetum, quod eſt in valle filiorum* Hinnomi: *ne traduceret quiſquam filium ſuum, aut filiam ſuam per ignem Moleco.* (nempe Jehoſchia.) Divus Hieronymus in II. Paralip. *Vallem* hanc *Hinnon* vocat *vallem Benenon*, quæ etiam, inquit, dicitur *gehennon*, & ab ea originem accepit gehenna. Itaque hoc vocabulum *gehenna* non eſt vox origine Græca, ut inepte paravit Theophylactus ad cap. x. Matth. ſed hebraica ex duabus vocibus *ge* & *hinnom* compoſita ſignificans *vallem Hinnom*; Hic locus *nemoribus* erat *frequens* Hieronymus ad Jerem. cap. VII. *Tophet, quæ in valle filiorum Ennon illum locum ſignificat, qui Siloæ fontibus irrigatur, & eſt amænus atque nemoroſus, hodieque hortorum præbet delicias.* Eodem etiam modo, ſicuti atteſtatur Strabo lib.xv. Geograph. in fine, *Indi, ſacrificant ἐν ὑψηλῷ τόπῳ in ſublimi & edito loco.* Hinc etiam in

Genua-

Germania aliiſque regionibus, tam ſub Chriſtianiſmo, quam Ethnicilmo, *in excelſis montibus*, qui ſacri habebantur *templa ſua conſtruxerunt Gentiles*; ſicut docent Gregorius Turonenſis lib: VIII. cap: 15. Hiſtor. Francor. & Strabo lib: X. pag: 26. & *oraria ſua erexerunt Chriſtiani*; juxta Warnefridum de geſtis Longobardorum. Et non ſolum Germani Septentrionisque populi *petras adorarunt* ex lib: I. tit. 46. Kapit. Karol. Sed etiam *Iudæi in torrentibus*, & *ſub ſcopulorum petris* abominanda *illa ſacrificia obibant*; Ezaiæ LVII. vs. 9. 10. *Eorum, qui incaluerunt in lucis, ſub omni arbore virente, jugulantes natos ipſos in torrentibus, ſub ſcopulis petrarum? inter læves lapillos torrentis pars tua eſt, illi ipſi fors tua ſunt: etiam in illis fundis libamen, offers munus.* Sic etiam *ad undas fluminis Hallyj virgo à Meſſeniis dæmonibus jugulanda* foret in ſacrificium, ſi victoriam obtinere cuperent, cum bellum contra Lacedæmonios gererent. ſicut docet Pauſanias lib: IV. Hiſtor. p. 267. Sic etiam *virgines & pueri illi forma præſtan-*

tiſſimi, quicum Menalippus & Comætho in Dianæ Triolariæ templo concubuiſſent, ad ejus iram ſedandam mactabantur, *juxta flumen Amelichum fuerunt immolati.* Hoc Pauſanias innuere videtur in Achaicis ſive lib: VII. pag: 507. 508. (*Cum Menalippus juvenis & Comætho puella Dianæ Sacerdos templo ejus æque ac thalamo geniali abuſi eſſent, & ita templum illud profanaſſent,*) brevi morbo abſumpti ſunt. Conſecuta vero eſt ex læſi numinis ira ſumma terræ ſterilitas, & miſeranda hominum lues: indicavit tamen Delphici oraculi vox, Menalippi & Comæthus libidinem tantæ calamitatis cauſam fuiſſe: & ſimul Dianam placari poſſe docuit, ſi quotannis virgo & puer, qui forma eſſent præſtantiſſima, Deæ mactarentur. Cum ſacrum itaque fieri inſtitutum fuiſſet, ex eo fluvius, qui Triclariæ Dianæ templum præterlabitur, Amelichus, quod eſt ac ſi immitem dixeris, eſt vocatus. Poſtea autem cum dira hæc puerorum & puellarum immolatio abrogata eſſet, quotannis magna cum ſolennitate & pompa conſueverunt deſcen-

deſcendere ad Melichum fluvium oppidanorum liberi cum ſpiceis coronis & eodem omnino ornatu, quo ad aram Dianæ, qui mactandi erant, deducebantur. Eas coronas Deæ ſuſpendebant, & deinde ubi ſe flumine abluiſſent, novis ex hedera aſſumptis coronis recta ad Aſymnetæ fanum procedebant. Ita etiam explicari poteſt Diodorus Siculus lib: xx. pag: 802. *Agathocles (ex Ægeſthani civibus) pauperrimum, quemque ex oppido eductum juxta Scamandrum fluvium ἀπέσφαξε mactavit & immolavit* Verum enim vero *Amycus Rex* Bebrycii regni, *hoſpitum*, quos ſecum cæſtu congredi coactos conficiebat & occidebat, *membra* micantia *ex petra ſuſpendebat*. V. Flaccus Argonaut. lib: IV. illud teſtatur.

Litore in extremo ſpelunca apparuit ingens
Arboribus ſuper & dorſo contecta minanti,
Non quæ dona Deum, non quæ trahat ætheris ignem
Infelix domus & ſonitu tremebunda profundi

Et varii pro rupe metus: hinc trunca rotatis
Brachia rapta viris, ſtrictoque immortua caſtu,
Oſſaque tetra ſitu, capitum mæſtiſſimus ordo,
Reſpicias quibus adverſo ſub vulnere nulla
Iam facies, nec nomen erat, media ipſius arma.

Ii quoque, qui in horrendis iſtis ſacris (quæ Romæ in luco Similæ in honorem Bacchi forſitan fiebant,) ut *victimæ immolabantur*, *in* abditos *ſpecus abripiebantur*. de qua re alibi ſuo loco egimus ex Tito Livio Hiſtor. lib: XXXIX p. 857. 858. 856. M. Pacuvius in *P*eriboea. apud Varronem lib: VI. hinc explicetur.

Ardua per loca agreſtia actrepidante gradu nititur.
Scrupea ſaxa Bacchi templa prope aggreditur.

hæc fragmenta Illuſtris Scaliger Conjectan. Varronian. ita concinnavit.

Ardua per loca agreſti
Nititur, ac trepidante gradu,

Saxa

Saxaque ſcrupea Bacchi,
Altaque templa prope aggreditur.

Magnus ille Heros mihi videtur diſtinguere hic *inter ſaxa ſcrupea Bacchi*, & *alta templa*, adeo ut aliud eſſet *ſaxa ſcrupea Bacchi*, aliud *alta templa*. Sed ſecundum meam opinionem duo hi verſus nec correctione, nec deſtinctione opus habent. Nam, ſicut exiſtimo, *Bacchi templa ſcrupea ſaxa* Pacuvius nominat, quia orgia Bacchi non ſolum in montibus, ſed etiam ſub ſcrupeis cavernis & ſaxis tanquam in templis celebrari ſolebant, ſicut ex Livio diſcimus. Imo etiam *antra*, ſaxa, & ſpeluncæ *templorum loco iis erant*, qui horrenda mithræ myſteria celebrabant, ſicut demonſtrant, Julius Firmicus de err. profan. relig. Porphyrius lib: IV. de abſt. aliique; de quo alibi prolixius. Sicut etiam ipſi *luci delubra fuerunt vocati*, ſicuti oſtendit *P.* Statius Thebaid. lib: VII. pag: 217. Pacuvium illuſtrans, & meam opinionem defendens, cum eodem fere modo de ſylva, quo Pacuvius de ſaxo loquatur.

Hic

Hic ſteriles delubra notat Mavortia
ſylvas,
Horreſcitque tuens.

Immolarunt etiam *Ethnici has inhumanas hoſtias in pratis* Deo vel Deæ alicuj *conſecratis.* Nam Romæ *in campo Martio duo viri*, Julio Cæſare Imperante, *ſub ſacrificii præſcriptione à Pontificibus & Salio ſunt immolati.* ut docet Dion Caſſius Hiſtor. lib: XLIII. in Cæſ. Euripides Iphigenia in Aulide idem teſtatur de Iphigenia.

πατρὸς δ' ὀπαδῶν τῶνδέ τίς με πεμπέτω
Ἀρτέμιδος εἰς λειμῶν', ὅπου σφαγήσομαι.

Aliquis vero horum famulorum Patris
comitetur me
In pratum Dianæ, ubi mactabor.

Sic etiam *ante Draconis luſtrum ut hoſtia piacularis periit Menæceus* juxta Philoſtratum Juniorem in Iconibus. Euripides autem in Phæniſſ. dicit, quod *in ipſo ſpecu ſe immolaverit.*

δεῖ τόνδε θαλάμοις, οὗ δράκων ὁ γηγενὴς
ἐγένετο, Δίρκης ναμάτων ἐπίσκοπος,
σφα-

σφάγέντα, φόνιον αἷμα γῇ δοῦναι χθονός.

Oportet iſtum (Menæcea) *in ipſo ſpecu, ubi draco Terrigena*
Fuit cuſtos fontis Dirces
Mactatum dare Letalem ſanguinem inferias terræ.

Ante *portas* autem hoc factum fuiſſe vult Apollodorus lib: III. Bibliothecæ. Sed Euripides ab illo & à ſe ipſo diſſentiens alibi in Phæniſſ. ſcribit, quod *Menæceus* πύργων ἐπ' ἄκρων *turribus in altis Thebarum ſtans ſe pro Patria interemerit*; Sed Hyginus fabul: LXI. ſcribit, quod *de muris Thebanis ſe præcipitem dedit.* Quæ diverſæ opiniones ita conciliari poſſunt, ſi dicamus, quod ſtans in murorum turre, & ibi ſe tranſfigens corpus deinde tranſfoſſum de muro in Draconis luſtrum præcipitaverit, quod ante portas erat, atque ibi mortuus fuerit. Sed nihil tamen hic decernere volo. Luculenter autem totam Hiſtoriam deſcripſit P. Statius Thebaid. lib: X. pag: 294. ex quo hæc pauca exhibemus.

At pius electa murorum in parte Menæceus,

Iam

Jam ſacer adſpectu, ſolitoque auguſtior ore,
Ceu ſubito in terras ſupero demiſſus ab axe
Conſtitit, exemta manifeſtus caſſide noſci,
Depexitque acies hominum, & clamore profundo
Convertit campum, juſſitque ſilentia bello.
Armorum Superi! Tuque o! qui funere tanto
Indulges mihi Phœbe mori, date gaudia Thebis,
Quæ pepigi, & toto quæ ſanguine prodigus emi.
Ferte retro bellum, captæque impingite lernæ
Relliquias turpes, confixaque terga foventes
Inachus indecores pater averſetur alumnos.
At Tyriis templa, arva, domos, connubia, natos
Reddite morte mea. Si vos placida hoſtia *juvi*,

Hæc

Hæc Amphionis pro me perſolvite terris,
Ac mihi deceptum, precor, exorate parentem.
Sic ait; inſignemque animam mucrone coruſco
Dedignantem artus pridem, mæſtamque teneri
Arripit, atque uno quæſitam vulnere rumpit.
Sanguine tunc ſpargit turres, & mænia luſtrat,
Seque ſuper medias acies, nondum enſe remiſſo
Iecit, & in ſævos cadere eſt conatus Achivos.

Ad *buſtum Achillis* Herois iſtius manibus Polyxena mactata eſt; ſicut ſcribunt Cointhus Smyrnæus lib: XIV. Seneca Troad. Act. II. verſ. 330. & Euripides in Troad.

νιπαῖς μὲν ἀμφὶ μνῆμ' Ἀχιλλέως τάφου,
οἰχομένα τέθνηκε τλημόνως πολυξένη.
Cujus filia quidem ad ſepulchrum Achillis
Miſera Polyxena miſera mortua eſt.

Diſcep-

Diſceptari etiam hic poſſet, an non Plautus citato infra loco indicare voluerit, quod pellax ille Sinon, qui a Græcis tranſfuga Trojam prodidit, Achillis in ſepulchro ei immolandus eſſet, ut finxit, ſi non ruptis vinculis crudeles aras effugiſſet? Sic autem Plautus Bacchid. Act. IV. ſcen: 9.

Mneſilochus Sinon eſt
Relictus ellum! non in buſto Achilli,
ſed in lecto accubat:
Bacchidem habet ſecum.

Propterea autem Mneſilochum Sinoni comparare videtur, quia ſicut Sinon, Achillis manibus, ita Mneſilochus ex amoris impatientia meretrici Bacchidi quaſi devotus immolandus eſſet, cum nimia venus mortem acceleret, cultores ſuos brevi mortis amoriſque victimas efficiat. Sinon enim ſe ex Oraculo Apollinis & Calchantis immolationi, & ſacrificio huic diro addictum fuiſſe Trojanis mentiebatur, ut Græci ventum adſpirantem, reditumque in Patriam ſecundum acquirerent, & adverſa tempeſtas, quæ inhorruerat, detumeſceret, ſicut

videre

videre licet ex Cointho Smyrnæo lib: XII. & Virgilio Æneid. lib: I. p. 135. 136. Veluti etiam Iphigeniæ anima ex oraculo Calchantis litandum erat, ſi Græci proſperam Trojam verſus navigationem ſortirentur. Sed hic nihil de *P*lauti loco definire volo; licet mea opinio vehementer confirmetur, quod *P*lautus non dicat in genitivo caſu, in buſto Achillis, ſed in daitvo *in buſto Achilli*, ſcilicet *Immolandus*. Cum Typhon Oſyrin occidiſſet, ab ejus uxore Iſide ſupplicio eſt affectus, & quoniam Typhon rufi erat coloris, antiquitus *ad Oſiridis monumentum homines rufi coloris à Regibus Ægypti ſunt immolati*; unde fabula de Buſiride hoſpites immolante nata eſt, quoniam lingua vernacula illud Typhonis ſepulchrum Buſiris fuit vocatum, ſicut teſtatur Diodorus Siculus lib: I. Bibliothecæ pag: 79. Certum etiam eſt quod *hæc hominum Sacrificia* etiam *in templis cæſa & peracta fuere*; De *Carthaginienſibus & Pœnis* forte illud innuit. C. Plinius lib: XXXVI. Natur. cap. 5. pag: 644. *Inhonorus eſt, nec in templo ullo Hercu-*

Hercules, ad quem Pæni omnibus annis humana ſacrificaverunt victima. De Scythis vero illud teſtatur Procopius alibi in Hiſtoria Gotth. *Pone eos Scythæ Taurique omnem eam inſidebant regionem, quæ taurica nunc etiam dicitur, in qua Dianæ dicitur fuiſſe templum cujus Antiſtita fuerit Iphigenia.* Nam quod per hoc Dianæ templum ejuſmodi ejus fanum intelligitur, in quo Iphigenia Antiſtita victimas humanas Dianæ immolabat docet Valerius Flaccus Argonaut. lib: II.

Ille procul trunca fugit anxius alno,
Taurorumque locos, delubraque ſæva Dianæ
Advenit.

Ovidius de Ponto lib: III. pag: 287. idem teſtatur.

Templa manent hodie vaſtis innixa columnis:
Perque quater denos itur in illa gradus.
Fama refert, illic ſignum cæleſte fuiſſe:
Quòque minus dubites ſtat baſis orba Dea.

Ara-

Araque, quæ fuerat natura candida ſaxi,
Decolor affuſo tincta cruore rubet.

Ita *Hecate Perſæ Colchidis Regis filia* fanum Dianæ *exſtruxerat, ad quod hoſpites navibus appulſos* θύεσθαι τῇ θεῷ *pro victimis Deæ ſacrificari inſtituit*, ſicut docet Diodorus Siculus in Bibliotheca ſua lib: VI. pag: 249. Sic etiam *Iphigeniam in templo immolandam* fore ſcripſit. *P*auſanias lib: IX. pag: 665. *Eſt ibi* (in Aulide, ubi Euripus Eubocam à Boeotio dividit) *Dianæ ædes, & duo in ea è candido marmore ſigna: faces altera præfert, jaculanti eſt altera ſimilis. Ad ejus templi aram, cum ex Calchantis vaticinio eſſent Græci Iphigeniam immolaturi, pro puella cervam mactandam ſubmiſiſſe Deam.* Sed ſecundum Dictem Cretenſem *lucus*, juxta Euripidem vero *pratum Dianæ ad hoc ſacrificium fuiſſet deſtinatum*; Sed fortaſſe pratum illud in luco, & in prato templum fuit: atque ita diſſenſus inter Euripidem & *P*auſaniam, atque Dictem Cretenſem tollitur, & hæ diſcrepantes opiniones trium horum Autho-

rum

rum facili negotio conciliantur. Dici etiam poteſt, quod lucus hic pratum fuerit vocatum; nam Strabo lib: XIV. Geograph. pag: 353. meminit *luci* ultra Nyſſam ſiti, *quem pratum vocabant*. Et id non mirum, cum luci antiquitus terræ conſecrati fuerint, ſicut probavimus alibi lib: I. nempe cap: X. pag: 145. Templum etiam humanis hoſtiis ab incolis Temiſſæ fuit contemeratum apud Pauſaniam lib: VI. pag: 417. Et apud Septentrionales populos templa huic etiam uſui inſervierunt; teſte Arngrimo Crimog. lib: I. cap: 7. De Conſtantino Copronymo Romano Imperatore has victimas humanas etiam in templo immolante audiatur *S*uidas in Vita ipſius. τὴν γὰρ ἀφροδίτην ἐτίμα, καὶ ἀνθρωποθυσίας ἀνέφερε πέραν τῆς πόλεως, ἔνθα ὁ τῆς ἁγίας Μαύρας ναός. ὅνπερ ἐδαφίσας καὶ φονευτήριον ποιήσας, Μαύραν ὠνόμαζε τὸν τόπον. ἐν ᾧ καὶ νύκτωρ ἐπετέλει θυσίας, καὶ παῖδας κατέσφαττε, καὶ μαρτυρεῖ τὸ πρὸς θυσίαν σφαγιασθὲν τοῦ Φλαμίου παιδάριον. ὅπερ ἐν παραβύστῳ θύσαντος αὐτοῦ, τοῦτο ὁ θεὸς ἐποίησεν ἔκδηλον. *Venerem enim colebat*,

lebat, & humanas hoſtias immolabat ultra urbem: ubi S. Mauræ æde deſtructâ, & in carnificinam mutatâ Mauram locum illum dixit, quo ſacra illa peragebat, & pueros mactabat; teſtimonio eſt Flavii puer, quem occultè ab eo immolatum Deus patefecit. Et apud Americanos templa ſive turres his cruentis ſacrificiis fædatæ fuerunt; Petrus Martyr de novo orbe decade v. cap: 3. pag: 353. de Tenuſtitanis. Ab utroque pontis ejus exteriore latere, crebræ turres erant in lacu ſitæ magnificè, *quæ omnes templorum vices gerebant. In his* paſſim vel mancipiorum, precio emptorum, vel dediticiorum filii, vectigalis loco ad id deſtinati, *corpora pro hoſtiis immolabantur.* Sic Izzuzucenſes quoque incolæ in ſua urbe amplius centum hujuſmodi templarias turres, hac humani ſanguinis libatione infames, numerarunt. teſte Martyre cap: 6. decad: v. p. 375. quæ fana mirum in modum erant exornata. Idem p. 551. decad. VIII. cap: 4. cum hæc ornamenta Americani populi, una cum hominibus illis mactandis, Deis ſuis offerrent. vide

Decad: VIII. cap: 4. pag: 551. Ex ſuperioribus illuſtrantur Athenæus lib: XIII. cap: 20. & *Plutarchus* in Amatorio pag: 768. qui de Laide famoſiſſima illa *Græciæ* meretrice commemorant, quod poſtquam eam Hippoloci Theſſali amor invaſit, Acrocorintho deſerto magnum aliorum amatorum clam ſubterfugiens exercitum, modeſte ad eum conceſſerit: *Ibi vero eam mulieres invidia pulchritudinis & æmulatione impulſæ in templum Veneris adductam lapidibus obruerunt*; εἰς ἱερὸν Ἀφροδίτης παραγαγοῦσαι κατέλευσαν ᾗ διέφθειραν; vel veluti Athenæus teſtatur, *ligneis ſubſellius obtruncaverunt*. Hinc diſcimus, quod in *Pauſania* pro *Hippoſtrato Hippolochum* corrigere debemus; ita enim loquitur lib: II. pag: 107. Oſtenditur etiam in Theſſalia Laidis monimentum: veniſſe enim in Theſſaliam dicitur Hippoſtratum amatorem ſuum ſecuta. Veriſimile eſt, quod hæc *Lais* ab invidis & furioſis iſtis feminis non ſimpliciter necata, ſed tanquam piacularis victima Deæ Veneri in ejus templo immolata fuerit; quia forma

ſua &

ſua & pulchritudine Veneris ipſius gloriam affectaſſe, imo obſcuraſſe, & ita indignationem & iram ejus in ſe excitaſſe videbatur. Nam quare ipſam non in alio loco, in foro, platea, vel ædibus occiderunt? quare ipſam in Veneris templo lapidibus & ſcamnis obruerunt, niſi propterea, ut Laida Veneris æmulam coram ipſa Venere in ſacrificium mactarent? Templa enim & in Ethniciſmo, & in Chriſtianiſmo aſyla erant, in quibus aliquem interficere horribiliſſimum crimen habebatur; hominem autem, qui criminis alicujus reus ad fana & eccleſias confugerat, ex illis per vim extrahere neutiquam licebat; ſicut, ſi Deus nobis vitam indulſerit, ſuo tempore prolixe in particulari libro de Aſylis ex plurimis Authoribus probabimus. Hac vice quoſdam tantum adducemus, qui nondum in hoc noſtro opere citati ſunt, nec in omnium manibus teruntur. Conſuetudinem hanc in Ethniciſmo obſervatam quod attinet, de ea exſtat lex apud Quintilianum in declamatione CCLXI. & teſtantur Aſconius *Pædianus* in tert.

 Cice-

Ciceron. contra Verrem. Cornelius Nepos ſive Æmilius Propus in vita Themiſtoclis pag: 57. vita Pauſaniæ pag. 70. & Ageſiai pag: 185. Zaleucus in proœmio legum. *Qui ad injuſtitiam inſtigatur, is πρὸς ναοῖς καὶ βωμοῖς ad templa, aras, & delubra verſatur, fugiens injuſtitiam.* Iulius Pollux lib: 1. cap: 1, num. 8. & incertus Poeta apud Ciceronem lib: 111. Tuſculan. Quæſt. De *Eccleſiis reorum confugiis & aſylis* vide Codicis libr: 1x. tit: 29. Impp. Grat. Valent. & Theod. §. 2. *Qui confugientem ad Sanctam Eccleſiam ſua authoritate abſtraxerit verberatus & tonſus deportator.* Addatur Harmenopolus promt. Iuris Civilis lib: 11. titul. 9. §. 4. pag: 194. Concilium M. S. Claremont: *Quod qui ad Eccleſiam confugerit, ſi reus eſt, data vitæ vel membrorum impunitate. &c:* Decretum Clotharii Regis §. 13. in Lege Salica. *Nullus latronem vel quemlibet culpabilem de atrio Eccleſiæ trahere præſumat.* Edictum Theoderici Regis §. 70. *Si ſervus ad Eccleſiam confugerit, Domino veniam promittente reddatur.* Kapitula

tula Caroli Magni ad Legem Salicam §. 3. (*Reum*) *nullus inde* (*ex Eccleſia*) *per vim trahere præſumat.* Adiice Ponticum Verunnium Britann. Hiſtor. lib. 11. pag. 96. *Dunwallo Rex urbes, templa fecit, ut qui ad illa fugeret etiam coram inimico abiret.* Juxta hanc conſuetudinem & privilegium *Silverius Pontifex Romanus in Baſilicam B. Mariæ confugerat*, ut Antoninæ Belliſarii filii Photii matris, & Theodoræ Imperatricis, Juſtiniani uxoris, inſidias & crudelitatem devitaret; juxta Liberatum Carthaginienſem cap. 22. & *Theodoſius adulter prædictæ Antoninæ in Iohannis Apoſtoli templum confugium ceperat*, ut teſtatur Procopius in Hiſtoria Arcana, libello admodum raro & egregio. Ita *Opilio & Gaudentius ſacrarum ædium defenſione ſe tuebantur*; apud Boethium de Conſolat: Philoſoph. lib. 1. pag. 79. *Baſiliſcus* Imperatoris Zenonis metu, & *Macedonius* ob iram Imperatoris Anaſtaſii *ad Eccleſiam ſe receperunt*; teſte Theodoro Lectore in Collectaneis lib. 1. pag. 611. & lib. 11. pag. 613. Idem factum eſt

etiam *à militibus Theoderici à Pipino profligatis*; juxta fragmentum Hiſtor. de Pipino. *à Clodomore Sigiſmundo*; vide Epitomatorem Geſtor. Franc. cap. 20. *à Avito Imperatore*; apud Fredegarium Scholaſticum Hiſtor. cap. 10. *Edmundo Rege Saxonum*; ex Rogerio. *Dankwario fratre Imperatoris Ottonis Primi* contra eum rebellante: de quo videantur Roſuita de geſtis Ottonis. Wittichindus lib. II. Annal. *Lambertus Schafnab.* Sigebertus Gemblacenſis. Otto Friſingenſis lib. VI. cap. 19. Ditmarus lib. II. Chron. & Egnatius lib. III. Ita etiam de *Eutropio* ſupplice teſtatur Epiphanius Hiſtor. Tripart. lib. X. c. 4. *Epiſcopus vero, Eutropio ſub altari jacente, nimioque repercuſſo timore, reſidens ſuper ambonem, ubi ſolebat prius facere conſuetum ſermonem.* Vox autem hæc (*Ambo*) *denotat ſuggeſtum*, vel *pulpitum*, ſicut in illa ſignificatione occurrit apud Walafridum Strabonem de Reb. Eccleſiaſt. cap. 6. Theophylactum Simocat. lib. VIII. pag. 403. Epitomen Canon. in Codice Juris Græc. Rom. pag. 36.

pag. 36. apud Socratem lib. vi. pag. 5. Hiſt. Eccleſ. Euſtathium Scholiaſten Homeri in Odyſſ. Benedictum in Epiſt. ad Epiſcopos in Imperatoris Caroli Regno. Aimoinum lib. iv. cap. 9. de geſtis Francor. Anaſtaſium Bibliothecarium de vita P. P. pag. 59. 88. Glycam de Leone Philoſopho; Codinum cap. xvii. num. 17. 18. & 19. & cap. i. adde Cantacuzenum, Onuphrium, & Origines Conſtantinopolitanos. Author & interpres Turcogræciæ affirmat, quod in Græco Imperio & Eccleſia homo, ex officio nominatus *Protecdicus, ſupplices & reos ad Eccleſiam confugientes* ex impoſitæ ſibi ſpartæ lege *recipere conſueverit*; his verbis pag. 218. πρωτέκδικος ὁ τοὺς πρόσφυγας ἀναδεχόμενος. *Protecdicus eſt, qui confugientes ad Eccleſiam recipit.* Sed Eruditiſſimus & Clariſſimus Vir Jacobus Gretſerus in notis ad Codinum Authorem & Interpretem Turcogræciæ erroris incuſat, quod officium fugientes ad Eccleſiam recipiendi Protecdico attribuat; cum ejus officium eſſet juxta Codinum; εἰς τὸ ἀντιλαμβάνεσθαι τοῖς αἰχμαλώτοις;

curam gerere captivorum, ſicut Gretſerus hæc verba Græca interpretatur; unde per προσφυγας *in Turcogræcia* explicat, & intelligi vult eos, *qui ex captivitate ad Chriſtianos ſpe libertatis confugiebant.* Sed in Gretſerum ipſum hæc cuditur faba, cum ipſe erroris accuſari & Author Turcogræciæ defendi queat. Dicent hoc, & Jeſuitam obtrectationis accuſabunt, ipſe Codinus, quem pro ſe citat, & Author Turcogræciæ ab illo innocenter traductus; qui collati mirum in modum ſe invicem illuſtrant, mutuamque ſibi opem præſtant. Nam apud Codinum ἀντιλαμβάνεσθαι nihil aliud eſt, quam quod Author Turcogræciæ ἀναδέχεσθαι dicit, quippe vocabulum illud *& manum inicere* denotat in Synelio epiſt. 109. & *opitulari* apud Baſilium Magnum. Sed qui recipit, *ſive* ἀναδέχεται (ut in Turcogræcia occurrit) homines, qui criminis alicujus rei ad Eccleſias, pœnæ promeritæ evitandæ gratia, confugiunt, & ita ſupplicio illos ſubtrahit, quid aliud facit, quam ἀντιλαμβάνεται (ſicut à Codino ſcri-

ſcribitur) ipſis ſuccurrit & opitulatur, & tanquam ſervis vindicta Prætoris manumittendis quaſi manus iniicit, & in libertatem aſſerit? Præterea αἰχμάλωτος (quæ vox occurrit in Codino) non tantum ſignificat captivum & armis captum, ſed etiam *ſervum*, *mancipium*; quæ *mancipia* αἰχμάλωτα abſolute dicuntur, & à Xenophonte Dem. & Philoſtrato in Heroicis. *Hi* autem *ſervi* ſive *mancipia*, cum aliquid commiſiſſent, aut ſervitutis excutiendæ gratia, ut pœnam declinarent, *ad Eccleſias & ejuſmodi Aſyla fugam capeſcere ſolebant*: unde optime Author Turcogræciæ *illos* πρόσφυγας aut πρόσφυγες *ſervos fugitivos* nuncupat, *qui a Dominis ad Eccleſiam aufugerant*. Hos vero *ſervos fugitivos*, aliosque, qui ad Eccleſiam confugium capiebant, *Protecdicus* ex officio juxta Codinum & Authorem Turcogræciæ *recipere conſueverat*. Hoc Edictum Theoderici Regis §. 126. *per Suſceptorem in Eccleſia* innuere videtur. Quod vero mancipiis & ſervis admodum familiare fuerit à Dominis ad Eccleſias, & ejuſmodi aſyla confugere

docent Edictum Theodorici Regis §. 7. *Si ſervus cujuſlibet nationis ad quamlibet Eccleſiam confugerit.* Lex Alamannorum tit. III. §. I. *Si quis homo perſequens* fugitivum, aut liberum, aut ſervum, *& ipſe intra januas Eccleſiæ confugerit, nullus habeat poteſtatem per vim abſtrahendi de Eccleſia.* Lex Longobardorum lib. II. titul. 40. §. I. *Si cujuſcunque ſervus aut ancilla in Eccleſia Dei confugium fecerit.* Leges Wiſigothorum lib. v. titul. 4. cap. 17. *Comperimus multorum ſervos vel ancillas ad Eccleſiam confugere.* Rurſus lib. IX. tit. III. §. 3. *Si quis de altaribus ſervum ſuum non traditum ſibi à Sacerdote, vel ab Eccleſiæ cuſtodibus, violenter diſtraxerit.* Decretum Clotharii Regis in Lege Salica §. 15. *Quod ſi cujuſlibet ſervus* deſerens ſuum Dominum *ad Eccleſias confugerit.* Kapitula Karoli & Ludovici Imp. lib. IV. § 3. *Si ſervi vel Eccleſiaſtici, vel quorumlibet liberorum hominum in fiſcum noſtrum confugerint;* & § 41. *Si cujuſlibet mancipia in villam noſtram confugerint.* Protecdici autem hujus, & Sacellarii, cui idem munus in Tur-

cogræcia

cogræcia adſcribitur, etiam meminerunt Balſamon in ſua Diſceptatione de Chartophylace; & in ſua Milete. Bonfidius, qui Protecdicum vertit Primarium Actorem; Pelagius in Reſcripto ad Antoniam Patritiam. Onuphrius in Explicat. vocum Eccleſiaſt. Georgius Xiphilimus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Euſtathius Metropolitanus Theſſalocenſis citati à Johanne Epiſcopo Citri in Reſponſis ad Conſtantinum Cabaſilam Dyrrhachii Archiepiſcopum lib. v. Juris Græco-Romani Tomus I. fol. 327. Epiſtola Clericorum inſulæ Chii ad Patriarcham Conſtantinopolitanum. Gregorius Magnus lib. IV. epiſt. 34. & lib. XII. epiſt. 27. Anaſtaſius in ſuo Hodego. Calinicus lib. IV. Iſidorus lib. XX. pag. 9. Origin. Codinus cap. I. Baronius Tom. VIII. anno DXCV. num. 17. Cujacius lib. X. Obſervat. cap. 27. & Corrippus eum Sacellarium vocans. *Hoc* vero *privilegium*, immunitatem acquirendi in confugio ad Eccleſias, non extendebatur apud Saxones *ad capitis damnatos*, juxta Legem Saxonum cap. III. §. 4. nec

ad ſervos, qui cum armis ad Eccleſias confugiebant; ſecundum Harmenopulum Promptuar. Juris Civilis tit. 9. §. 2. *nec ad homicidas, nec virginum raptores nec adulteros*; Ex eodem §. 3. pag. 194. cuj adde Deuteronom. cap. IV. & XIX. Numer. cap. XXXV. Joſuæ librum cap. XX. & Novellam CXVII. lib. VIII. tit. 18. cap. 15. circa finem. Sed ſatis deviatum eſt. Hæc ſufficiant ad illuſtrationem Plutarchi & Athenæi, templorum privilegia, refutationem Gretſeri, *& Ritus & Ceremonias, quibus* olim *Homines immolabant.*

CAP. XXII.

Tempora, quibus olim homines immolare & cruenta hæc ſacrificia adminiſtrare ſolebant.

JAm *nonam* totius operis *partem* & membrum, quaſi per tranſennam *inſpiciemus*, nempe *Tempora, quibus hæ Victimæ Humanæ Diabolo mactari conſueverunt* in ſacrificium. *Arcades in Lupercalibus*; *Carthaginienſes* vero *Saturnalibus* dira hæc *ſacra peragebant* & obibant;

bant; ſecundum Porphyrium lib. 1. ἀφ᾽ οὗ μέχρι τοῦ νῦν, οὐκ ἐν Ἀρκαδίᾳ μόνον τοῖς Λυκαίοις· οὐδ᾽ ἐν Καρχηδόνι τῷ Κρόνῳ κοινῇ πάντες ἀνθρωποθυτοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ περίοδον τῆς τοῦ νομίμου χάριν, μνήμης, ἐμφύλιον αἷμα ῥαίνουσι πρὸς τοὺς βωμούς. *Ex eo tempore uſque ad noſtram feré ætatem non ſolum in Arcadia Lupercalibus, & Carthagini Saturnalibus ex æquo omnes humanum genus ſacrificant, ſed etiam viciſſim ſacrificium accipientes contribuli ſanguine aras aſpergunt.* De *Saturnalibus* idem probat Macrobius lib. 1, cap. 7. Saturn. Sic *Romani Menſe* Novembri arcana & nefanda ſacra faciebant, duobus Græcis & Gallis in foro boario vivis in victimam defoſſis. Plutarchus in Marcello pag: 299. *Rhodii* vero *ſacrificabant* has *victimas humanas Metagittionis prima decade*, uti Porphyrius lib: 11. de non edend: animal. teſtatur. Ἔθυετο γὰρ καὶ ἐν Ῥόδῳ μηνὶ μεταγειτνιῶνι ἕκτῃ ἱσταμένου ἄνθρωπος τῷ Κρόνῳ. ὃ δὴ ἐπιπολὺ κρατῆσαν ἔθος, μετεβλήθη. ἕνα γὰρ τῶν ἐπὶ θανάτῳ δημοσίᾳ κατακριθέντων μέχρι μὲν τῶν Κρονίων συνεῖχον ἐνστάσης τῆς

ἑορτῆς προσαγαγόντες τὸν ἄνθρωπον ἔξω πυλῶν ἀντικρὺς τοῦ Ἀριστοβούλης ἕδους, οἴνῳ ποτίσαντες ἔσφαττον. *Sacrificabatur enim Rhodi Metagitnionis prima decade victima humana Saturno, qui mos cum diu ſane invaluiſſet, tandem mutatus eſt, unus enim eorum, qui publice condemnati erant, uſque ad Saturnalia in vinculis ſervabatur: inſtante vero feſto extra civitatis portas productus atque vino irrigatus coram Magiſtratuum conſeſſu mactabatur.* Quodnam vero tempus apud *Cyprios*, & *Salamin urbis* cives horrendis his hominum immolationibus inſignitum fuerit, Porphyrius ſcribit in libro ſecundo de abſtinentia ab animatis. *Unde hiſtoria non ſolum eorum, quorum Theophraſtus meminit, ſed & multorum aliorum memoriam tradidit, quod etiam olim homines ſacrificarint: quia hæc non ſimpliciter, ſed quum plena ſit hiſtoria, dicimus ſufficere vel hæc adſignaſſe. Sacrificabatur enim homo Saturno in Rhodomeno menſe Geitnione, die ſexta. Et in urbe, quæ nunc Salamin, olim Coronis dicta, menſe apud Cyprios Aphrodiſio, ſacri-*

ſacrificabatur homo & Nympha Agrauli-di, & duravit conſuetudo uſque ad Diomedis tempora, deinde mutavit, ut & Diomedi hominem ſacrificarent. Poſt novem annos *menſe Januario Dani cruenta hæc ſacra repetebant.* ſicut teſtatur Ditmarius lib: 1. Chron. pag: 12. *Sabæj menſe AB dicto* ſe hoc crimine contaminarunt. juxta Hottingerum Hiſtor. Orient. lib: 1. cap: 8. pag: 181. *Mahumedani* in India *feſtum* falſi ſui *Prophetæ quotannis humana victima* colunt, & *celebrant*, ſicut his verbis adſtruit Jeſuita Nicolaus Trigaultius Epiſt. Ind. circa finem p. 78. *Dum in urbe Dubal* (in Indiâ ſub imperio Imperatoris Turcarum) *negotia ſua cum Quæſtore Luſitannorum expediunt, quidam Mahumetani ex continenti terra ad navem venerunt; dicentes, quod iſte dies eſſet feſtum Prophetæ Mahomedis, & propterea à Pyratis Chriſtianum poſtulabant, ut illum in ejus honorem immolarent & mactarent. Erat certe poſtulatum, quod illis non facile concedebatur. Illi igitur poteſtatem & veniam habentes fratrem noſtrum Vincentium elegerunt;*

gerunt, ut diabolica & cruenta illorum immolatio eo gratior Mahomedi ſuo eſſet. Quibus præterea temporibus Pagani nefanda hæc ſacra obierunt & procurarunt ex toto hoc de Victimis Humanis libro petere & diſcere potes. Atque ita horrendas has *victimas humanas Paganorum*, auxilio Dei, abſolvimus. Deteſtemur igitur animo, quantum poſſumus, hæc abominabilia Paganorum ſacrificia, nam ipſe Deus hæc abominatur, non tantum in Iſraelitis, ſed & in gentibus; Videſis Ravanelli Biblioth: ſub tit. Sacrificare num. XI. diſt. 2. Nos decet ſolum intueri Jeſum agnum mactatum a fundatione mundi. Apoc. XIII. vers 8. ſicut Cl. Marius Victor in Geneſi lit: II. canit.

(Pro nobis noſter Jeſus)
Hoſtia ſalvifica eſt, *dum pendet ab arbore*, factus.

F I N I S.

IN-

I N D E X
Rerum & Verborum
Partis Secundæ.

A.

ABaſigi arboribus honorem divinum exhibere Soliti, *pag.* 466.
ἄβαλα loca Deis ſacra, 439.
AB menſis Sabæorum quo infantem contuſum edunt, 410. 495.
Abjicere, quid. 273.
Abortum procurare, 248. &c.
Abortus ſubmerſi, 272.
Abſciſci, 21.
Accia mater Auguſti ab Apol: ſub forma draconis impregnata, 199.
Achyllis buſtum, 475.
Acquieſcere cum accuſativo, 38.
Adaquare pro potare, 38.
Adonidis feſtum, 79.
Admuſtus Midiæ filius, 173.
Æſculapio cur anguis dicatus, 200. 201. & ſub forma ſerpentis cultus, 208.
Æthiopes quid circa victimas explorent, 365.
Africani, ſe interfici Rege ipſorum defuncto permittunt, 180.
Agraulidæ Nymphæ ſacrificabatur homo, 495.
αἰμάλωτος ſervus armis captus, 489.
αἱμακουρίαι quid ſit etimologice & hiſtorice, *pag.* 156.
Albani cur victimæ transfigere ſolebant. 318.

ſacris

ſacris apud ipſos ſervus præeſt, 319.
Alba veſtis Elephantos, rubra Tauros irritat, 240.
Ambire pro luſtrare, 120.
Ambulare cum accuſativo, 137.
Amelichus fluvius quare immitis dictus, 468.
Americani corpora trunca arborum ramis affigunt, 311. Diabolum placant ſuis vulneribus, 70. &c. Victimarum carne aliquando veſcuntur, p. 407. variis tormentis diabolum placant, 69. ſanguine temp: parietes variare ſoliti, 429. Turres ſunt templa, 481. infantem vivum cum matre defunctâ ſepeliunt, 181. amicos edunt, 415. immolatorum corpora infruſta diſ-ſecabant, 329. 407. amicos morbus ſe immolant, 173.
Ameſtris Xerxis uxor quid cum ſeptem Perſarum liberis egerit, 189.
Amicis mortuis immolant ſe amici, 173.
Amida idolum Japanniæ, 317.
Amputare digitos qui ſolebant, 76.
Amycus Bebricii Rex quid cum hoſpitibus egit, 422. 469.
Andromeda ceto expoſita, 222.
Androdus Leoni charus, 232.
Anguis coit cum virgine, 199. Æſculapio ſacer, 200.
Animas defunctorum ſanguine placari veteres credebant, 165.
Anna Xingacan quomodo homines ad ſacrificium deſtinatos decollare conſueverat, 323.
ἀντιλαμβάνεσθαι & ἀγαδέχεσθαι quid: 488.

ἀνθρ-

ἀνθρωποφάγοι, 409. & 414.
Apalia Peguanis Diabolus, 69.
ἀφρόδιτος venus, 53.
Aprilis 9 Kal ſanguinis dies, 67.
Aqua luſtrabant, 108.
Aræ ad immolationem victimarum conſecratæ, pag. 342. Idque humano cruore, 343.
Aræ diverſi generis, 342. &c. ſanguine humano pollutæ, 346. victima aræ impoſita, 389.
Arbor ſanguinis qualis, 456. arbores ut Dii culti, 445. arbor mille annorum cujus ſub uno ramo 200 óves latitant, ut Deus colitur, 449.
Arcades in lupercalibus, tempus immolandi, pag. 492.
Ardenna Sylva dicitur Belgica Sacra, 447.
Ardere cum accuſativo, 136.
Archemorus pugilum pugnâ poſt mortem honoratus, 170.
Archigallus ſummus matris Dëæ Sacerdos, 19.
Arma Mennonis ubi combuſta, 145.
Arſenothetys quales Dii, 57.
ἄσβεςον quid ſignificet, 339. qualis lapis, pag 339-341.
Aſciburgium unde dictum, eſts hodiè civitas Emmerich, 341.
Aſinus ferens idolum adoratur, 45.
ἀσκιπυργιον arx in ripa Rheni, 341.
As eſt Deus Mars, 340.
Aſylorum uſus, 483. &c. non extenditur ad capitis damnatos, 491. nec ad ſervos armatos, 492.

Athe-

Athenienſes ſpurios tanquam victimas projicere ſoliti, 268.
Atrigeris Bebriciorum moderator quid cum captivis egerit, 435.
Attis Sol eſt, 14.
Attys à Deâ Syriâ exſectus, 59.
Auguſtus immolandi victimas humanas Druidis interdixit, 351.

B.

Baal fœminini generis Venus, 53.
Baali ſoli inciſionibus libatus ſanguis, 58.
Bacchantes quid fecerint Romæ, 128.
Bacchus eſt Sabazius, 64.
Baceb, Bacchæ qui, 49.
Baſſares carnes mactatorum comedere ſolebant, *pag.* 408.
Bejani quos ritus circa nuptias obſervant, 111.
Bellona ſoror Martis, 60. cum parmâ depingebatur, 62. Martis auriga & uxor dicta, & Nerienes, 60.
Bellonarii Sacerdotes Deæ Bellonæ evirati, 48. Sanguinem ſuum offerebant Diabolo, 59. dicti comati, 61. capillum alebant, *ib.* cumque vento ventilandum exponebant, *ibid.*
Bellona quomodo antiquitus depingebatur, *pag.* 69.
Belta & Balta eſt Baal Venus, 53.
Beſſi Thraciæ populi, *pag.* 160.
Beſtiarum ſanguis ante rogum effuſus, 157.
Beſtiis objecti homines in victimam, 191. &c.

Bomo-

qui Beſtiarii dicti ſunt, 228
Bomonica juvenis qui plura perfert verbera, 86.
Brachia diſſecare qui ſoliti, 51.
Brachmannes quomodo libarunt, 69.
Burgh unde dictum, 341.

C.

Cachinnare cum accuſativo, 38.
Cænare cum accuſativo, 38.
Calamus Indus ſe cremavit, 137.
Calvaria hominum pro poculis, 431.
Cambabus, ſe primo caſtravit, 17.
Canes cur victimis adjecti, 398. magni ſunt habiti, 399.
Canes ſepulchrales qui 416.
Capillati Bellonæ, 61,
Capillitium rotare, 33.
Capita cæſorum poſtibus affixa, 417.
Capita humana arboribus affixa, 422 equis, navibus, 426. 427.
Captivorum combuſtione cæſorum manes placati, 143-154. ſic & ſanguine captivorum, beſtiarum & aliis liquoribus, 155. &c.
Cares frontem pungere ſolebant, 136.
Carmani qua ratione convivas excipiunt, 403.
Carmanitis quando uxorem ducere licet, 412.
Caſpii parentes fame enecabant, 417.
Caſtrati dicti ſunt Curetes, Coribantes, Menades, Bacchi, Bacchæ, Idæi Dactyli, Fanatici, Phryges, Spadones, &c. 20. 21.
Caucaſi parentes filios mactatos devorabant, 417.

Cavitas

Cavitas ſub Saxis grandibus cui uſui, 336.
Ceto virgines immolatæ, 220.
Ceraſtim quibus rebus præeſſe antiqui putarunt 122. luſtrationi, 104.
χασδιον quale ſtratum. equorum 459.
Chriſti nativitatis feſtum in Perſia, 112.
Chriſtiani dicti Judæi, 232.
Chriſtiani veteres olim amputationem virilium ſummo in honore habebant, 4. templa ad fontes ab ipſis erecta, 443.
Chriſtiani incolæ St. Thomæ Inſulæ quomodo victimas mactarint, 327.
Chriſtiani quid circa combuſtionem mortuorum obſervarint, 148.
Cimbri quomodo victimas offerre ſoliti, 324. Sacerdotes eorum fœminæ & quomodo ornatæ, 350.
Cinædi, 21.
Circumciſionis loco ſe Ethnici evirant, 8. lapideo cultro, qui Samia teſta dictus, 25. & ferreo cultro, 28.
Circumductio eſt Luſtratio, 301.
Circumferre pro purgare, 118.
Clangere cum accuſativo, 38.
Claudius quid nam laude dignum egerit, 351.
Cœſorum manes quomodo ſaturati & placati, *pag.* 143-159.
Coma demiſſâ feruntur furioſi, 34.
Comati Bellonæ ſacerdotes, 61.
Comburendi immolatio, 122.
Concha marmorea quid, 256. & cui uſui deſtinata, *pag.* 257.
Con-

Contremiſco cum accuſativo, 37.
Contremo cum accuſativo, 37.
Convivia lauta, 402.
Corcovita Peguanorum Deus quomodo colitur, 317.
Cor in faciem idoli conjectum, transfoſſum, combuſtum &c. placat Deos, 318. 320.
Coreſſus juvenis, quid egerit ut obtineret amaſiam, 375.
Coribantes Sacerdotes caſtrati - 20.
Coronæ ex hominum capitibus connexis confectæ, 430.
in Craterem ſi ſanguis victimæ profluit belli ſuccéſſum bonum deſignat, 324-327.
Crepitaculum eſt tintinnabulum, 33.
Cribolium quid, 11.
Crux Diabolo ſacra, 454.
Culter lapideus virilia amputans Sam ia teſta dictus, 25.
Cultri ferrei ad amputationem adhibiti, 27.
Cultri varii evirationi proprii, Phrygus, ξίλος, novacula, 28. hujus figura, 29.
Cureta, 63.
Curetes ſunt Bachi initiati, 63.
Cybalæ varia nomina, 9. θέος dicitur quia hermaphroditus erat, 46.

D.

Dagon fuit Venus, 57.
Daniel in fovea Leonis, 217.

Dea

Dea Cybala quomodo placata, 15.
Deæ Variæ, ut Luna, Urania, Dea Syria, Rhea, Ceres, Juno, Iſis & Diana ſunt una Dea, 54.
Deciorum Patris & Filii devotiones, 357. 358.
Decrepiti in Ceo Inſulâ aconito morti olim tradebantur, 418.
Deformes ad ſacrificium electi, 134. & quibus rebus donati, 135.
Defoſſiones viventium cum demortuis, 179. &c.
Defunctorum dum viverent cariſſima in rogum conjecta, 139.
Delphis templum Apollinis, 204. 205.
Dentes filo trajecti atque circa collum obvoluti, 420.
Dervi Turcarum qui, 69.
Deus Genius alicujus loci ſub ſerpentis figura olim cultus.
Deus unus Philoſophis creditur, 51.
Diaboli reum per aëra avehunt, 130.
Diabolus Simia Dei, 25. 70. 78.
Diamaſtigoſis qualis concertatio, 92.
Dies ſanguinis quid, 67. 456.
Digitorum amputatio in Africa, 76.
Digladiatio quid, 165.
Dolere cum accuſativo, 38.
Draco cuſtos aurei velleris, 193.
Dracones in templis aſſervati religionis cauſa, pag. 201. &c.
Dracones ſanguine humano placati, 192.

Druidarum religio immanis, 351.

E.

Effœminati, 21.
Ἐκτομὴ quid ſignificat, 8.
Elephantes albo an rubro colore irritentur, 242.
Emanare cum accuſativo, 39.
Emaſculati 21.
Emmerick civitas unde, 341.
Enare cum accuſativo, 38.
Epidaurius ſerpens quare Romam avectus, 206.
Equi Soli ſacri, 401.
Ἔρημοι quid, 439.
Eſſedones quid cum capitibus parentum & amicorum egerint, 432.
Ἐθηριομάχησα Pauli quid, 233.
Eviratio quando apud Chriſtianos introducta & quâ occaſione, 5. quis eam primus docuerit, evirationis modus, 24. Inſtrumenta & ſtrepitus, 28. 31.

F.

Faces cur olim in arboribus accenſæ, 463.
Fanatici qui, 20. unde dicti, 61.
Faſcellitim ſimulacrum, 88.
Feæ quales fœminæ, 350. & quomodo Gallicè, Germanicè, Anglicè & Belgicè nuncupatæ, 16.
Femora proſcindere qui ſoliti, 62.
Feſtum Adonidis flagellis Sacrum, 79. & Iſidis, 81. Hæmacuria, 82.

Fiſcella quid, 262.
Fiſtulæ ex uſſibus humanis confectæ, 428.
Flagellati, 99.
Flagellatio quid, 77. quam ſæva, 79.80.92.96. quadraginta plagis, 78.
Flagellatio in honorem Cybeles, 81. Iſidis, *ibid.* ejuſque apud Lacedæmonios origo, 83. 91. Pontificiorum, 99-102.
Flagellationis puerorum origo, 83.91.
Flagellatores varii, 82. eorum patientia notabilis, 94-97.
Flagellum & ſcutica & lorum dictum, 94.
Flagellium nodoſum, 80.
Flagrare cum accuſativo, 39.
Flagris captivi ante mortem quem in finem proſciſſi, 310.
Fœminæ olim liberos exponebant, 247.
Fœmina Sacerdos, 348. non viro ſed nupta viro, 349. quæ ſuas ancillas habuit, 381.
Fœminal dictum antrum, porta Lanuvii, *pag.* 214.215.
Frendere cum accuſativo, 39.
Friſii antiqui quas ceremonias circa nuptias obſervarint, 111.
Friſii hodierni quomodo luciferum adorant, 53
Fruſtratim homines dilaniare, 405.
Fugitivorum Princeps Spartanus, 164.
Fures parum ingenioſi flagellis cæſi, 98.

G.

Gallantes & Gallas Sacerdotes Matris Deæ caſtrabant viros, 19.

Gallan-

Gallantes quomodo virilia ſua immolarunt, 25.
Galli dicuntur homines evirati, 12.
Galli lactantium carnem ubi comederint, 413.
Galli muliebri veſte induti, 23. Sacerdotes matris Deæ, 15. 18.
Galli ſe Ethnici evirant, 7.
Gallus Mercurio ſacer, 396. Soli, Æſculapio & diei præco, 397.
Gaudere cum accuſativo, 40.
Gehenna unde dicta, 123.
Geitnione menſe immolandi, 494.
Gemere cum accuſativo, 40.
Genas radere qualis mos, 176.
Genitalia membra immolata, 4. ejus origo, 13.
Georgius ſeques cur depictus cum Dracone, 225. Turcis, Perſis &c. ſacer eſt, 226. &c.
Germani quomodo victimam eligere ſoliti, p. 135. quid circa infantes recens natos egerint, 265. quomodo per ſuſpendium proditores mactarint, 305. ad Chriſtianiſmum converſi, ad fontes cælibes Vota nuncupare ſolebant, 461.
Geugues quid ſibi à Diabolo perſuaderi patiantur, 190.
Gladiatorum digladiationes, 164--167.
Gnoſtici pueros in mortario contundere ſoliti, 316. eorum carne veſcebantur, 407.
Gygantes diluvii tempore homines devorabant, *pag.* 409.
Gygas eſt Sol, 397.

H.

Hæmacuria quale feſtum, p. 82. unde ſic dictum, 157.
Hammanim quid, 117.
Hannibal quid cum captivis egerit, 159.
Haſta immolabantur Albani, 363.
Hebræi cultris petrinis circumciſionem peragebant olim, 24.
Henricus II. Angliæ Rex flagellis percuſſus, 99. vide ibidem plura exempla.
Herbis fiebat luſtratio, 107.
Hermaphroditi fuerunt promiſcue Dii & Deæ gentium, 53. 57. &c. an dentur, 283. apud Romanos ſubmergebantur, 287. an ſint, 283. eorum quatuor ſpecies, 287.
Heſione virgo immolata, 222.
Heydens vel Pagani ſe vulnerant, 71.
Hiare cum accuſativo & plura verba neutra, 41. 42. 43.
Hiberiæ qui, 20.
Hiberni quid cum ſanguine interemptorum facere ſoliti, 402.
Hinnon vallis qualis, 127.
Holocauſta ex captivis, 127.
Homines quotuplicitur immolati, 4. deuorati, 406. olim inventi, qui parentibus veſcebantur, 415. qui parentibus ſeniò confectos canibus dilacerandos objiciebant, 416.
Hominivoræ beſtiæ, 235. 409.
Homo per Chymiam producere, 275.
Hoſtes ſuos edunt Americani, 413.

Hunni quid circa defunctorum ſepulchra facere ſolebant, 177.
Hunni quid cum pellibus detractis egerint, 429.

J.

Jactare multum quid ſignificet, 35.
Jaculis præfixis injicitur homo immolandus, 322.
Jannanes Sacerdotes, 129.
Januario menſe Dani ſacrificabant, 495.
Japanenſes quomodo ſeſe voluntariâ ſubmerſione Diabolo offerant, 302, & alio mortis genere, 317.
Idæi dactyli, 20,
Igne luſtrarunt, 109. à funere reduces, 110. & ſponſus cum ſponſa, 111.
Ignem pertranſire quid in ſacris, 113.
Ignis qui utebatur circa combuſtionem victimarum qualis, *p.* 333. ex lapidibus elicitus, *pag.* 382.
Immolandi ritus à Phœnicibus ad Carthaginenſes & Africanos defluxit, 125.
Immolare etymon, 382.
Immolatio Polyxenæ, 148. 154.
Impuris ad ſacrificium accedere nefas, 388.
Incolæ Anſici quid cum captivis faciant, 411.
Inciſiones cruentæ, 48.
Indiæ populus circa Goam quomodo Diabolum placare ſoleat, 73.
Indumenta muliebria qui geſtabant, 18.
Infantes cum rebus pretioſiſſimis expoſiti, 159. cum ſacris coronis & cumulo lapidum pretioſo-

tioſorum quæ dicibantur σνμβόλια, γνωρίσματα &c. *ibid.*
Infantes cxponendi mos & modus, 254.
Infantes Iſraëlitarum tanquam victimæ Nilo, *p.* 264. quando ſubmergebantur, 267. 270. Submerſi à monachis 6000. *pag.* 369.
Infantes monſtroſâ formâ Ariſtoteles & Lycurgus ſubmergi aut necari voluerunt, 272.
Infantes ſtrangulati, quod Thebani vetant, 213. alioque modo ſuffocati, 151. empti pro holocauſto, 126.
Ingurgitant ſanguinem victimæ bellicoſi Angolæ præfecti, 323.
Inſulæ victimarum, 374.
Iphigenia Sacerdos, 83.
Jùdæa olim pars Syriæ credita, 58.
Judæi carne humanâ veſcebantur, 411.

K.

Κώδων nola beſtiis appenſæ, 33.

L.

Lactentium carnem edunt Galli, 413.
Lais immolata, ejus monimentum in templo Veneris, 482.
λαμπρὸς à λάμπω quid, 242.
Laniare genas, 175.
Lanuvium quid apud Propertium, 214.
Lapidum moles quæ hodiè in Drentiâ vicinis agris exſtant cui uſui olim deſtinatæ, 333. olim culti & oleo perfuſi, 444.

Lava-

Lavacrum prope altare, 385.
Leones apud Babylonios ſacri, 218. pro Deis habiti, 219.
Leo Glabrionem & Androdum confecit, 232.
Libamina ſanguinis apud Pſalmiſtam quæ, 48.
Loca Diis ſacrata, 440.
Locrenſes quid fecerint cum liberis atque uxore Dionyſii Ciciliæ Tyranni, 412.
Lucadii quomodo homines obtulerint, 302.
Luci, in lucis olim ſacrificatum, 452.
Luctus indicca varia, 178.
Lucus à Lucendo, 440.
Luſtratio quam varie fiebat, 104. 105. 106. 107. &c. 113.
Lutherus quid cum partu Diabolico agi voluerit, 290.

M.

Mactare pro honorare, 407.
Mænades qui, 20.
Mahomet Haly violenter occiſi memoria ſanguinolenta, 70.
Mahumetani quid circa celebrationem memoriæ ſui Prophetæ faciant, 70.
Makoko Regis in aula ſingulis diebus 200 ſervi mactantur & cocti eduntur, 412.
Malefici à Gallis combuſti, 131.
Malleo ferreo immolabantur Veneti, 364.
Mammæ virginum abſciſſæ & coctæ, 414.
Marius quomodò à Syllâ tractatus, 161. &c.
Marmoreus lapis Americanis altare eſt, 329.
Martyres beſtiis objecti, 230. &c. Berecynthia,

11. Piſſimuntia, Pylena Veſta Andigiſta.

Maſſilienſes quid tempore peſtis agere ſolębant, *pag.* 311. apud illos lucus religione infamis, *pag.* 455.

Mater Deorum Cybele, 9. Dindymena, 10. Syria Dea, *ibid.* Rhea, *ibid.* Idæa, *ib.* Opis, 11. Criobolius, Taurobolius, *ib.* Diana, *ibid.*

Maura, unde dicta, 481.

Medicamenta ex corporibus humanis olim facta, 419.

Melichius fluvius quomodo victimæ erant ornatæ quæ ad eum deducebantur ut mactarentur, 462.

Mel in rogum victimarum olim effuſum, 394.

Membra victimarum ex petra ſuſpenſa, 469.

Mendici Chinæ horribili modo ſe lacerant, 70.

Mercurius melle placatus, 369. eique Gallus ſacer, *ibid.* quomodo olim pictus, *ibid.*

Mexicani quomodo ſacrificia adminiſtrare ſolebant, 328.

Mexicanorum immolationes, 328.

Mitra Unde Orta, 23. eſt Venus, 55.

Moleco luſtrari, 113.

Molochi ſtatua in ſeptem cellulas diviſa, 123. ritus circa illam obſervati, 124.

Montes Diis ſacri Moloch eſt Mars, 124. 443.

Monſtra ſubmerſa, 271. Lutheri conſilia, 290.

in Mortario contunduntur Infantes, 316.

Mortificationes Papales, 101. ſunt Ethnicorum flagellationes, 102.

Mortui combuſti, 139. cui jus contendebant, *pag.* 142.
Mortuorum carnem devorare, 418.
Moſes in Nilo, 262.
Mulieres dicti ſunt evirati, 23.
Mulieres teſticulis ab utraque aure demiſſis in Africa gloriantur, 431.
Muris ſanguine tincti, 429.
Mutilatio victimæ, 8.

N.

Nemus Deo ſacrum, 440.
Nigritæ vivos ſepeliri mortuo Rege ipſorum concedunt, 181. & magna hominum multitudo obtruncatur & iteratur hæc obtruncatio, ſi novus Rex defuncti memoriam recolere velit, *ibid.* poſteà cum rebus pretioſiſſimis in flumen præcipitantur, 140.
Nilus Ægyptiorum Deus maximus, 264.
Nolæ appenſæ variis beſtiis armentariis, 32.
Novacula levis culter eſt evirans, 29.
Novem obſervata circa Sacerdotes Deum matris, 35.
Nuptiarum ſolemnia, 111. 112.

O.

Obſcæna dicta inter mactationem eliciebantur, *pag.* 405.
Oculi occæcati, 237.
Odryſæ efferati populi, 403.
Oenomaus quid cum ſuæ filiæ procis egit, 422.

Olei uſus in victimis, 395.
Olympias à Jove ſub forma ſerpentis compreſſa, 197.
Oraculum Delphenſe Furias abire jubet, 205.
Origo Evirationis, 13.
Ovo luſtrabant, 108.

P.

Pagani vulgo *Heydens*, 71.
Pallas quid Athenienſibus pepererit, 203.
Pan fuit Venus & Jupiter, & Jupiter Sol, 56.
Panis ex infantibus in mortario contuſis, 316.
Papiſticæ flagellationes in Reges & Imperatores, 99. &c. imitantur Ethnicos, 100.
Parentum carnem edunt, 415.
Parmula dicitur Bellona, 62.
Partus an ex imaginatione &c. 275.
Partus portentoſi ſubmerſi aut combuſti olim, *pag.* 271.
Patientia ſumma virtus, 98.
Patres ſenio confecti à filiis immolati, 292.
Pauſus otii numen Bellonæ contrarium, 60.
Pecunia & ærarium olim ſacrum erat, 452.
Peguani quomodo victimas humanas offerre ſolerent, 317; Virgines in templis quomodo alantur & quo honore dignentur apud ipſos, 318.
Periander Tyrannus, 8.
Perſæ ubi ſacrificare ſoliti, 443.
Peſtis placanda Epidaurio, 206. Ceto, 221. modus, 380.

Pheneatæ Cererem virgis cedunt, 83.
Phryges, 21.
Phrygius culter, 28.
Piaculum hominem deſignat, 165.
Pila ignis quid, 238.
Pinus Deorum matri ſacri, 12.
Pirrhus poſt mortem pugilum pugnâ honoratus, 170.
Plagipatidæ qui, 98.
Pocula ex calvariis hominum confecta, 431. in Deorum memoriam, 402.
Polyxena immolata & combuſta & ubi, 143. 149. &c.
Potare ſanguinem, 402.
Primarius Actor idem quod Protecdicus & Saccellarius, 491.
Proditores à Germanis arboribus ſuſpenſi, 269.
Προσκυλακισμὸς qualis luſtratio, 104.
Πρόσφυγες ſervi fugitivi, 498.
Protecdicus qualis fuit, 487. &c.
Pſycteria quid, 429.
Ψυκτήρια 440.
Publius Decius Pater & Filius quomodò ſeſe pro ſalute patriæ devoverint, 356. &c.
Puella cremata quod ſpuiſſet in feretrum reginæ, 140.
Pueris deficientibus ſervi ad victimas coëmpti, pag. 368.

Q.

Quadraginta plagæ in flagellatione Judæorum & gentium, 78.

Quotannis ad Penelopis ſepulchrum juvenes cæſi, 157. Ephebi feris expoſiti, 192.
Quercus Celtis Jupiter dictus, 447.

R.

Radere genas, 176.
Radices arborum in paludibus unde, 443.
Regem Lovanghe bibentem conſpiciens quomodo interficiatur, 364.
Reges & Imperatores flagellati in Papatu, *pag.* 99. &c.
Regina Cœli Venus ſeu Baäl, 54. vel Dea Cæleſtis, *ibid.* eadem Rhea vocata, *ibid.* imò Ceres, Juno, Iſis & Diana, *ibid.*
Rhea qualis Dea, 53--57.
Rheni etymon, Diis ſacer, 265.
Ritus varie circa luctum mortuorum olim obſervati, 178.
Rogo mortui pretioſiſſima injiciebantur, 138.
Romani à Schytis capti vivi cum equis & armaturâ ſepulti, 184.
Romani monſtroſos partus ſubmergebant, 273.
Romani olim victimas humanas ſacrificarunt, *pag.* 136.
Romani ſuos liberos exponebant, 253.
Rotare crinem cui uſui, 34. 35.
Rotis ſe contundendos ſubjiciunt Peguani, 317.
Ruſticæ in Friſiâ, quando amaſium expetunt, ad Luciferum quomodo ſe convertere ſoleant, 53.

Sabæi

S.

Sabæi quid infeſto Eiloul ſacrificare ſolerent, 397. verberibus infantem contundunt, ejuſque caro farinæ commiſcetur atque à myſtagogis comeditur, 410.
Sabazius eſt Bacchus, 64.
Sacellarii qui, 490. &c.
Sacerdos coronabatur, 379. Getarum Deus, *pag.* 443.
Sacramentum ſanguinis, 64.
Saginabantur victimæ, 367.
Sagma quid, 457.
Sale luſtrabant, 108.
Samia teſta culter virilia amputans dictus eſt, *pag.* 25.
Sanguinem Amici potare ſumma eſt amicitia, *pag.* 403.
Sanguine proprio ſacrificant Bellonæ, 65.
Sanguinis dies, 67.
Sanguinis libatio quotuplex, 3. quibus Deis, *pag.* 48.
Sanguis captivorum ante rogos effuſus, 155.
Sanguis ex puellæ naturalibus effluens nota virginitatis, 74.
Sanguis primis mundi ætatibus hominibus potus erat, 404.
Saturnalia tempus immolandi, 492. &c.
Saturno holocauſta humana, 125.
Saulis ſeptem filii ſuſpenſi, 313. Saulis caput affixum in æde Dagonis, 422.

Saumarium quid, 456.
Scala quid, 433.
Sceleton in ædibus privatis olim erectus, 473.
Scordiſci, 136. quomodo ſanguinem humanum bibebant, 403. in oſſibus capitum, 432.
Schytæ quid & quomodo cum captivis egerint, 309. Fœminæ apud ipſos officio Sacerdotis fungi ſolitæ, 346. & quidem viro intactæ, *ibid.*
Sebazius quis, 34. 196.
Seceſpita quid, 29.
Secti, 21.
Semiviri caſtrati, 22.
Senes decrepiti ubi aconito interfecti, 418.
Sepiliri ad latus amici, 168.
Sepultura optima comœdi, 416.
Serapis Deus triplici forma depictus, 194.
Serpentes quâ de cauſâ publicè olim circumgeſtati, 201. partum ominatur, 198.
Servi ducenti ſingulis diebus mactantur, 412. fugitivi quales, 489.
Signare idem quod imbuere, 64.
Simulata vulnera, 67.
Σχιομαχία qualis Dea, 60.
Soldurii qui, 175.
Sol olim Baal dictus & cum barbâ delineatus, 55. item Gigas dictus, 397.
Sophitæ quid cum monſtroſo partu egerint, *pag.* 273.
Spadones, 20.
Spartacus fugitivorum Princeps, 164.

S. P. Q. R. legendum eſt Senatus Populus Quiritium Romanus, 363.
Spurii victimæ, 268.
Squella eſt nola beſtiis appenſa, 33.
Squillis fit luſtratio, 108.
Statua ænea molochi, 123. Dæmonis Dabiis in Japoniâ colitur, 130. ritus qui obſervantur circa culturam ejus, 130.
Strava quid ſignificet, 160.
Στρώσια ſtrati Imperatoris equi, 459.
Sublime quid, 443.
Submerſionum immolatio, 246. ceremoniæ, 302.
Suſceptor in Eccleſia qualis, 498.
Suſpendium immolandi modus, 305.
Sylvæ variæ conſecratæ, 447.
Σύρτα equi manuducti, 459.

T.

Τάφος quid, 167. 169.
Tauribolium quid, 11.
Ταυροχολιάσαι quid, 239.
Τέμενος nemus Deo ſacrum, 440.
Templa in montibus, 467.
Templa olim aſyla, 483.
in Templis olim ſacrificia peracta, 477.
Tempus immolandi homines, 493.
Tenaſtiani qui quales & quales victimas obtulerint, 137. 316.
Teſtâ Samia quid, 25.

Thra-

Thracum mulieres vivæ cum maritis defunctis ſepeliebantur, 179.
D. Thomæ quomodo ſacra fiunt, 327.
Tintinabula olim, brutis armentalibus appenſa, crepitaculum, Κώδων, 33.
Tophet locus holocauſti, 127. 465.
Torquere caput cui uſui, 33.
Trojani ad rogum Patroculi jugulati, 146.
Τούφα equorum ornatus, 460.
Tumulus Hephæſtionis, quid circa illum contigerit, 168. 169.
Turres Americanorum templa, 481.
Tympanorum ſonus ad evirationem requiſitus, pag. 30.
Tympana ex pellibus confecta, 430. pulſabantur ad ſtatuam molochi, 126.
Τυραννέω & Τυραννεύω quid, 361.

V.

Vaticinari Galli quomodo ſolebant, 35.
Venatorius ludus dictus digladiatio cum beſtiis, 229.
Veneri immolata Laïs, 482. 483.
Ventrem diſſecant Japanni, 143.
Venus eadem eſt quæ Luna, Urania, &c. 54. Mitra vocata eſt, 55.
Veſte rubra induebatur beſtiis projiciendus, pag. 239.
Veſtes victimarum ornatæ, 372.
Vermlandorum Rex in ſacrificium electus, pag. 136.

Victimæ

Victimæ humanæ ſagittis confectæ, 306. palo affixæ, 308. haſtâ tranſmiſſæ, 321. in præfixa jacula conjectæ, 322. ſuper craterem obtruncatæ, 326. &c. ſecuri percuſſæ, 364. & enſe, 364. per ſortes electæ, 366. ſaginatæ, 367. publicis & purioribus cibis *ibid.* ante immolationis diem ſanguine eas maculari nefas, 368. radicibus & herbis mundatæ, 369. aureis vinculis vinctæ, 369. pretioſis veſtibus ornatæ, 372. eorum capita vittis redimita, 372. coronatæ, 376. pileum capiti impoſitum ipſarum, *p.* 378. caſeo, offâ &c. donatæ, 379. extra portas deductæ, 381. ſacerdos fœminina ancillas habuit, *ibid.* ſacri cuſtodes iis appoſiti, *ib.* molâ ſalſâ conſpenſæ, 382. luſtratæ, 385. atque prope lavacrum ſtare debebant, *ibid.* aræ impoſitæ, 389. preces ante immolationem admotæ, 390. earumque formulæ, *ibid.* & pæanes cantati, 392. varii ſonus adhibiti, 393. victimæ alquando genibus incumbere debebant, 392. convivia circa oblationem earum inſtituta, 402. in pratis oblatæ, 472. ad buſtum Achillis, 475. ad Oſiridis monumentum, 477. in templis, *ibid.* in Lupercalibus & Saturnalibus, 492. & menſe Novembri oblatæ, *pag.* 493.

Victor inter juvenes Spartanos qui creditus, *pag.* 96. 97.

Vino luſtrabant, 108.

Vinum in rogum effuſum, 147.
Virgines duodecim nitidè excultæ cum cadavere Regis Kongi vivæ contumulantur, *pag.* 183.
Virgines devotæ ut Deæ à Parentibus adorantur in Pegu, & poſtea mactantur, 318.
Virgines Veſtales poſt violatam pudicitiam ad collatinam Portam vivæ defoſſæ, 115.
Virgines Goæ virginitatis florem Diabolo libant, 73. Draconi devorandæ, 210.
Virgines quæ nam olim caſtæ habitæ, *pag.* 210. 211.
Virginitatis nota in Iſraël inter Gentes, *pag.* 74. 212.
Virginum mammæ abſciſſæ ubi in diliciis habitæ, 414.
Virilia membra abſciſſa ac domi relicta, 17. amputare antiquum eſt inter Chriſtianos, *pag.* 6. 8.
Viſcera victimarum cocta, 406. membratim vivæ diſcerptæ, 404.
Vivicomburium, 121.
Ululatus mos inter evirationem adhibitus, 29.
Ululare cum accuſativo, 36.
Ungarii ex Calvariis captivorum pocula confecerunt, 436.
Upſaliæ quid olim novemdialibus ſacus fier ſolebat, 295.
Upſalia locus holocauſti Septentrionalibus, 129.
Urinam facere in loco ſacro nefas, 196.
Urendi qui, 141.

Vulpi victimæ expoſitæ, 217.
Vultu velato immolare, 388.
Uxores in pyram defunctorum maritorum conjectæ, 141-143. cum defunctis maritis defoſſæ, 179.

W.

Witte Wijven quales fuerint.

X.

Xàca quid, 190.
Ξίφον gladiolum virilia amputantem vocant, pag. 28.

Z.

Zamolxis Dæmon, 322. & quid de hoc Getæ credant, 16.

F I N I S.

INDEX AUTHORUM
PART. SECUNDÆ.

A.
Æſchylus, pag. 205.
Arrianus.
Athenæus, 482.
Auſonius, 74.
B.
Biblia Illuſtrata & Explicata, p. 52, 53, 58, 59, 115, 116, 121, 122, 123, 133, 311, 443.
C.
Claudianus 389.
Cointhus Smyrnæus 135.
D.
Digeſta 249.
Diodorus Siculus 124, 131, 469.
Dion Caſſius 68
E.
Ennius 224.
Euripides 3, 38, 394.
Euſebius 139.
F.
Faber notatus [illegible].
Firmicus 19[illegible] 15.
Elaccus Valerius 94.
Florus 136, 163.
G.
Gellius 60.
Genuadius 5.
H.
Harmenopolus 258.
Hermannus Contractus 435.
Horatius 66.
J.
Juſtinianus 2.
Juvenalis explicatus 26.
L.
Laertius 6.
Leges Friſiæ titul. V. 266
Libanius 347.
Lucanus 66.
Lucianus 219.
Lucilius 88.
M.
Macrobius 119, 464.
Mareſius laudatus 26.
Martialis 66, 94, 237, 238.
Minucius Felix explicatus 15, 48.
O.
Orpheus 325.
Ovidius explicatus 26, 80. 239.
P.
Pacuvius 470.
Paulus Diaconus 445.
Pauſanias 164, 340, 468.
Petronius 171, 79, 97, 301.
Pindarus 156.
Plutarchus 126, 482.
Polybius 441.
Prudentius 66.
S.
Sapientiæ author 408.
Seneca
Statius 119, 145, 148.
T.
Tacitus 307.
Terentius 260.
Tertullianus 65, 118.
Theophraſtus 196.
Tibullus 66, 417.
Tzetzes emendatus 45.
V.
Virgilius 119.
Ulpianus 229.
W.
Wandelbertus 250.

A01 1445573